12. 29. H 2

AETII AMIDENI

QVEM ALII ANTIOCHENVM VOCANT

MEDICI CLARISS. LIBRORVM XVI. TOMI DVO,
primus uidelicet & tertius, nuper à Ioanne Baptiſta Ve/ronenſi medico latinitate donati, quos in eorum gratiam, qui ſecundum iam habent, ſeorſim impreſſimus.

Additus eſt index in omneis Tomos copioſiſſimus.

FRO BEN.

BASILEAE IN OFFICINA FROB. M. D. XXXV

ILLVSTRISSIMO SVMMAQVE REVEREN-TIA DIGNISSIMO D. D. HIPPOLYTO MEDICI. TT. Sancti Laurentij in Damaſo. S. R. E. Diacono Cardi-nali, Vicecancellario, Peruſij Vmbriæq́; legato, Ioan. Baptiſta Montanus medicus Vero-nenſis, Felicitatem.

HAud eram profecto neſcius Illuſtriſſime ſummaq́; ueneratio-
ne digniſſime præſul Hippolyte, quantum hoc interpretandi
munus ſecum afferat calumniæ, & difficultatis. præterq́; enim
ꝙ in utraq; lingua, latina inquam & græca, frequenter uerbo-
rum uires & proprietates nõ ſatis compertæ ſint, rerũ etiam mutationes, &
temporũ uiciſſitudines effecere, ut dum priſcis obſoletis noua ſucceſſerint,
ſæpe uaticinari magis, quid autores antiqui ſenſerint, quàm recte interpre-
tari poſſimus. Quod ſi in ulla unq́; arte aut ſcriptore obtigit, incredibile di-
ctu eſt, quantũ id medicorũ diſciplina perpeſſa ſit: in qua nõ plurima tantũ
rerũ uocabula ita ab antiquis diſſident, ut huius temporis medici nulla in
re frequentius peccent, quàm cũ immenſa uarietate confuſi, eadem diuerſa,
& quæ diuerſa ſunt eadem eſſe opinantur: ſed & uia ratioq́; medendi tam
in diætetico, quàm pharmaceutico, & chirurgico genere adeo à ueteri receſ-
ſit, ut iam utiliſſima quæq;, & maxime neceſſariã maiorũ præſidia cũ mini-
me intelligantur, etiam negligi ſoleant. Atq; inde eſt, ut toties uocibus oc-
curramus, quæ cũ res nobis ignotas indicent, ipſæ quoq; interciderũt. ergo
neq; eas latinas cõmode facere, neq; græcas dimittere niſi inepte & obſcu-
re poſſumus. ſæpe etiam præſertim in iunioribus græcis medicis parũ ido-
neæ loquendi figuræ, & planè ſolœciſmi reperiuntur: qui ſicut ſemper cui-
tari facile nequeunt, ita, ſi etiam euitentur, confeſtim inſurgunt, qui nos inſi-
di interpretis crimine accuſent. Illa quoq; ineuitabilis calumnia eſt, quã me-
dicorum factiones pepererunt: alij enim nõ minus à Medico, quàm à Rhe-
tore puram exquiſitamq́; uerborũ electionem requirunt, à qua qui tantillũ
diuerterit, eum protinus, ueluti imperitũ explodunt, tanq́; qui eloquentiam
à diſciplinis ſeparari non poſſe omnino arbitrentur: alij eos ſciolos, græcu-
los, grammaticulosq́; per ludibrium appellant, qui rem medicam alio ſtilo
explicare conant, quàm quo à prioribus Hippocratis, Galeni, & Auicennæ
interpretibus tradita ſit. aiunt enim res ſerias ſimplici & parato, nõ accura-
to, & florido ſermone tractari oportere: quibus tam diuerſis iudicijs quo-
modo interpres ſatisfaciat, haud facile inueniet. Quid illud uulgatiſſimũ?
ꝙ quæ feliciter dicta ſunt, ſemper autori, quæ infeliciter ſemper interpreti
adſcribi ſoleant, ut nunq́; illi locus laudi, calumniæ perpetuo reliquatur.
Hæc, & multa alia huiuſcemodi incõmoda, me ſemper à græcis autoribus
uertendis deterruerunt, cum tamen iugiter ab amicis ab hoc onus ſubeun-

dum impelleret:ſed ſimulac tu Princeps Illuſtriſſime,cui non parere neque poſſum,neq; debeo, me ad hac prouinciam hortari cœpiſti,tantum adhortationes mandataq; tua ualuere,ut priſtino mutato conſilio nihil magis cogitauerim,quàm omni conatu ex græcis latina facere,quę tu mihi facienda præceperas.Nam cum in Aetium Amidenum clariſſimũ medicum incidiſſes,diuinoq; illo ingenio tuo ad omnes bonas artes nato facile percæpiſſes quàm docte,quàm perfecte, quàm diſtincte totam medendi artem græce nobis exponeret, ea animi liberalitate,& beneuolentia erga humanum genus qua in reliquis omnibus ſoles,illico adieciſti animũ, ut optimus autor, qui mendoſiſſimus ſqualidiſſimusq; in tenebris publico diſpendio latitaret, puriſſimus nitidiſſimusq; in lucem prodiret, & ut tanta utilitas magis uulgaretur, etiam latine loqui diſceret: quod onus mihi potius, quàm tot alijs doctiſſimis uiris imponere maluiſti, quorum copia celeberrimam domum tuam adeo præſtare conſtat,ut nulli in tota Europa ſit comparanda. Ego uero id illo ardore,atque animi obſequio ſuſcæpi,ut octimeſtri ſpacio decem eius autoris libros,ſeptem inquam priores & tres ultimos, latinos fecerim,alioqui nõ tantum medendi ſtudio, & negocijs familiaribus, ſed curis quoq; forenſibus, & litigijs propulſandis haud mediocriter impeditus, ſex autem intermedios(ſunt enim omnes ſexdecim) prætermiſi, quoniam cũ ſeptem primos perfeciſſem ex Germania allati ſunt, qui deinceps ſequebantur,ab octauo uſque àd tertiumdecimum latinitate donati, & impreſſi. Hanc ego commoditatem mihi diuinitus oblatam putaui,uidebatur enim diuinitus factum,quòd nullo humano conſilio ita cecidiſſet, ac ſi ego & ille Germanus interpres cõueniſſemus,ut maturandæ publicæ utilitatis gratia alter ſeptem primos, alter interim ſex ſubſequentes uerteret. fortuitum igitur collegam nõ aſpernatus,partem,quam ille ediderat,meæ interpretationi ſubnectens ad tres ultimos libros tranſgreſſus ſummam editioni manũ impoſui, ut ſimul & tam diu deſideratus autor maturius publicaretur, & ego tanto onere ſubleuatus paulul um reſpirarem. Si ergo hoc meum munus,utilitatem,uoluptatemq; legentibus afferet,quod Aetij doctrina & diligentia futurum auguror, id totum tibi clariſſime Princeps accæptum referent:tuo enim ductu & auſpicijs prodiuit in lucem:ut tibi quoq; obiter Aetij manes non minus debeant,quem tu primus tanquam ab orco ſuſcitaueris, quo facile oſtendis te à clariſſimis progenitoribus tuis nihil degeneraſſe:neq; enim tantum græcam & latinam linguam per eos reuixiſſe conſtat, ſed nullum diſciplinarũ genus eſt,quod non ab illis illuſtratũ exauctumq; ſit. Si quis enim ab clariſſimo patriæ ſuæ patre Coſmo Medice incipiat & per felicem aureamq; ſucceſſionem uſq; ad Clementem ſeptimum Pontificem maximũ progrediatur, uix enumerabit doctiſſimos uiros ab illis tanquam à nouis Mœcenatibus quæſitos,amplexatos,ſummiſq; muneribus

exornatos

exornatos, qui ſub ea tutela, & patrocinio felici ocio fruentes ſplendidiſſi/
mis laboribus ſuis totam Europam illuſtrauere: deficiet me dies ſi memo/
rare uoluerim quot, quamq́ grauiſſimi autores, qui prius in multo ſitu &
ſqualore iacebant Medicææ familię ſumptu priſtinum nitorem compara/
uerint. Quanq̃ ſi uerũ fateri uelim, ego te ſemper unum habuerim, quem
omnibus maioribus tuis præferendum cenſuerim. illos enim ad eas inſi/
gnes animi dotes maturæ ætates, optima patrię inſtituta, feliciſſima & quie
tiſſima tempora prouexere: tibi in hoc primo ætatis flore morum peruerſo
rum tempora bellorumq́ turbulentias maximas nacto, multæ cauſæ non
deerant, quæ in deteriorem partem allicerent, præcipue cũ tot opibus tan/
tiſq́ fortunæ bonis afflueres, quæ reliquis ea ætate florentibus libidinis
omniumq́ uitiorum maxima irritamenta eſſe ſolent. ac nihilominus tantũ
abeſt, ut ijs cõmodis abutaris, ut potius ſuſpicari poſſimus in te unum tot
bona cœlitus eſſe collata, quo in hoc ruenti ſæculo præclara Italiæ ingenia
foueres, & amplecteris. id autem tam ſtrenue facis, tantoq́ exequeris ſtu
dio, ut nemo ferè ſit in quacunque egregia arte præcipuus, qui in ampliſſi/
mam iſtam domum tanquam in cognatam ſibi ſedem non confluat, qui
munificentiam tuam atq; liberalitatem non ſentiat. Neq; uero illud mino/
ri laude dignum exiſtimo, q̃ haud tantum ęgregias artes alas, ſed ita te om
nibus idoneum præſtas ut ad ſingulas natus eſſe uidearis, nec ullus eſt è ce/
leberrimis iſtis uiris, qui non fateatur, nõ prædicet, te ſuas ſingulorum diſci/
plinas acerrimo iudicio penetrare. Taceo mores animi, prudentiam, forti/
tudinem, æquitatem, & miram erga omnes manſuetudinem: nam liberali/
tatem nemo eſt, qui non experiatur. merito igitur ab omnibus celebraris,
atque ad ampliſſimos honores, ſummasq́ poteſtates optaris. Ac ſi modo
deus, qui cætera hucuſq; ubertime cõtulit, etiam annos largiatur, nihil uere/
or, quin maximis uirtutibus tuis digna præmia conſequaris. obſecro te ta/
men clariſſime Princeps, ut quòd hoc loco in partem laudum tuarum inci/
derim, boni conſulas: ſeries enim orationis, & ueritas ipſa, qua nihil poteſt
eſſe efficacius, huc me præter inſtitutũ allexit. His igitur omiſſis quantũ ad
Aetium attinet, neminem admirari uelim ſi ego Amidenũ dixerim, quem
alius interpres Antiochenum uocat. Amidenum enim fuiſſe omnium codi
cum inſcriptiones, quos ego perquam plures & Romæ & Venetijs legi, pa
làm ubiq; teſtantur. Eſt autem Amida Meſopotamiæ oppidum, quod Iu/
ſtiniani Imperatoris tempore à Perſis direptũ Procopius tradit. fuit quidẽ
& alius Antiochenus Aetius ſophiſta ſub Conſtantini imperio, ut Eunapi
us & Sudas prodidere, qui ſacris ordinibus initiatus, tandem in Arrianam
hęreſim incidit, ſed eum nemo unquam idoneus autor medicum fuiſſe, uel
medicinæ libros ſcripſiſſe meminit, licet his tẽporibus Volaterranus chro/
nographus eiuſdem nominis ſimilitudine deceptus duos Aetios confun/

dat: qui tamen adeo ætatum ratione differunt, ut alter Antiochenus, ueluti paulo antea dicebamus, ſub Conſtantino uixerit, alterum Amidenũ Oribaſio Iuliani Imperatoris Archiatro longe poſteriorem fuiſſe conſtet, ſicut ipſemet Aetius ubiq; demonſtrat. quodq; magis eius uiri diligentiam mireris, cum Aetium Antiochenum medicum faciat ſtatim ſubdit, cerni Romæ eius de re medica libros in Bibliotheca uaticana, neq; id profecto falſò Sunt enim ibi duo Aetij uetuſtiſſimi codices, quorum alter nunc penes me eſt, alter fuit: ſed ſi, quemadmodum cerni eos Romæ teſtatur, ita etiam titulos ſaltem legiſſet, Aetium Amidenum paſſim, Antiochenũ nuſquam ſcriptum comperiſſet, & inde facile duos Aetios fuiſſe intellexiſſet, alterũ Antiochenum hæreticum, alterum Amidenum medicum, præſertim cum alter eiuſdem bibliothecæ uetuſtior codex hunc noſtrum Amidenum Opſicij comitem faciat, cuius dignitatis nomen præterquam quod recens eſt, & non niſi poſt Gotthicam illuuiem recæptum, etiam oſtendit hunc humanis honoribus, non ſacris ut Antiochenum ornatum fuiſſe. Quo uero ſæculo uixerit ego quod affirmem nihil habeo, cum neq; ipſe in ſuis libris quicquam de ſe memorauerit, neq; alibi ſcriptum legerim. Eum tamen uel eiuſdem temporis cũ Paulo Aegineta, uel nõ multo poſteriorem crediderim. cum enim uterq; eandem in re medica diſciplinam eodem ferè ordine tradiderit, ambo q; Oribaſij ita ſtudioſi fuerint, ut ab eo integra capita paſſim excerpant, neuter tamẽ eorum alterius meminit, ut inde appareat temporum propinquitate alterum cum altero ſtudiorum æmulatione certaſſe. & cum longe copioſior ſit Aetius, ueriſimile eſt, ipſum tanquam poſteriorem nimiam Pauli breuitaté emendare uoluiſſe, ſcilicet ut neq; huius compendium, neq; redundantem Oribaſij copiam, ſed medium docendi modum aſſequeretur. cæterum temporum iniquitate, & medicorum negligentia ſcriptor hic diligentiſſimus dum penè obrutus eſſet, & in paucis admodum locis potius ueluti ἀνάθημα quoddam, quàm ad humanum uſum reperiretur adeo ubiq; mendoſus, mutiluſq; deprehenditur, ut ambigã quonam magis beneficio tibi Princeps illuſtriſſime, medicorum reſpublica debeat, an ꝙ Aetius emendatus erroribuſq; expurgatus, an ꝙ latinitate donatus ſit: nam utrunq; pari penè labore à me ſubeundum fuit. cum enim quàm plura exemplaria & omnia corrupta haberem, oportuit me iudicio ac diligentia ſeligere, quod magis ueritati conſonũ uideretur: ad quam rem illud mihi maximo adiumento fuit, ꝙ raro admodum eueniret, ut omnes codices ſimul in eodem loco mendoſi legerentur, ita, ut tandem ex græcis malis latina fecerim meliora: nam non tantum peruerſa uerba emendaui, imò & totas ſententias, ſæpe & capita integra quæ deerant, ex multorũ collatione reſtitui, neq; ideo tamẽ ſordem adhuc omnem tanquam ab Augeę ſtabulis expurgaſſe profiteor. cum enim in diuerſis codicibus ſummam ua-

rietatem

rietatem perſpexerim, fieri poſſe arbitror, ut alius meliorem codicem nactus, quem ego non uiderim, multa immutet, & ſuppleat, quod ut fiat, ſum mopere exopto: nam nihil in re tam ſeria, quod publicæ utilitati conſulat, prætereri debet. interim æquis iudicijs me ſatisfacturum exiſtimo, qui quæ cunque recta inueni, ſumma fide, & integritate reddiderim, meliora longe alacriori animo redditurus, ſi potuiſſem. neq; uelim quempiam nonnullas uoces, quibus in interpretatione mea non temere utor, parum latinas dicere. haud enim ignorabam rigorē exempli cauſa, me aliter intelligere, quàm priores latini intellexerint: ſed qui certas artes pertractant, optime norunt, quot oporteat uſurpare uocabula & in proprios uſus mutuari: proinde hoc mihi quoque eo libentius concedent, quod nihil ego uel ſolus, uel primus uſurpauerim. imò quæcunq; delicatis auribus duriora, uel impropria uidebuntur, à multis ante me ad hunc uſum tranſlata ſunt. inueni etiam quædam, licet per pauca loca, in quibus uel aliquid omnino abſonum legebatur, uel deerat quod integro ſenſui neceſſarium uideretur, quæ potius aſteriſco notare uolui, ut legentes admonerentur, quàm quidpiam commentitium mihi ipſe confingere. Quæ uero ſuperſtitioſa, & fortaſſe adulterina inueni, ſupprimere nolui: fieri enim potuit ut Aetius in ſuperſtitioſiſſima gente poſterioribus ſæculis ortus, ea uel crediderit, uel tanquam ab alijs cre dita & recæpta poſuerit. Interlegentur præterea nouæ quædam barbaręq; dictiones ſicut Lacca, Caſamus, Caphura, Sarua, Sandali, & huiuſmodi, quæ omnia ſcriptoris potius nouitatem, quam interpretis imperitiam, uel li centiam teſtari debent: nihil enim à me redditum eſt, quod in græcis exem plaribus non inuenerim. Deniq; ſi dicendi ſeries, totaq; interpretatio defor mis inutiliſq; uidebitur, illud mihi confugium patrociniumq; ſeruabitur, nō ſponte, ſed iuſſu tuo Hippolyte Princeps clariſſime hanc prouin ciam ſuſcepiſſe, cuius tutelam apud homines tanti momenti fu turam arbitror, ut omnes ſtatim contumeliæ opprimendæ ſint, ubi uulgetur me in hoc immenſo labore, nihil aliud cogitaſſe, quàm tanto Principi obtemperare.

ARGVMENTA SEXDECIM LIBRORVM AETII AMIDENI.

IN primo & ſecundo libro compendium ſimplicium medicinarū ex Galeno & alimentorum uires continentur, de plantis, de metallicis, de terrarū lapidumq́; generibus, de animalibus tum quadrupedibus, tum uolatilibus tum in aqua degentibus, de uniuerſis quæ alunt & quæ non alunt, de his quæ facile diſtribuuntur, quæ facile cōcoquuntur, quæ ſtomacho conferunt, quæ flatum non gignunt quę prompte corrumpuntur, de abſtergentibus, de incidentibus, & de appoſitis.

In tertio, de uarijs exercitijs, de concubitu, de ſanguinis miſſione, de purgantibus medicinis tam ſimplicibus, quàm cōpoſitis, de glandibus, de clyſteribus reliquisq́; priuatis inanitionibus, de cataplaſmatis, dropacibus, ſinapiſmis, rubificantibus, de aëris diuerſitate, de uentis, de aquis, de balneis tam naturalibus, q̄ arte paratis.

In quarto, de alendis infantibus, de uictu ſano ſequentiū ætatum uſq; ad ſenectutem, de laſſitudinibus tam à labore quàm ſpontaneis, de dignotione temperaturarum tam uniuerſalium quàm particularium, & de intemperamenti correctione.

In quinto iudicatio, prænotio, curatio febrium ephemerarum, ſynocharum & putridarum, & de accidentibus quę continuas febres ſequuntur: in quibus agitur, de deliquio animi, de ſyncopa, de uigilijs, de ſiti, & reliquis huiuſmodi, & de dulcibus potionibus ægro exhiberi ſolitis.

In ſexto quicunq; in cerebro, & capite cōſiſtūt affectus, de delirijs omnibus, de reſolutione uniuerſali, & particulari, de alopecijs quæ in ſupercie capitis fiūt, de caluitie, de uarijs puſtulis, de ægritudinibus naſi & aurium.

In ſeptimo, de uniuerſis oculorum ægritudinibus.

In octauo, de ſuperciliorum ornatu, de linimentis ad hypopia & liuores, de præſeruantibus faciem, & ſmegmata diuerſa & paſmata, id eſt, puluiſculi odorem corpori inferentes, de ephelidibus, id eſt, maculis quaſi à ſole contractis, de lentigine, ac reliquis circa faciem affectibus, de impetiginibus, de oris ac tonſillarū morbis, de aſperæ arteriæ, thoracis, pulmonis, cordis, & laterum affectibus.

In nono, de oris uentriculi, deq; ipſius uentriculi ægritudinibus, de colicis, cœliacis, dyſentericis, tineſmis & uermibus.

In decimo de hepaticis, ſplenicis, regio morbo, cachexia, hydrope.

In undecimo, de diabeta, de renum ac ueſicæ morbis, & de uenereis.

In duodecimo, de coxendicibus, de morbo articulari in quo acopa ad plurimos uſus deſcribuntur & malagmata, id eſt, mollientia linimenta ad reſolutionem.

In tertiodecimo de morſionibus animalium & feris quæ morſu uenenū inijciunt, de ueneno?is medicamentis, de antidotis plurimi uſus, de elephantiaſi, de pruritu, & ſcabie, de cicatricibus nigris, de utraq; uitiligine, de lepra.

In quartodecimo, de ſedis, pudendorū, ac ſcroti uitijs, de thymis formicis & huiuſmodi, & de ſimplicibus medicinis quę imponunt emplaſtris, de uulnerib. ſanguinolentis, de neruis uulneratis, de inflāmationibus, de abſceſſibus, de ulceribus recentibus, de diuturnis, de malignis, de canceroſis, de carbunculis, de eryſipelatib. de ulceribus quæ ſerpūt, de ampullis quas phlyctęnas appellāt, de intertrigine, de cōtuſionibus, de atritionibus, de plantarum digitorum & unguium affectibus, de uaricibus, de uena indica quam draeontion ſeu uermiculum uocant.

In quintodecimo, de œdematibus, ſcirrhis, ſtrumis, meliceride, ſteatomate, atheromate, & ganglijs, & de emplaſtris uarijs plurimorumq́; uſuum.

In ſextodecimo, de mulierum affectibus, de ſuffumigijs, & quorundam unguentorum confectiones foliatorum ſpicatorum, & de œnantharijs.

QVAE IN PRIMO LIBRO AETII AMIDENI CONTINENTVR.

Præfatio ex Galeno de quatuor ordinibus uniuſcuiuſq; ſimplicium medicamentorum generis, & quomodo ex guſtu odoratu & colore ſingulorum quis dignoſcatur.

Abrotanum 1
Abrotanũ uſtum 2
Anchuſa 3
Agaricum 4
Auena 5
Acacia 6
Acanthus 7
Acori radix 8
Aconitum 9
Aloë 10
Amaracus 11
Alyſon 12
Ameos 13
Amarantus 14
Amurca 15
Ampelopraſum 16
Amigdala amara 17
Ammoniacum 18
Amomum 19
Anagallis 20
Anemonæ 21
Anethum 22
Aniſi ſemen 23
Aparine 24
Ariſtolochiæ 25
Arachus 26
Ari radix 27
Artemiſia 28
Aſarum 29
Aſpalathus 30
Aſparagus 31
Aſphodelus 32
Abſinthium 33
Atriplex 34
Acini 35
Althea 36
Arundo 37
Auellana 38
Arbutus 39
Armeniaca 40
Acetum 41
Apium 42
Allium 43
Alga 44

B

Balſamum 45
Balauſtium 46
Bdellium 47
Blitum 48
Bulbus 49
Bugloſum 50
Bouis oculus 51
Bromus 52
Bryonia 53
Betonica 54
Braſſica 55
Braſſica agreſtis 56
Braſſica marina 57
Batis 58
Beta 59

C

Chamæmalum 60
Centunculus 61
Coria uetera 62
Cicer legumen 63
Cauda equina 64
Calamentum 65
Calamus aromaticus 66
Canabis ſemen 67
Capparis 68
Cardamomum 69
Caruum 70
Caſſia 71
Cedri ſpecies 72
Cedrinum oleum 73
Cedri baccæ 74
Caſtaneæ 75
Centaurium magnũ 76
Centaurium minus 77
Ceraſa 78
Ceratonia 79
Cera 80
Ciborium 81
Cinara 82
Caries 83
Cucumis hortenſis 84
Cucumis agreſtis 85
Cepa 86
Cardui 87
Cicerbita 88
Cinis 89
Calx 90
Chalbana 91
Chamædrys 92
Chamelæa 93
Chamæleuce 94
Chamæleon 95
Chamæpitys 96
Chelidonia 97
Chondrilla 98
Capillus ueneris 99
Ciſtarus 100
Ciſthus 101
Cnici ſemen 102
Cnidium 103
Colocaſij radix 104
Cucurbita 105
Colocynthis 106
Conyza 107
Coriandrum 108
Cornicis pes 09
Coſtus 110
Cocodrilis 111
Crocus 112
Cepa 113
Cyclaminum 114
Cyminum 115
Cupreſſus 116
Cyperus 117
Cicuta 118
Cytiſi folia 119
Coni fructus 120
Cicercula 121

D

Damaſonij radix 122
Dictamnum 123
Dorycnion 124
Dolichi 125
Dracunculus 126

Ebenus

E

Ebenus 127
Elaphoboſcum 128
Elleborus albus 129
Ellebori uirga 130
Empetrum 131
Epithymum 132
Eupatorium 133
Eruca 134
Eryngium 135
Ebulus 136

F

Fuſus agreſtis 137
Fuligo 138
Fermentum 139
Fumus terræ 140
Faba 141
Fuligo 142
Feniculum 133
Fungi 144
Ferulæ ſemen 145
Filicum radix 146
Ficus 147
Fœnogræcum 148

G

Graminis radix 149
Glans unguentaria (150
Gentiana 151
Gingidium 152
Glaucium 153
Glycyrrhizæ ſuccus 154
Gallæ 155
Gummi 156
Gluten 157
Gladioli radix 158
Geniſtæ 159

H

Helxine 160
Helenium 161
Helyma 162
Hedyſarum 163
Hemerocallis radix 164
Hypociſtis 165
Hedera 166
Hordeum 167
Hyacinthi radix 168
Hydropiper 169
Hyoſcyamus 170
Hypericum 171
Hyſſopus 172

I

Iuniperus 173
Irionis ſemen 174
Intubum 175
Iſatis inſertoria 176
Iſatis agreſtis 177
Iuncus 178
Iunci flos 179
Iunci 180

L

Lauri folia 181
Labrum ueneris 182
Lobi 183
Lupini 184
Lupinus erraticus 185
Lactuca 186
Lixiuium 187
Lilij flos 188
Libanotis 189
Liguſtici radix 190
Lini ſemen 191
Lichen 192
Lolium 193
Liguſtri folia 194
Lathyris 195
Lapſana 196
Limonium 197
Leontopodium 198
Lanceola 199
Lycium 200
Lyſimachium 201
Lotus domeſticus 202
Lotus agreſtis 203
Lotus arbor 204
Liquor cyrenaicus 205
Laſerpicium 206
Lentes 207
Lenticula 208

M

Muris auricula 209
Muſcus marinus (210
Moſchus 211
Mentha 212
Milium 213
Maza 214
Malobatrum 215
Mercurialis 216
Macetis cortex 217
Malua agreſtis 218
Mandragora 219
Maſticha 220
Melilotum 221
Mel 222
Meliſſophilum 223
Meſpilum 224
Medica 225
Meu 226
Mora 227
Muris auricula 228
Myrica 229
Myrthus 230
Moly 231
Marrubium 232
Myrrha 233

N

Naſturtij ſemen 234
Nux arbor 235
Nigella 236
Nardi ſpica 237
Nardus celtica 238
Narciſſi radix 239
Nerium 240
Nymphεæ radix 241

O

Olea 242
Oleum ex oliuæ fructu 243
Oleum ricininum 244
Oleum è ſemine lini 245
Oleum raphaninum 246
Oleum è populo 247
Oleũ amigdalinũ 248
Oleũ è iuglandibus 249
Oleum ex unguentaria glande 250
Oleum laurinum 251
Oleum ſeſaminum 252
Oleum lentiſcinum 253
Oleum lambruſcæ 254
Oleum de citonijs 255
Oleum roſaceum 256
Oleũ chamæmalinũ 257
Oleum anethinum 258
Oleum liliaceum 259
Oleum fœnugræci 260
Oleum narciſſinum 261
Oleum uiolaceum 262

Oleum laſina appella-
tum 263
Oleum myrrhinum 264
Oleum maſtichinum 265
Oleum ſtyracinum 266
Oleum ſycionium 267
Oleum metopium 268
Oleum mendeſium 269
Oleum megalium 270
Oleum amaracinum 271
Oleum liguſtrinum 272
Oleum irinum 273
Oleum nardinū cyzice-
num 274
Alia cōfectio nardini 275
Confectio ſalca adpel-
lata 276
Oleum foliatum 277
Vnguenta odorata 278
Oleum capniſton 279
Origani tertia ſpecies 280
Oryza 281
Orobus 282
Orobancha 283
Oſyris 284
Ocymum 285

P

Populi nigræ flo-
res 286
Portulaca 287
Piri folia 288
Pira agreſtiā 289
Plantago 290
Paſſulæ 291
Puleium 292
Pæonia 293
Paſtinaca 194
Phaioli 295
Pelles ouium 296
Panicum 297
Pruna recentia 298
Pruna agreſtia 299
Polenta hordeacea 300
Puls crimnon appella-
ta 301
Populus alba 302
Papauer 303
Papauer cornutum 304
Perſica mala 305
Pomorū differentiæ 306
Pancratium 307
Paliuri folia 308
Panax herculeus 309
Peplium 310
Pepon 311
Piper longum 312
Perſea 313
Perdicium 314
Petroſelinum 315
Peucedanum 316
Pix arida 317
Picis fuligo 318
Piceæ fructus 319
Piceæ cortex 320
Piſtacium 321
Platanus 322
Polygonum 323
Polemonia 324
Polium 325
Potamogiton 326
Polypodium 327
Porri capitati 328
Propolis 329
Pyrethrum 330
Punica mala 331
Palma arbor 332
Phaſeli 333
Phu radix 334
Pſyllium 335

Q

Quercus 336
Quinq; foliū 337

R

Rubi folia 338
Ranunculus 339
Rapæ ſemen 340
Rubiæ 341
Ricini fructus 342
Rumex 343
Ruta agreſtis 344
Ruta hortenſis 345
Rhamnus 346
Radicula quam raphani-
dam dicunt 347
Rheu ponticum 348
Reſinæ omnes 349
Reſina terebinthina 350
Roſarum uis 351
Rhododaphne 352
Rhu obſoniorum 353

S

Sedum 354
Spina alba 355
Spina Aegyptia 356
Sambucus 357
Sauina 358
Strigmentum balnei 359
Saluia 360
Serpillum 361
Senecio 362
Salicis folia 363
Sinapi 364
Sordes 365
Sagapenum 366
Sampſucus 367
Sarcocolla 368
Satyrium 369
Seris 370
Seſelis 371
Seſamum 372
Sideritis 373
Sium 374
Siſimbrium 375
Scordium 376
Scandix 377
Smyrnium 378
Stœchas 379
Struthium 380
Styrax 381
Symphytum 382
Sycomorus 383
Solanum hortenſe 384

T

Teda 385
Thapſia 386
Thlaſpis 387
Thymus 388
Thymbra 389
Thus 390
Thuris fuligo 391
Teſticulus canis 392
Teſticulus alter ſerapias
dictus 393
Triticum 394
Terebinthi cortex 395
Tithymalus 396
Tragacantha 397

Tribulus

Tribulus 398
Trifolium 399
Tuber terræ 400

V

VErbenaca 401
Vua 402
Viticis uirgultum 403
Vrticæ folia 404
Vitis alba 405
Vitis nigra 406
Vua taminia 407
Viſcum 408
Violæ folia 409
Vmbilicus ueneris 410
Violæ albæ 411
Vinum 412
Vlmi folia 413
Verbaſcum 414

X

XAntium 415

Z

ZEa 416
Zingiber 417
Zythus 418

FINIS

AETII AMIDENI MEDICI CLARISSIMI LIBER PRIMVS, IOANNE Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete.

De ſimplicium medicinarum facultatibus ex Galeno. Cap. I

PECVLIARIVM actionum uniuſcuiuſq; medica-
menti differentiæ pro gradu caliditatis,aut frigidita
tis, ſiccitatis,aut humiditatis, tenuitatis partiũ, aut
craſſitudinis ſingulorum ſumuntur, qui tamen gra
dus exquiſitiſsima ueritate attingi uel explicari nõ
poteſt:ſed nos eũ claris diſtinctionibus, & ad uſum
artis idoneis,complecti conabimur, unum eſſe me-
dicinarum genus indicãtes, quod ad ſimilem huma
nis corporibus temperaturam accedit , ubi ab ipſo-
rum calore initium quodpiam tranſmutationis ſuſ-
ceperit , aliud hominis caliditatem excedere, cuius
ordines quatuor ſeriatim ponendos cenſui. Primũ ſenſui adhuc latentem, qui ra-
tione indiget ut deprehendatur. Secundũ qui iam ſenſu percipitur. Tertium acri-
ter calefacientem,nondum tamẽ incendentem. Quartum planè iam exurentem.
ita & refrigerantium. Primus ordo ſola ratione diſcernitur. Secundus ſenſu iudi-
catur . Tertius citra extinctionem refrigerat . Quartus uero extinguit. eademq;
omnino ratio eſt humectantium atq; exiccantium. Diſponantur ergo inſignioris
doctrinæ gratia ordines iſti, & ſub ſingulis ordinibus peculiares medicinæ conſti
tuantur,ut ſub primo infrigidandi ordine, roſaceum oleum aut roſa ipſa colloce-
tur, ſub ſecũdo eiuſdem roſæ ſuccus,deſcripto deinde tertio ac quarto, pergamus
uſq; ad frigidiſſima,qualia ſunt cicuta,papaueris lachryma, ſuccus mandragoræ,
hyoſcyamus. In calidis quoq; anethum,aut fœnogræcum ſub primo ordine collo
cabimus. Sub ſecundo quæ talia eſſe iudicabuntur. Deinde per tertiũ ac quartum
ad ea quæ incendũt,progrediemur. Eodem prorſus modo in humectantibus atq;
exiccantibus incipiẽdo à temperatis per medios ordines extremum attingemus.
talis enim cognitio ad medendi diſciplinam non mediocriter confert. præexerce-
ri tamen guſtum oportet,& ſingulorum ſaporum differẽtias memoriæ commen
dare,ut quamprimum linguæ occurrat corpus quod uehementer exiccet, contra
hat,aſperitatemq; inducat uſq; in profundum penetrando, ſicut pira agreſtia im-
matura,aut corni baccæ,& huiuſmodi,ſciamus quicquid tale eſt acerbum nomi-
nari,quod eſt uehementer auſterum. Quæcunq; uero in attactu linguæ, nõ con-
trahunt,neq; conſtipant,ueluti adſtringentia faciunt , ſed cõtra potius abſtergũt
abluuntq;,hæc omnia ſalſa eſſe. At quæ magis adhuc abſtergunt,& tanquam ab-
radunt,amara appellari. Quæ mordent , & cum ingenti caliditate erodunt, acria.
Quæ abſq; caliditate mordicant,acida quidem dici , adeſſe uero & his quiddam,
quod effuſis in terram ferueat. Quæ autem ueluti ungunt,opplent, ſcabritiem re
primunt,& linguæ partes tanquã eroſas multa iocunditate pertingunt,ſcire opor
tet hæc dulcia nuncupari. Si uero eadem abſq; certa iucunditate fiant,pinguia di-
ci. ſi ergo certam acrimoniã ſcire uolueris ab alliјs & cepis aſſidue guſtando, plu-
rimumq; mandendo,exquiſita experientia petẽda eſt: ſi adſtringendi uim,quam
ſtypſin uocant, à galla,& rhu,ac ſimilibus quęrito: ſi amaritudinem,nitrum,ac fel
deguſtabis: dulcedinem à ſapa & melle explorato: ſi horum ſaporum mediũ quod

ἄποιον quaſi omnium qualitatum expers uocatur, noſſe malueris; aquam aſſumito præſertim quę ſinceriſſima ſit: in hac enim nullum omnino dictarũ qualitatum ſenſum percipies, neq; dulcedinis, neq; acrimoniæ, neq; aciditatis, neq; amaritudinis, ſed nec ullius excedentis caloris aut frigoris. Hinc auſpicatus facilius ad debilium ſaporum dignotionem peruenies, quos ego quidem appellare ſoleo mediocriter dulces. Alij uero quidam, aquoſos uocare malunt, qualis eſt uiridium arundinum, aut graminis ſuccus, frumentorumq; & hordei, aliorumq; multorum leniter dulcium. Quæ uero cum nullius certi ſaporis ſint, qualis eſt aqua pura, inter calidam & frigidam media, aut modice ad frigus declinans, habuerint ſimul non humidam ſubſtantiam, ſed ſiccam, hæc eſſe terreſtria oportet, immordaciterq; exiccare, taliaq; appellantur emplaſtica, ſicut amylum, & pleraq; metalla quæ exquiſitiſſime lota fuerint, ut pompholyx, ceruſſa, cadmia, cimolia, ſtella ſamia, & huiuſmodi. Quædam eorum nõ terreſtris tantum, ſed aquoſæ quoq; naturæ ſunt. Quędam & aëreæ nõnihil habent, uiſcida tamẽ omnia, & ideo emplaſtica. Nempe emplaſticarum medicinarum duplex natura eſt, altera terreſtris exquiſite & acida, altera uiſcida penitus tanquam quę ex aqua & terra & plerunq; ex aëre conſtet, ue luti oleum dulce. huic albumen oui ſimile eſt, niſi quod terreſtrius: pars quoq; lactis intra caſei ſpeciem contenta, emplaſtica, & ſuillus adeps: nam tauri, & hirci ſeuum acre eſt, & ſuillo adipe terreſtrius. anſeris & galli pinguedo calidior quidem ac ſiccior ſuilla, ſubtilium tamen partium & minime terreſtris eſt. Adipes ergo niſi acrimoniam habuerint, emplaſtici omnes ſunt, & meatibus impinguntur: præſertim qui aridiores terreſtrioresq; fuerint. His etiam cera lota annumeratur. Tales ſunt emplaſticæ medicinæ. At quæ adſtringunt terreſtres ſunt frigidæ, & craſſioris ſubſtantiæ, acidæ tenues partes habent, ſed in frigiditate adſtringentibus ſimilantur. Quæ uero terreſtri ſapore colliquant, cogunt exiccantq; ſolidas linguæ partes, ſi aſperiores fuerint, acerbæ uocantur, ſin mitiores, auſteræ. Atq; horũ quidem ſaporum qualitatem frigidam recte dicimus. Quoniam uero inæqualiter exſiccant (id enim exaſperare eſt) propterea terreſtres iudicandi ſunt: nam quicquid aqueũ eſt, corpora æqualiter penetrat, & diuulſum, rurſus facile cogitur. Terreũ cõtra, diuulſum ægre coit. comprobabit hæc ſenſus, ſi obſeruabis acidum quidem ſaporem, ſenſibilia membra uelociter penetrare, tarde autem qui acerbus eſt. acida in profundo corporis agunt proficiuntq;, acerba in ſuperficie magis pollẽt. ubi uero ſinceræ acerbitatis actionem experiri uolueris, occurratq; guſtanti tibi acerbum ſimul & mordax, hac protinus ſpecie omiſſa acerbum ſine mordacitate perquirito: ſed ab aciditate quoq; & dulcedine & amaritudine, reliquiſq; omnino liberum eſſet oportet, & quàm maxime fieri poteſt, nullã qualitatẽ uirtutem ue adſtrinctioni commixtam præſeferre. uanum enim ac ſuperuacuum talem medicinam ad experimentum producere, in qua non conſtet utrum adſtrictione, an alia qualitate ſibi permixta, an utraq; ſimul oblatum corpus afficiat. chalcitis ergo, miſy, atramentum ſutorium, æris ſquamma, ſori, & ad hæc pictorũ armeniacum, & argentum uiuum, milleq; huiuſcemodi adſtringentia ſimul & mordicantia, utranque qualitatem occurrentibus corporibus imprimunt: incompertum tamen relinquunt utrum ob adſtrictionẽ ardor ille inuehatur, an ob acrimoniam. nam ſi hæc medicamenta intra corpus ſumantur cum craſſiorum partium ſint ac uirtute calidiora, tranſmutatione interius facta ſenſim igneſcunt, ut in morem candentis ferri, aut lapidis ulcerent incendantq; uentriculi partes, ita ut ob inſitam grauitatem ne digeri quidem poſſint. Præſtat igitur alia, atq; ſubinde alia multa deguſtando adſtringentem ſaporem ſincerũ, & à reliquis omnibus quàm maxime ſeparatum inueſtigare: quem ubi inueneris his quas audiuiſti uijs & rationibus medicamentum

tum mature iudicato: ut ſi guſtanti tibi occurrat balauſtiū, aut galla, aut mali pu/
nici flos,aut hypocyſtis,aut acacia,aut rhu,ſeu tale quidpiam exquiſite acerbum,
nullam aliam manifeſtam qualitatem præſeferens,recenſeto in iſtis experitorꝗ di
ligenter adſtrictionis operationem . acerbum itaꝗ corpus terreſtre & frigidū eſt
exolueturꝗ neceſſario tripliciter,uel calefactum uel humefactum,uel ſimul utro/
que modo. ſi igitur tantum incaluerit non erit humidius aut mollius,ſed durū qui
dem perſiſtet, dulcedinem tamē acquiret,quemadmodū quercuum glandes,præ/
ſertim quæ caſtaneæ nuncupantur. ſin humeſcat tantū,craſſiorisꝗ ſimul & aquo/
ſæ ſubſtantiæ humiditas fuerit,auſterus gignitur ſapor. ex acerbo enim diſſoluto
auſterus fit:nam omnem ſaporis uim aqueus humor obtundit. At ubi tenuis ſub/
ſtantia & aërea himiditas ſit, aciditatē producit: nempe aciditas à frigido tenuem
ſubſtantiam habente originem trahit: ſin humectetur ſimul atque incaleſcat, cum
aqueo humore in dulcedinem deſinit,cum aëreo ſapor,quem pinguem appellaue
rim,generatur . Omnes enim fructus qui matureſcendo dulces euadunt, recenter
nati acerbi aridæꝗ ſubſtantiæ ſunt,penes ſinguli cuiuſꝗ naturam,progreſſu tem
poris magis humeſcunt . & quidam eorum aciditatem cum acerbitate aſciſcunt,
quā poſtea ſenſim exuendo acquiſita maturitate dulces efficiuntur:quidam ne in
arboribus quidem maturantur, ſed diuulſi à matre poſt tempus dulceſcunt . non/
nulli nec per mediam aciditatem,ſed extemplo ab acerbitate ad dulcedinem tran/
ſeunt,ut oliuæ. omnes tamen calore maturantur,qui natura duplex eſt, peculiaris
innatusꝗ ſingulorum, atꝗ extrinſecus à ſole comparatus. At qui initio acerbio/
res,poſtea in maturitate dulces fiūt, illis à caliditate dulcedo, à frigiditate aciditas
& acerbitas ineſt. Iam ergo conſtat quemadmodū fructus cum primo omnes acer
bi ſint , procedente tempore, quidam dulces; quidam acidi, quidam auſteri fiant,
nonnulli in acerbitate perſiſtant,nonnulli ad pinguem ſaporem uertantur. ſed ha/
rum quoꝗ qualitatum permixtione, infinita propè uarietas oritur . Acerbæ uſꝗ
in finem perdurāt, ilicis,arbuti,& corni baccę aliaꝗ huiuſcemodi,quod ſcilicet fri
gidæ ac ſiccæ,quales ab initio fuerant, perſeuerent reliquarum omnium mutatio/
num,præter incrementi,expertes. Acerba ſimul & dulcia ſunt agreſtia pira,myrti
baccæ,quercea glans: auſtera tantū amineæ uuæ earundemꝗ uinum,& quæcun/
que his aſſimilantur, Auſtera cum dulcedine palmula eſt, & uinum ſurrentinum,
& quæcunꝗ mixtam habent adſtrictioni dulcedinem. dulce tantum theræum ui/
num eſt,& ſcybelite & ſiræum quod ſapam uocant,& his ſimilia. Pinguē ſeu fru/
ctum, ſeu ſuccū exquiſitiſſime ab oliua perpendes, & à cæteris, ex quibus oleum
conficitur. Quemadmodum uero acerbus ſuccus primo dulcior fit, deinde acrior
quoꝗ & amarior,& tandē planè amareſcit,ita & refrigeſcēs ſuccus primo acidior
euadit,poſtea ſi exquiſite frigeſcat,confeſtim aceſcit. Demū fructus qui reponun/
tur,ſi humore redundant, aut aliunde aquam excæperint,à quacunꝗ parua occa
ſione facile aceſcunt. uua ante maturitatem acerba,dulcedinem cū maturitate ac/
quirit. conſtat igitur omnium fructuum maturitatem à ſolis caliditate proficiſci,
ut ſemper imperfectior frigidiorꝗ aceſcat , perfectior calidiorꝗ dulceſcat . Ideo
ubi uinum refrigeratū aceſcit, nemini dubium eſt ad eandem ſaporis naturam re/
uerti, unde profectum fuerat, ad aciditatem inquam quam in uua immatura poſ/
ſederat. hoc enim tantum differt acetum ab uuæ acerbæ ſucco,quod illi ex putre/
dinis calore acumē acceſſerit,qualem calorem ſuccus uuæ acerbę non habet,pro/
pterea & aceti acrimonia caret. eadem cauſa acetum ſucco uuæ acerbæ ſubtilio/
res partes habet,ut ſenſus quoꝗ rationi atteſtatur. Acrimonia tamen aceti frigidi
tatem ab aciditate remouere nō poteſt,licet penetrandi facultatem augeat. Quan
to enim calidum frigido penetrabilius,tanto acris aceti ſapor ſenſibilium corporū

meatus facilius pertranſit, ut acre quidem præueniat iter, frigidum uero nõ multo
poſtea ſubſequatur. hinc confuſus ſenſus & male explicabilis, acetum abſolute fri
gidum pronunciari non ſinit. percipimus enim in eo quandam acrimoniam calo-
rem inducentem, quam ſubſequẽs aciditas ſtatim obſcurat, extinguitq́; quamob-
rem longe magis frigiditas, quàm calor deprehenditur. Nempe æſtatis tempore
poſcam bibentes aliqui extemplo refrigerantur, ac ſine ſiti perſiſtũt. Cum uero ſi-
tis duobus modis contingat, uel ob humiditatis indigentiam, uel ob caloris exu-
berantiã, ei quæ ſit à calore, nõ ei quæ à ſiccitate poſca ſuccurrit. humectare enim
acetum nõ poteſt, ſed egregie refrigerare. Haud ergo in ſicca diſpoſitione, neq; in
calida & ſicca ſimul, potum acetum ſitim extinguit. Vbi uero caliditas cum humi
ditate conuenerint, haud facile inuenies præſidium aceto compar quod talem re-
primat ſitim. cæterorum autẽ ſitientium ſiue ob ardentes febres, ſiue ob alios adu
rentes morbos, ſiue ob æſtiuum feruorem, diſpoſitio compoſita eſt ex caliditate,
& ariditate. Propterea & illis haud iniuria compoſito auxilio ſuccurritur. Acetũ
itaque eximie refrigerat, & facillime partium ſubtilitate pertranſit. Aqua præter
quod infrigidat omnium quoq; humidiſſima eſt, nihil enim aqua humidius. In ar-
dentibus tamen hypocondrijs uuæ acerbæ ſuccus extra illitus, aceto præſtat, tum
quod neq; uiolentam, neq; obtundentẽ frigiditatem, tum quod caliditatem per-
mixtam non habet. Indigent enim hypocondriorum ardore affecti exterius refri-
gerari his, quæ nulla prorſus mordaci acrimonia infeſtare queant. uuæ ergo acer-
bæ ſuccus nõ acidus tantum eſt, ſed acerbus quoq;. omnes enim ferè arborei fru-
ctus, ut paulo ſupra dixi, primo ortu acerbi fiunt. Acidum uero, acerbum, & auſte
rum, omnia frigida ſunt, quamuis in reliquis differãt. Nam ſi quis citonia aut myr
ti baccas, aut meſpila guſtauerit, clare percipiet, alium ſenſum in lingua ab acidis
fieri, alium ab acerbis, alium ab auſteris. Acerba enim retropellere membrum ui-
dentur, quod ex quacunq; parte æqualiter tangunt, tanquam exprimentia incul-
cantia, & cogentia. Auſtera profundum ingredi uidentur, & aſperum quendam
inæqualemq́; ſenſum inuehere, atq; exiccando omnẽ ſenſibiliũ partiũ humidita-
tem extrudere, ut omnino diuerſa ſit affectuũ proprietas, nobis impreſſa ab acer-
bis & auſteris ſaporibus, quę nõ facile explicari queat. Quicũq; tamẽ ab his quę
ſupra docui exorſus fuerit, haud ægre rem totam percipiet. ego ſanè omne acer-
bum corpus à reliquis qualitatibus immune, ſemper frigidum inueni, ſicut omne
dulce, calidũ, quamuis humanũ calorem immoderate nõ excedat. ſed quemadmo
dum calidæ aquæ occurſantes præſertim algore affecti gaudemus, donec corpo-
ris membra à frigore contracta explicentur, at ubi iam diſſoluit & corporis conti-
nuitatem ſeparat, nõ illud amplius iucundum uel utile eſt: ita & omne dulce edu-
lium, calidum quidem exiſtit: nõ ad id tamẽ caliditatis acceſſit, ut offendat, ſed in-
tra fines diffundentis, adæquantis, mollientisq́; ſiſtitur. omnia enim alimenta co-
gnata totisq́; ſubſtantijs familiaria his ſunt quæ aluntur, quod eſſe nequit abſque
temperata caloris proportione, ad id quod nutritur. hac ratione euenit ut uniuer-
ſis hominibus eduliorum medicinarumq́; ſpecies una nõ ſit, cũ iuxta peculiarem
ſingulorũ ſubſtantiam & affectũ delectent, ac proficiant. Quæ cũ ita ſe habeant,
quæ minus dulcia ſunt minus quoq; calida erũt. Quod uero magis dulce, tanto ca
lidius, quanto dulcius: quod ſi ad exceſſum caliditatis peruenerit, iam nõ dulce ta-
le, ſed amarũ euadet, ſicuti mel uel antiquatũ, uel plus æquo decoctum, & reliqua
dulcia. Quæ enim nutritorũ temperaturis aſſimilantur, abſq; decoctione & condi
mento planè dulcia offeruntur. Quæ diſcrepant, omnia quidem ante conditurã
ingrata, quorũ quæ calidiora ſunt frigidis corriguntur, quæ frigidiora igne & cali
dorum mixtione temperantur. Eadem ratione humore caſtigantur quæcunq; ter-

reſtria

reſtria ſunt & ſicca, ſiccitate uero humidiora & aquoſa. porrò ſicut dulci magis
aut minus caloris ineſt, ita neceſſario plus minus ue humoris inerit. Quod autem
aſſationis nimictate in calcis aut cinetis morem amareſcit, neceſſe eſt calidum &
ſiccũ euadere. Ideo amara uniuerſa apta ſunt ad abſtergendos, pertundendos, inci-
dendosq; uiſcidos ac craſſos humores, quemadmodũ cinis aut nitrũ. Et quoniam
amarus ſapor calidus ſiccus terreſtrisq; eſt, propterea amara minime omniũ pu-
treſcunt, neq; prorſus uermes, aut alia id genus animalia producũt. Qualia multa
in radicibus, herbis, ac fructibus paſſim naſcuntur. Hinc ratiocinari licet, cũ in hu-
midis corporibus præcipue uideamus uermes & putredines fieri, omniaq; exqui-
ſite amara, ita appello quæ nullam aliam habent qualitatẽ, ab cunctis animalibus,
non ab homine tantum in cibo abhorreri: omne quidem animal humidum magis
aut minus exiſtere, arida uero eſſe amara uniuerſa cineri ac calci ſimilia. Quem-
admodum igitur omne exquiſite dulce alit, nullumq; pure amarũ alit, ita quæ me-
dia ſunt extremorum propinquitate iudicantur. At ſalſedo amaritudini proxime
accedit. utraq; enim terreſtris & calida, nõ obſcura tamen differentia ſeparantur.
nam amarum tenues partes habet, magisq; à caliditate & ſiccitate confectum eſt.
Ita & ſalis genera quanto duriora denſiora ac magis terreſtria fuerint (ferè autem
tale uniuerſum foſſile eſt) tanto minus calidæ & ſubtilis ſubſtantiæ ſunt. ſed friabi-
le & laxum tenuiorũ partium & uirtute calidius eſt, imò & quandoq; ſubamarũ
ancipitis quodammodo naturæ inter durum ſalis genus & aphronitrum. Nam ſi
quod ſalſum eſt ulterius caleſeceris protinus amareſcet. ita aſphaltidis paludis a-
qua quod mare mortuum uocant, in conualli & feruenti loco cohibita, ſolaribus
peruſta radijs amareſcit. Qua ratione amarior ſit æſtate quàm hieme: & ſi hauſtã
aliquis æſtiuo tempore in concauo uaſe ſolis feruori oppoſuerit, amarior illico ſe
ipſa reddetur. Ergo in ea aqua neq; ullum naſcitur animal, neq; planta, imò cũ am-
nes in ipſam fluentes plurimos ac maximos piſces alant, præſertim propinquus
Hiericon quem Iordanem appellant, nullus omnino piſcis fluuiorum hoſtia egre-
ditur. Quos ſi quiſpiam uenatus in ſtagnum proiecerit, confeſtim uidebit extin-
ctos, propterea mortuam paludem, ſeu mare mortuũ uocãt. Adeo exquiſite ama-
rum cunctis animalibus & plantis infeſtum eſt, ſqualidũ & exareſcens natura ue-
luti fuligo aduſtione generata. Hactenus de ſuccorum amarorum uiribus ſatis di-
ximus, aſſerendo uim illis ineſſe abſtergendi, incidendi, attenuandiq;, & eo uſque
calidos exiſtere, ut adhuc nõ incendant. Ad acres ergò orationem uertamus, quos
primo exquiſite calidos eſſe affirmamus, mox erodentes exurentesq;, & extra cu-
ti illitos, cruſtam inſerentes, & colliquantes. Qui uero intra ſumuntur quicunque
totam ſubſtantiam certis quibuſdam animalibus infeſtiſſimam habent, corrum-
pere eos dicimus illa animalia atq; interficere. quemadmodũ cantharis & bupre-
ſtis hominem perimunt. At qui ſola caloris nimietate pollent, ſi craſſiores terre-
ſtresq; ſunt, ueluti auripigmentum & ſandaracha & huiuſmodi, ulcerant uniuer-
ſi, ſi interius ſumantur: ſed ſi tenuioris ſubſtantiæ fuerint qualia ſunt cõſueta ſemi-
na, daucus, aniſum & ſimilia, urinam ac ſudorem prouocant: utq; ſummatim di-
cam, incidendi diſcutiendiq; uim habent. conferunt & quidam eorum excretioni-
bus pectoris, & menſium fluoribus. Prætcrea omnes ſucci acres, nõ ſolum ualido
calore ab amaris diſtingui uidenẽ, ſed quòd amari haud tantũ calidæ temperatu-
ræ ſunt, uerũ etiam ſiccæ cineri ſimiles: ſed acribus, qui modo non ſimul amari fue-
rint, plurima interdum humiditas commiſcetur, propterea acria non pauca come-
dimus. Cæterum quoniam de ſaporibus quod ſufficit diſputauimus, reliquum eſt
ut de uaporibus quoque dicatur. Plerique enim uapores ſaporum modo nos affi-
ciunt. nam & acida omnia, ipſumq; acetum odoratũ, & guſtũ ſimiliter excitant.

Item acria ſicut cepe, allia, & huiuſmodi, nõ minus naſum quàm palatum irritant. Ita & ſigillatim reliqua penè omnia guſtandi & odorandi ſimiles ſenſus inuehũt, ut quorundam corporum quæ nunquam guſtarimus, ueluti fimi qualitatem nouiſſe arbitremur, & ab hoc principio auſpicati non aliter guſtu attentamus, quod ſatis ab odoratu compertũ credimus. ſic & bene olentes dapes, ſi forte putruerint, odore ſat indicante, ſine alio guſtus periculo confeſtim abijcimus. deniq; in omnibus propè conueniunt odoratus & guſtus. & cum ſub duas appellationes pleraq; odorabiliũ cõcludamus, aut odorata, aut fœtida nuucupando, odorata dulcibus, quæ à lingua percipiuntur proportione reſpondẽt, fœtida uero his quę dulcedine carent. cæterum ueriſimile eſt ab his corporibus quæ nihil olent aut omnino perexiguum quid effluere, aut mole ipſa inconcinnum: ueluti ſalſis, magisq; acerbis euenit. craſſior enim & frigida ſubſtantia acerborũ eſt, ut nil mirum ſit, exiguum, craſſum, & terreæ molis eſſe quicquid ab illis defluit, ideo neq; in reſpirationibus cerebro occurrere: qua ratione nec tutum eſt ex odore de ipſorum temperamento quippiam conijcere, ueluti ex guſtu licet. Quæ enim inodora ſunt, craſſas quidem ſubſtantias habent: at nondum liquet quid de caliditate aut frigiditate iudicetur. odorata uero tenuis ſubſtantię & calida eſſe conſtat: quantum uero tenuia, aut calida ſint, nõ amplius ab odore deprehenditur, ſed à guſtu. cauſa autẽ, cur nihil certi de temperatura ab odore indicetur, ſubſtantiæ inæqualitas eſt. ſicut in roſa nõ omnes ipſius qualitates ex odore conijci poſſunt: in guſtu uero omnes ſimul partes linguæ offeruntur, & ſingulæ ſeorſum iuxta peculiarem cuiuſq; naturam ſenſum mouent. ut acerbum ſeparatim percipiatur, craſſum terreſtre & frigidum, deinde amarum tenue & calidum, & cũ his aquea pars quæ neceſſario frigida eſt. Non igitur tuto ueluti diximus, de ſimplicium medicinarum facultatibus ab odore coniectamus, & à colore multo minus. In ſingulis enim coloribus calida & frigida, humida & ſicca inuenies: fieri tamen poteſt, ut in ſingulo quoq; ſeminum, radicum, & ſuccorũ genere quippiam etiam à colore indicetur. ut cepe, ſcilla, uinũ, quæ quanto candidiora tanto minus calida ſunt. ſubruffa uero & fulua magis caleſcunt. Triticum etiam, ochri, phaſeli, cicer, iris, aſphodeli, & multorum huiuſmodi radices, idem omnino patiuntur. Atq; in omni penitus genere quæcunq; fulua, ruffa, aut rubea ſunt, albis magis calefaciunt. Quapropter ſi quippiam hinc quoq; ad medicinarum uim perdiſcendam mutuari poteſt, reliquæ orationi annectendũ puto. Optimũ quidẽ eſt ut ſæpe diximus, demonſtramusq;, à diſtincto experimento ſingulorũ uirtutes inueſtigare: neq; enim ab hoc falli potes. Ante experimentũ tamen quoq; plurima indicabit guſtus, nonnihil ſimul adiuuante odoratu. Horũ uero omnium ſicut & aliorũ quorundam utiliſſimorũ ſummatim compendiũ faciam, numerando pro uirili ſpecies, & cõmunes ſingulorũ uirtutes actionesq; explicando. & quoniam medicinarum quædam ex animalibus ſumuntur, quædam ex plantarum ſeminibus, liquoribus aut ſuccis, quædam ex metallicis, ſatius mihi uiſum eſt de plantis prius diſputare, nõ de uniuerſis totius terrarũ orbis, ſed de his tantum quas experimento compertas habemus, quarũ ingens copia, & uirtus potẽtiſſima eſt: inde de metallicis dicemus, poſtea & ad partes animaliũ accedemus.

A

Abrotonum uirtute calidum & ſiccũ eſt, tertio ordine à temperamento excedens, guſtu amariſſimum: quem ſaporem oſtendimus, quoniam ex terreſtri ſubſtantia plurimo calore attenuata generatũ, egregie calefacere & exiccare. ideo oleo in quo herbæ coma cum floribus decocta fuerit, ante acceſſionem illito in febribus per circuitus algorem inferentibus, minus algoris fieri. eiuſdem decoctum bibitũ aut per clyſterę infuſum uermes potentius abſinthio interimit: minimæ

adſtrictionis

adſtrictionis abrotonum particeps eſt, propterea ſtomacho nocet. huius ſpecies duæ mas & fœmina.

Abrotonum uſtum calefacit & exiccat longe magis colocynthide arida & anethi radice exuſtis: hæ enim ulceribus humidis ſimul & abſq; inflammatione callũ obducentibus, cõgruunt: ideo ulceratæ uiriliũ glandi maxime opitulantur. uſti uero abrotoni cinis mordacitatẽ ulceribus uniuerſis infert: quapropter oleo cõmuni antiquo, aut ricinino, aut raphanino, madefactum alopecijs medetur.

Anchuſæ quatuor non eiuſdem omnes facultatis ſunt. Quę enim onoclea nuncupatur adſtringentem ſimul & amaram radicem habet, ut condenſare corpora & moderate attenuare & abſtergere, & abluere bilioſos ſalſosq; humores poſſit. Vnde regio morbo, lienis renumq; uitio laborantibus confert, nec parum refrigerat, ideo cum polenta illita eryſipelati medetur. Poſita exterius abſtergit, ut uitiligines & lepras cum aceto emendet. folia herbæ radice quidem debiliora ſunt, non omnino tamen exiccandi, adſtringendiq; uiribus carent: quapropter uentris profluuia è uino bibita ſiſtunt. Quæ uero lycapſus dicitur, eryſipelati congruit, habetq; adſtringentem radicem magis quàm onoclea. At quæ alcibiadica uocatur medicamentoſior eſt, & ad uiperæ morſus uehementer facit & illita, & comeſta. Quarta propè ſine nomine alcibiadicæ ſimilis eſt, amarior tantum & adhuc magis medicamentoſa: propterea uermes interficit, acetabuli menſura cum hyſſopo & naſturtio pota.

Agaricum calefacit & incidit ac uiſcerũ obſtructiones expurgat. Ideo regio morbo ob hepatis obſtructionem laborantes ſanat, confert & epilepticis, ac algoribus febrium, quæ ob craſſos lentosq; humores fiunt. Item morſui ac puncturæ ferarum letali frigiditate lædentium, ſiue extra loco affecto applicetur, ſiue intra ſumatur: ſed & drach. 1. pondere è uino bibitum corpus euacuat.

Aegilops quam quidam Auenam putant, diſcutiendi uim habet. Ideo induratas inflammationes, ægilopas & alopecias curat.

Acacia tertij ordinis eſt exiccantium, ſecundi uero refrigerantium, ſi tamen lauetur. Illota enim primum ordinem nõ excedit. nam cum diſſimilarium partium ſit, partes quaſdam diſperſas habet tenuiores & calidas, quæ lotione auferunt.

Acanthi, quem etiam melanphyllon, & pæderota appellant, folia mediocrẽ diſcutiendi uim habẽt. Radix exiccatoria & leniter inciſoria tenuisq; ſubſtantiæ eſt.

Acori radix tertij ordinis calefacientium eſt, ſubſtantiæ tenuis: propterea urinam cit & ſpleni indurato confert. huius ſuccus tunicæ oculorũ quam corneam uocant antiqua ulcera abſtergit expurgatq;.

Aconitum ſeu pardalianches agreſti cichorio ſimile corrumpentis deliburoriæq; facultatis eſt, ideo obſeruandum, ne cibis aut potui miſceatur. ad putredinem tamen inducendam, ſiue in ſede ſiue in alia quadam corporis parte utiliter adhibetur. Ad quem uſum radix excellit. Huius herbæ ſucco pilorum ortum prohiberi ferunt.

Aloe inter exiccantes medicinas connumeratur, in calore autem ſecundi ordinis intenſi eſt, aut tertij remiſſi. in guſtu moderate adſtringit ſed ingenter amareſcit: uentrem ſubducit, eſtq; una è medicinis quas encoproticas quaſi fimi expultrices uocant. ſtomacho egregie confert, ſinus cõglutinat, & ulcera quæ uix ad cicatricem ducuntur ſanat, præſertim quæ in ſede, ac pudendis fuerint, quoniam ſine eroſione exiccat. confert & earundem partium inflammationibus, ſi aqua diluatur, eodemq; pacto uulnera obducit, atq; oris & naſi, & oculorũ inflammationes compeſcit. utq; ſummatim dicam, reprimit ſimul ac diſcutit, & nonnihil abſtergit, ita tamen ut ne pura quidẽ ulcera offendat. Præterea oculis

iugiter humeſcentibus, præſertim puerorũ mirifice opitulatur, ſi modica aqua ad craſſiorem ſubſtantiam ſoluatur & nucleo ſpicilli angulis imponatur.

Amaracus haud ingnaue quidem calefacit,ſed non multũ exiccat;eius calor tertij ordinis eſt,ſiccitas ſecundi.

Alyſon eſſe aiunt quam heracleam ſideritim uocant,quæ ubiq; prope ſemitas uíarum purpureo flore naſcitur,ſolío craſſo, ita uocatam quod rabidi canis morſibus mirum ímmodum cõferat. uim habet mediocriter exiccandi diſcutiendiq; quadantenus etiam abſtergeris, ut uitiligines & maculas quaſi à ſole contractas emendet.

Amieos ſemen plurimo uſui eſt, tertio ordine calefacit & exiccat, tenuis ſubſtantię guſtantibus ſubamarum & acre,propterea urinam prouocat & per halitum digerit.

Amarantus attenuandi incidendiq; uim habet,ergo ipſius coma è uíno pota menſes ducit,ſanguinis etiam grumos liquare creditur, non in uentre tantũ ſed etiã in ueſica,è uino mulſo bibita,omnes defluxus exiccat,ſtomacho tamen nocet.

Amurca oleí ſeu ſex ſecundi ordinis eſt intenſe caleſacientium,atq; exiccantium, propterea ulceribus medetur eorum corporum quæ à prima origine ſicca fuerint.reliqua omnía irritat.

Ampeloprasum mediæ quodammodo uírtutis inter allíum porrumq; eſt. magis tamen ſtomacho nocet quàm porrum hortenſe, magisq; tenuium humorũ incíſiuum, & obſtructorum ínſtrumentorum aperitiuum: quapropter urinas ac menſes ſæpe prouocauit:ubi à lentis craſſisq; humoribus detinentur.

Amigdala amara manifeſtam attenuandi uirtutem habent, ut ephelidas abſtergant,& ad craſſos uiſcidosq; humores è pectore & pulmone excreandos haud mediocriter conferant: imò & hepar,lienem,colon,renes,aperiũt & expurgãt. dolores laterum ſedant,totaq; ipſa arbor conſimiles uires poſſidet.ut illius quoque radices decoctæ,& illitæ ephelidas detergant. amígdala dulcia omnino imbecílliora ſunt amaris.

Ammoniacum thymiama uehementer mollientis facultatis eſt,ut etiam articulorum callos,quos poros uocant,& induratos lienes & ſtrumas diſcutiat.

Amomum uíribus acoro aſſimilatur,hoc tantum differunt quòd acorus magis exſiccat,amomum magís maturat.

Anagallis utraq; & quæ purpureo, & quæ rubeo flore eſt,abſtergendi uí pollent, habentes quidpiam ſubcalidi, & attractorij,ut ſurculos impactos auellant.ſuccus ipſarum è naribus caput eadem ratione purgat.utq; ſummatim dicam,ímmordacem exiccandi uirtutem habent; unde uulnera glutinant, & putridis ulcéribus conferunt.

Anemonæ omnes acrís attractoriæ abſterſoriæq; facultatis ſunt,unde radix commanducata pituitam prouocat,& ſuccus è naribus purgat,& oculorum cicatrices attenuat.prorſusq; ſordida ulcera detergunt anemonæ, & lepras ſiſtunt.& appoſitæ menſes elíciunt,& lac prouocant.

Anethum tantum calefacit, ut ſecundum ordinem attingat, aut primum integre occupet.ſimiliter & exiccando aut ſecundi gradus eſt inchoantis,aut primi deſinentis. ſi oleo decoquatur diſcutit,dolores ſedat, & ſomnum conciliat. maturatq; crudos, & maturationi renitentes tumores . uſtum tertio ordine calefacit & exiccat.propterea ulceribus flaccido humore madentibus cõfert, præſertim in pudendis.nam quæ in præputio ſunt,ad cicatricem perducit.humidius omnino, & minus calidũ quod uiride eſt, boniq; ſucci exiſtens, ideo magis quàm ſiccum maturat, & ſomnum conciliat. ſed minus diſcutit.

Aniſi ſemen plurimo uſui eſt acre & ſubamarum exiſtens, ut propè iam ad cauſtica, id eſt, adurentia accedat: tertio enim ordine calefacit & exiccat, ideo urinam prouocat, & per halitum diſcutit, flatusq́ uentris compeſcit.

Aparine quam & philanthropon uocant, moderate abſtergit exiccatq́, habet & tenuis ſubſtantiæ quidpiam.

Ariſtolochiæ radix ad medicamentorũ uſum celeberrima, amara & ſubacris eſt, tenuiſſimæ uero ſubſtantiæ rotunda exiſtit, & prorſus potentior reliquis: propterea ad craſſos humores uehementer attenuandos rotundam quęrimus, ad doloresq́ remouendos, qui ob obſtructionẽ uel crudi flatus craſſitiem infeſtent. ſurculos etiã infixos euocat, & putredines curat, ſordidaq́ ulcera extergit, dentes & oculorũ cicatrices exterit. bibita ex aqua confert ſuſpirioſis, ſingultientibus, epilepticis, podagricis: nam ad rupturas & cõuulſiones inſigni præ cæteris remedio eſt. Reliquarũ duarum altera clematitis quaſi ſarmentoſa uocata, odoratior, ab unguentarijs expetitur, ad uſum medicinæ imbecillis: altera longa minus quidem quàm rotunda tenuis ſubſtantiæ eſt, nõ omnino tamen inefficax: habet enim & abſtergendi & calefaciendi uim, ideo ulcera incarnat, & ad uterorum fomenta experitur utilior.

Aracus ſemen eſt cicerculæ uſu & uirtute ſimile, durior tantum, & ad conficiendum ſtomacho magis reſiſtens.

Ari radix primi ordinis eſt calefacientium & exiccantium, uirtutem abſtergendi habet non tamen dracontio æqualem, quæ comeſta humores craſſos mediocriter incidit, propterea excreationes thoracis adiuuat. paratur draconti more elixata, ad quemuis tamen uſum illo imbecillior.

Artemiſiæ utræq́ ſecundo ordine calefaciunt & primo exiccant, aut ſecundo inchoante, tenuisq́ ſubſtantiæ ſunt: quapropter ad renum calculos congruunt & ad fomenta uterorum.

Aſſari quam nonnulli perpenſam uocant radices uſui ſunt acoro uirtute ſimiles, potentiores tamen: ergo quæ de illo diximus, ad iſtas referri oportet.

Aſpalathus ex diuerſis uiribus conſtat acribus & adſtringentibus, acribus calefacit, acerbis refrigerat, utriſq́ exiccat: ideo ad putredines, & fluxiones, utilis eſt, ac decocto eius ex uino putreſcentes gingiuæ congrue abluuntur.

Aſparagus ſaxatilis uel myacantha quaſi ſoricalis ſpina, abſtergendi ui pollet, neque tamen manifeſte calefacit, uel refrigerat: propterea renũ, & hepatis obſtructionibus conuenit, radices præſertim ac ſemen; cumq́ ſine calore exiccet, conſtat doloribus dentium mederi.

Aſphodeli radice, quem etiam albucum uocant, utimur quemadmodum arò & dracunculo. abſtergendi diſcutiendiq́ uires habet. ergo ſi uino albo antiquo elixetur huiusq́ uini cyathus ieiunis poſt balneũ bibat̃, detentos mẽſes illico prouocat. eiuſdẽ aduſtę cinis, cũ calidior tenuiorisq́ ſubſtãtię ſit, alopecijs medet̃.

Abſinthium primo gradu calefacit, tertio exiccat. ſuccus herba multo calidior. particeps quoq́ abſinthium eſt pręcipue ponticum adſtrictionis minime obſcurę: ideo abſtergit, roborat, exiccat, atque è uentriculo bilioſos humores per ſeceſſum, ac per urinas ducit, magisq́ quod bilioſum intra uenas fuerit expurgat à toto. propterea ſi pituita intra uentriculi tunicas continetur, exhibitũ nihil proficiet: uis enim in ipſo adſtringens amaram excedit, ſed quoniam acrimoniam quoq́ cõmixtam habet, maior portio caloris in eo, quàm frigoris eſt.

Atriplex quæ & aureum olus appellatur, ſecundo ordine humectat ac primo refrigerat, nullius adſtrictionis particeps: ſed aquea ueluti malua eſt, & facile ſecedit aluo, hortenſis ſilueſtri humidior frigidiorq́: ideo inflammationibus &

furunculis

furunculis quos phygethlas uocant,& inchoantibus, & creſcentibus hortenſis adhibetur, uigentibus uero & declinantibus agreſtis: ſemen cum abſtergentis facultatis ſit,regio morbo,& hepatis obſtructionibus conuenit.

Acini uuæ quos gigarta uocant ſecundo ordine exiccant, primo refrigerant, guſtuꝗ acerbi ſunt,ideo uentris profluuia potenter cohibent.

Althæa quam & euiſcum uocant,agreſtis malua eſt,diſcutiendi extinguendi mitigandiꝗ uiribus pollens,maturandiꝗ panos coctioni rebelles. radix ac ſemen cætera herbæ uiridi aſſimilantur, tenuioris tantū ſubſtantiæ ſunt,ac magis exſiccant, imò & magis abſtergunt: ut ſemē renum calculos diſſipet.radicis uero decoctum ad dyſenteriam, alui profluuia & ſanguinis eruptiones confert,tanquam quidpiam habeat adſtrictionis.

Arundo uallaris quam phragmitem uocant non mediocriter abſtergit, cum exigua acrimonia.folia uirentia moderate refrigerant,cortex exutus ad attenuandum diſcutiendumꝗ potentiſſimus,cum quadam leni abſterſione,ut tertio ordine calefaciat & exiccet:ſuperat tamen calorem ariditas.

Auellana quæ & nux pontica nuncupaẽ, quod in Euxino ponto frequens ſit,præter quod frigidior auſterior terreſtriorꝗ eſt,in reliquis iuglandi aſſimilatur,comeſta dolorem capitis inuehit.

Arbuti fructus quem memecylū uocant,ſtomacho nocet,ac caput tentat:adſtringendi ui pollet arbor ſimul cum fructu.

Armeniacæ mali quam præcocem nominant fructus, cum maturuit ſecundo ordine refrigerat, & humectat, perſico præſtat, quod nec tam facile in uentriculo putreſcat, neꝗ aceſcat, imò & iucundior à multis iudicatur, ac propterea ſtomacho aptior.

Acetum & calefaciendi & refrigerandi uires cōmixtas habet,atꝗ utrinꝗ tenuibus conſtat partibus: imperat tamen in eo ſicuti in libri principio diximus, frigida temperatura.inſigni exiccandi facultate præſtat,ut tertium ordinem perficiat, ſi modo meracius fuerit.

Apium ita calidum eſt,ut urinas ac menſes ducat: habet etiam diſcutiendi facultatem,præcipue ſemen.

Allium quarto ordine calefacit & exiccat, comeſtum flatus diſcutit, ſitim reprimit,craſſos ac lentos humores incidit:habet tamen quidpiam uiroſum, & mali ſucci,quod amittit, ſi aqua elixetur. ab eius aſſiduo uſu præſertim calidas temperaturas cauere oportet.

Alga maris quam bryon,& phycum uocant,uirens adhuc decerpta,ſecundo gradu refrigerat,& exiccat, moderateꝗ adſtringit.

B

Balſamū ſecundo ordine calefacit,& exiccat,tenuisꝗ ſubſtantię eſt,ſed tenuitate liquor eius longe præcellit,non tantum tamen,ut quidam putarunt partium tenuitate decæpti.Huius fructus,quem carpobalſamum uocant,congeneres quidem facultates habet,tenuitate uero multum ſuperatur.

Balauſtium guſtū potenter adſtringit habetꝗ exiccandi ac refrigerandi facultatem: unde ſi arefactum contritiſſimumꝗ intertriginibus reliquisꝗ ulceribus oblíueris,celerrime cōſpicies abſꝗ eroſione aliqua ad cicatricem perduci. quo præſidio ad ſcreatus quoꝗ ſanguinis & ad dyſenterias, id eſt,inteſtinorū difficultates, ad profluuiaꝗ uentris ac uteri,nemo ferè medicus eſt qui iugiter non utatur.

Bdellium ſcythicum appellatum quod etiam magis nigricat,reſinoſiusꝗ eſt, inſigni molliendi facultate prępollet:alterum arabicum quod magis ſplendet,plus

ariditatis

ariditatis habet, quàm mollientibus congruat. utuntur nonnulli pręſertim arabico ad gutturoſorum tumores quos bronchocelos uocant, atq; ad aquoſos ramices ieiuni hominis ſaliua diluentes ad glutinis cõſiſtentiam. peculiariter arabicum bibitum, renum calculos frangere exiſtimatur: urinam certe cit, & flatuum excurſiones compeſcit, laterumq; dolori ac rupturis opitulatur.

Blitum olus edendo eſt ſecundo ordine refrigerandi, ac humectandi poteſtate.

Bulbus cibo aſſumptus frigidiorem craſſiorem ac tenacem humorem gignit. eſt enim concoctu contumax, flatuoſus, & uenerem excitans, illitus agglutinandi exiccandiq; uires habet.

Bugloſſum calidi & humidi temperamenti eſt, ideo uino iniectum lętitiam iucunditatemq; animi inducit: congruit etiam mulſa decoctum ob faucium aſperitatem tuſſientibus.

Bouis oculus quẽ buphthalmũ uocant, ita appellatur, quod eius flores oculi bouis formam præſeferant, cætera chamæmalo ſimilis herba eſt, longe tamen maior & acrior, propterea multo magis diſcutit, ut etiã cerato admixta durities ſoluat.

Bromus, ad mediocrẽ frigiditatẽ tendit adſtringẽdi ui ut alui profluuia cõpeſcat.

Bryonia de hac dicemus in uite alba.

Betonica quã ceſtron & pſychotrophon uocant, incidendi uirtutẽ habere ex acrimonia & amaritudine arguitur: ergo renũ calculos diſſipat, pulmonem, thoracem & hepar purgat, menſes ducit, epilepticos iuuat, rupturas ac conuulſiones ſanat, bibita acide eructantibus & coxendicis uitio laborantibus prodeſt.

Braſſica quæ edendo eſt tam comeſta quàm extra illita exiccat, nõ tamen cum inſigni acrimonia, ſed qualis ad glutinanda uulnera ac maligna ulcera ſananda expedit. eryſipelata, inflammationesq; induratas, & ad digerendum difficiles, herpetas, id eſt, ſerpentia ulcera, & epinyctidas curat. Ineſt eidem abſterſio, qua lepras exterit. habet ſuccus quiddam quod uentrem ducat: reliquum terreſtre corpus, quod potius ſiſtat. propterea ubi aluũ compeſcere eſt animus, poſt mediocrem decoctionem effuſa priori aqua, illico in aliam feruentem infundimus ac decoquimus, donec flacceſcat: ſi enim uel frigidam aquam, uel etiam aẽrem attingeret, nunq; poſtea flacceſceret, etiam ſi diutiſſime decoqueretur. contra ubi aluus ſiſtenda ſit, in priori tantum aqua leuiter elixamus. Braſſica ergo quemadmodũ & lenticula exiccat, ideo uiſum hebetat, & melancholicũ ſuccũ gignit. huius pululantia germina, quę etiam aſparagi uocantur, minus exiccant, ſed magis urinam cient. ſemẽ bibitũ uermes enecat, maculas uelut à ſole contractas, lentigines & quæcunq; moderata abſterſione indigent, emendat. Ab exuſtis braſſicę caulibus cinis colligit̃ exiccando efficaciſſimus, ut propè iam adurat. hunc nonnulli adiecto ueteri adipe ad diuturnos laterũ dolores, ultra omne medicamentũ extollunt, tanquam quod diſcutiendi uiribus maxime polleat.

Braſſica agreſtis hortenſi longe ſiccior calidiorq; eſt, quemadmodũ reliqua agreſtia hortenſibus robuſtiora ferè uiſuntur: ideo neq; impune comeditur, diſcutiendo etiam & abſtergendo domeſticæ præſtat.

Braſſica marina uentri laxando efficax, guſtu ſalſa, ac ſubamara, extra illita uſum corpori præſtabit, ſuis qualitatibus congruum.

Batis quem & olus chordum, & chretmum uocant, guſtu quadantenus ſalſus ac ſubamarus: ideo abſtergendi & exiccandi facultatem habet, ad utrunq; tamen rebus amaris imbecillior.

Beta nitroſæ cuiuſdam poteſtatis particeps eſt, qua abſtergit ac diſcutit, ideo per nares purgat: elixata tamen acre ac nitroſum deponit, fitq; ad mitigandos ardores & leniter diſcutiendum efficax. candida abſtergendo ac diſcutiendo

potentior

potentior nigra. habet & quidpiam adſtrictionis præcipue radix, ſuccus uero abſtergit,ideo aluum irritat,& ſtomachum quandoq; erodit, præſertim qui ue geti ſenſu pollet:propterea inter edulia ſtomacho infeſta connumeratur,ſed ad hepatis obſtructiones aperiendas maluæ præfertur,maxime ſi cum ſinapi aut anetho edatur.ſplenicis etiam eodem modo comeſta confert.

C

Chamæmalum,quam anthemin quoq; appellant,primo ordine calefacit,& exic/cat tenuisq; ſubſtantiæ eſt, propterea ui diſcutiendi rarefaciendiq; pollet. id ſi uiride habueris oleo decoquito,ubi ſcilicet oleo carueris,in quo flores madefa/cti de more inſolati fuerint.ſin ſolum aridi copia ſit,modico aceto præhumecta bis, mox oleo decoques. confert ubi nondum deſinit materia ad caput attolli. nam & præſentem diſcutit, & nouam non attrahit, quod in alio medicamento haud facile inuenies. Nechepſon autem Aegyptius florem ipſum chamæmali ſincerum maximeq; uigentem colligi iubet & in pila contundi,deinde in mor/tariolo exquiſitiſſime ſubigi, formariq; in mediocres paſtillos, & in umbra dili gentiſſime exiccari ac reponi, uſus tempore paſtillum unum antiquo oleo diſ/ſolui,illiniq; uniuerſum corpus à capite uſque ad pedes,in quacunque febri,& opertum fouere:ſudor enim,inquit,ſtatim prouocabitur his qui ſalutem adep/turi ſunt,& febris ſoluetur,quod plurima experientia compertum habeo.con/uenit id præcipue peregrinantibus præparatū haberi,ob transferendi commo ditatem. iubet idem febricitantes huius paſtilli drach. 1. bibere ex aqua calida.

Centunculus quem gnaphalion uocāt, adſtringendi uim habet, ideo dyſentericis è uino auſtero exhibetur.

Coria uetera combuſta exiccantē cinerem reddūt,qui attritioni oppreſſu calceo/rum remota inflammatione medet̄,aduſtionesq; ignis, & intertrigines ſedat.

Cicer legumen flatuoſum, alimentoſum,uentri accommodatum,urinam ac men ſes ciens, ſeminis lactisq; copiam præſtans, huius decoctū præſertim nigri cal/culos renum frangit.Alterum cicerum genus quod orobinū uocatur,attrahen/di,diſcutiendi,incidendi abſtergendiq; facultatibus pollet, propterea lienem,ie cur,ac renes mundificat,ſcabiem,& impetigines exterit,parotidas,ac teſticulo rum duricies diſcutit,affertq; ad ulcera maligna præſidiū nō pœnitendum.

Cauda equina quam hippurim uocant,cum amaritudine adſtringit. Ideo efficaci ter ſine eroſione exiccat:maxima ergo uulnera illita agglutinabit,etiam ſi ner/ui diſſecti fuerint. Ramices inteſtinorū cohibet,reiectionem ſanguinis & mu/liebrem fluxum præſertim rubeum ſiſtit, dyſenterias ac reliquas alui fluxiones cum aqua aut uino pota egregie compeſcit. ſunt qui tradunt ueſicæ quoq; ac gracilium inteſtinorū ulceribus conuenire. ſanguinis è naribus eruptiones ſup primit.datur è uino his qui nō febricitant, ex aqua uero ſi febris affuerit.

Calamentum tenuis ſubſtantiæ eſt,tertioq; ordine calefacit & exiccat,id areſactū & priuatim cum mulſa potum,calorē auget, ſudoresq; cit ac per halitū digerit, uniuerſumq; corpus attenuat, ut eo nōnulli ad circuituū algores utantur, oleo decoquentes,atq; exterius totam ſuperficiem inungentes,uehementi frictione adhibita, interiusq; ueluti diximus propinantes. Vertebris quidam in coxen/dicum morbis,tanquam inſigne remedium illinunt. trahit enim à profundo ad ſuperficiem, calefacitq; totum articulum ac manifeſte cutim incendit. menſes prǽterea efficaciter ducit,potum & applicatum elephantiaſim patientes iuuat, non tantum quod tenues humores egregie diſcutiat,ſed etiam quod craſſos po tenter attenuet, à quibus id ægritudinis genus producitur.ita & nigras cicatri/ces exterit, & liuores ſub oculis diſcutit. in huiuſmodi morbis, uiride in uino decoctum

decoctũ illinere oportet. nam areſactum facile adurit. Applicatur etiam ad uenenoſos ictus: lumbricos & aſcaridas iniecto per clyſterem eius ſucco aut bibito, propter amaritudinem perimit. Item uermiculos qui in auribus, aut ulceribus fieri ſolent, enecat. Ad omnia quæ dicta ſunt efficacius montanũ eſt. Aſſerit Orpheus ſuccum eius addita æqua roſacei portione cum ceruſſa tritum ad glutinis conſiſtentiam & illitum aduſtiones ignis ſanare, quodꝗ admiratione dignum ſit, cicatricem non apparere, & loco pilos enaſci. Cum cimolia & aloe ſuccus idem contritus confeſtim dolorem capitis ſedat.

Calamus aromaticus modicę adſtrictiõis, minimæꝗ acrimoniæ particeps eſt, cuius maxima pars ex terreſtri acreaꝗ ſubſtantia conſtat. ergo urinam moderate ducit, miſceturꝗ compoſitis medicamentis ad hepar & ſtomachum: ad fomenta etiam uterorum qui inflammationibus infeſtantur, menſes prouocando utiliter adhibetur, ut iure quis eum ponat in ſecundo calefacientium exiccantiũꝗ ordine, ita tamen ut magis exiccare poſſit, quàm calefacere.

Cannabis ſemen concoctu difficile maliꝗ ſucci eſt, & caput tentat, quod uitium ne à torrefacto quidem amoueri poteſt: ſua enim immodica caliditate uaporem ad caput eleuat, fragrantem ſimul & uiroſum: exiccando uero temperaturam, ac nullum prorſus flatum gignendo, genitale ſemen compeſcit.

Capparis radicis cortex habet eminentem amaritudinẽ, deinde acrimoniam, poſtea acerbitatẽ, ob quæ patet ex uarijs pugnantibusꝗ facultatibus cõſiſtere. abſtergere enim expurgare atꝗ incidere amaritudine poteſt: calefacere diſcutere & attenuare acrimonia, cogere conſtipare atꝗ impingere acerbitate. ideo ſpleni indurato, ſi qua uſquam alia, hæc medicina ſummopere opitulatur, tum exterius congruis linimentis permixta tum interius ſumpta, aceto uel oxymelite, uel cõſimilibus decocta, aut areſacta & trita ijſdemꝗ admixta. Ita enim exhibita lentos ac craſſos humores manifeſte euacuat, ſiue per urinas, ſiue per aluum, ſæpe etiam ſanguinolentas egeſtiones trahit, à quibus lienes & coxendicum dolores non parum iuuantur. Item menſes cit, ac per nares pituitam purgat. illitus radicis cortex ulceribus malignis magno adiumento eſt abſtergendi exiccandiꝗ magnitudine, dentium dolores cum uino aut aceto decoctus mitigat, ſtrumas tumoresꝗ induratos diſcutit, congruis medicamentis commixtus. folia præterea caulis ac ſemen cortici facultate aſſimilantur, imbecilliora tantum. Noui equidem intra paucos admodum dies ſtrumas duriſsimas ſolis folijs applicatis per halitum digeſtas eſſe. miſcendũ tamen eis quidpiam, quod uires effrenes reprimat. neꝗ igitur mirum fuerit, ſi ſuccus aurium uermiculos ob amaritudinem perimat. At fructus ſale confectus ablutus madefactusꝗ donec exacte ſalſedinem exuerit, commodum medicamentũ eſt, ad languentem appetendi uim excitandam, ad exterendamꝗ ac ſubducendam alui pituitam, & ad iecinoris lienisꝗ obſtructiones expurgandas. condiendus ad hæc oxymelite, uel oleo & aceto, ac præ reliquis cibis offerendus.

Cardamomũ exquiſita calefaciendi ui pollet, ut illitum exulceret: imbecillius tamen naſturcio eſt, habet ſimul quidpiam amaritudinis qua uermes interimat, ſcabiemꝗ uehementer exterat cum aceto.

Carduum quod careon uocant, tertio ordine calefacit & exiccat, ineſtꝗ illi mediocris acrimonia, propterea minime flatuoſum eſt. urinam egregie cit nõ ſemen tantum, ſed planta uniuerſa.

Caſia attenuandi uim habet: tertiumꝗ calefaciendi & exiccãdi gradum attingit. in guſtu plurima acrimonia pollet cum leni adſtrictione. Incidit igitur ac diſcutit quod redũdat in corpore, roburꝗ ſubinde inſtrumentis addit: cõfert ad men

ſium retentiones,ubi præ copia excrementorum ac craſſitie exinaniri commo-de nequeunt.

Cedri ſpecies duæ, utraque tertio calefaciendi exiccandiꝗ ordine ponitur:cedria uero quæ inde emanat, iam ordini quarto accedit,eſtꝗ in primo gradu eorum quæ ſeptica,id eſt, putredinem inducentia appellantur.ob eximiam enim calefaciendi attenuandiꝗ uim teneras quidem carnes facile & indolenter corrumpit,ab innata membrorum caliditate feruore eius ad actum excitato. In durioribus uero corporibus longiori tempore indiget, & cum difficultate agit. ideo cadauera incorrupta cuſtodit,humorem ſuperuacaneū depaſcendo, ſed ſolida mēbra nō attingendo, quod ſcilicet non æque polleat, ac reliqua quæ corrumpunt.neqꝫ admirari oportet,ſi quod talem facultatem habet,pediculos,lendes, aurium uermiculos, et recti inteſtini aſcaridas enecet, appoſitūꝗ fœtus uiuos interimat, mortuos extrudat.cedria item in concubitu pudendis illita ſterilitatem facit,nulli medicamento poſtponenda.Eadem in os inſtillata dentium dolores mitigat,denteſꝗ ipſos infringit,oculorum cicatrices exterit,& hebetudines ob humorum craſſitiem emendat.

Cedrinū oleum appellatur, quod ubi cedria decoquitur, ſuſpenſis ſupra lebetem lanis à conglobato fumo colligitur, exquiſitiſsime oleaginū. id tenuiores quidem partes habet ꝙ cedria,minus tamē acre mordaxꝗ eſt,at nihilo ſegnius ne dicam impenſius agit ꝙ cedria: unde hoc potiſſime utuntur ruſtici ad uulnera quæ in tondendis gregibus forcipes fecerint,& ad ſcabiem crabronūꝗ ictus.

Cedri baccæ uires temperatiores habent,ut etiam edendo ſint:ſi quis tamen uberius ingeſſerit,caput tentant incēduntꝗ,& os uentriculi erodunt.

Caſtaneæ,dicemus de his ubi de quercu agemus.

Centaurij magni radix ex oppoſitis uiribus conſtat. nam guſtui quidem acris ſimul & acerba occurrit,cum breui quadā dulcedine.at ſecundū proprias actiones cōſiderata, calida ſimul ac terreſtris frigida eſt. acrimonia igitur quæ calorem atteſtatur,menſes prouocat,fœtus mortuos extrudit,uiuos interficit:acerbitate,quę craſſiorē terreſtrēꝗ frigiditatē arguit,uulnera glutinat,ac ſanguinē excreātes iuuat. exhibere his oportet drachmas undecim,febrictibus cū aqua, non febrientibus cum uino. omnibus uero ſimul qualitatibus,rupturis,cōuulſionibus,anhelitus difficultati,tuſsibus diuturnis opitulatur: neqꝫ enim in his euacuare tantum oportet quæ præter naturam ſunt,ſed lenire quoqꝫ ac firmare expurgata membra. Hæc omnia radix poteſt ac ſuccus,etiam quo nonnulli pro lycio utuntur,cum lycio caruerint.

Centaurij minoris radix omnino inutilis eſt, ſurculi flores & folia efficaciſsima, Imperat in eis amaritudo cum leui quadam adſtrictione, propterea abſqꝫ eroſione ualide exiccat:magna quoqꝫ ac recentia uulnera glutinat,herba uiridis illita: antiqua uero,& quæ ægre coaleſcunt ad cicatricem perducit.Eadem arefacta agglutinantibus exiccantibuſꝗ medicamentis miſcetur,quæcunqꝫ ad ſinus & fiſtulas conficiuntur:antiquas etiam durities mollire creditur, & ulceribus malignis mederi, ac uentris fluxiones per clyſterē iniecta cōpeſcere. Quidam eiuſdem decocto ad coxendicū uitia uentrē abluunt, ita biliofum ac craſſum humorem expurgādo: ſi ſanguinolenta eduxerit,fœlicius iuuabit.ſuccus cōſimili facultate pollet, exiccandi inquam & abſtergēdi, ac cætera quæ dicta ſunt agendi:cum melle oculis illinitur,appoſitus menſes ac fœtus ducit. Quidam ipſum propinant affectis neruis, euacuātem exiccantemꝗ ſine moleſtia, quæ impacta fuerint. Idem ad hepatis obſtructiones maximo adiumento eſt. cōfert etiam lieni indurato extra quidem illitus; ſed nihil ſegnius bibitus.expe

mendus

mendus ſuccus quando herba maxime uigeat ac flores emiſerit, cuius hemina una cũ calida & modico aceto exhibita ſuccũ melancholicũ purgat: ex coma uero cõtuſa & melle collyria formant, qbus uſus tẽpore diſſolutis fiſtulas purgamus, & callos abſcindimus. in coxendicibus corymbos tundito & cribrato: datoq; cochleariũ ſingulis diebus cũ aqua calida per tres aut plures dies, & effectum miraberis. ad polypos quoq; eorundem puluerem in nares inſufflato.

Ceraſa mediocriter cum dulcedine adſtringunt: matura ergo ac dulcia ſicut magis ſecedunt, ita minus ſtomacho conferunt: contrà quę immatura ſunt & acerba. Scribunt aliqui ipſius arboris gummi cum uino potum calculoſis cõferre.

Ceratonia exiccandi abſtergendiq; uiribus pollet, quemadmodũ & illius fructus quod ceratiũ uocãt, alicuius dulcedinis particeps. habet & hoc ceraſis quidpiã ſimile. ceratia cum humida fuerint, aluum ſubducũt, cum arida potius ſiſtunt.

Cera in medio quodammodo calefacientiũ refrigerantium humectantiũ & exiccantium exiſtit, ex partibus craſſis atq; emplaſticis conſtans: ideo non exiccare tantum, ſed ex accidenti quoq; diſflationes inhibendo humectare uidetur: propterea ad reliqua medicamenta tanquam ſubiacens materia adhibetur. Ipſa uero ſeparatim extra illita imbecilliter maturat. Habet enim paulùlum quidpiam quod per halitum digerat, cuius plurimam partem mel ſibi aſſumpſit.

Ciborium Aegyptiæ fabæ fructus eſt, ad caput ergo de fabis referri oportet.

Cinara uitioſum ſuccum gignit, præſertim ubi induruerit: tunc enim maxime bilioſus eſt. à ſubſtantia uero lignoſa qua plurimũ abundat, atram bilim: à tenui flauam producit. Præſtat igitur decoctum comedere.

Caries lignorum eorum præſertim quibus adſtrictio ſimul ineſt cum abſterſione ueluti ulmo, humida ulcera efficaciſſime implet & exterit.

Cucumer hortenſis ſicuti & pepon urinam cit: non adeo tamen potenter. nam & minus humectat, neq; ideo tamẽ minus peponibus putreſcit in ſtomacho. ſunt qui quadam naturæ proprietate cucumeres probe cõcoquant. Qua confidentia ſecuri affatim ingerendo progreſſu temporis deprauatos humores, ac quadamtenus craſſos in uenis collectos percipiũt. Qui ſi deinde putruerint, febres maleficas inuehunt: ab omnibus igitur edulijs uitioſi ſucci abſtinendum conſulo, etiamſi recte concoqui uideantur.

Cucumeris agreſtis ſuccus ſeu liquor quem elateriũ uocãt, non à fructu tantum, ſed à folijs quoq; & radice expreſſus medicinæ utilis eſt. Is menſes ducit ac fœtus appoſitum necat: ſumme amareſcit, ſecundo ordine calefacit, ac diſcutiendi uires habet, propterea nõnulli eum melle mixtum anginis imponũt. Prodeſt regio morbo naribus cum lacte muliebri infuſus. Dolori capitis medetur: ſuccus tamen fructus ad cuncta efficacior quàm radicis, aut caulium. Ipſa etiam radix haud diſſimiles uires habet, cortex radicis exiccando præſtat.

Cepa incidendi uirtute excellit, non tamen uehementer calefacit, ſed ordinem ſecundum non egreditur.

Cardui radix fœtentis urinæ copiam ducit, è uino bibita, ideo alarum totiusq; corporis fœtorem emendat. tertio ergo ordine calefacit: ſecundo exiccat.

Cicerbita quam ſonchum & dipſacon uocant, recens ac tenella reliquorum agreſtium olerum modo comeditur: commiſcetur ex aquea & terreſtri ſubſtantia utraque frigida, nec adſtrictione caret. ſtomacho igitur applicata, aut comeſta manifeſte refrigerat.

Cinis crematorum lignorũ uel cuiuſcunq; aduſtæ rei reliquiæ appellantur, ex oppoſitis ſubſtantijs ac qualitatibus cõſtans. ineſt enim illi quiddã terreſtre, quiddam ueluti caliginoſum aut fuliginoſum. atq; hæ quidẽ partes tenues exiſtũt:

quæ madefacto cinere & excolato tranſmigrant. Quod uero relinquitur terre
ſtre, imbecillũ ac minime mordax eſt toto calore in aquam reiecto. neq; uero ci-
nis omnis eaſdẽ penitus uires habet, ſed ab crematæ materiæ natura diſtingui-
tur. Adſtringentiũ enim lignorũ ueluti quercus, ac ſimiliũ cinis, in terreſtri par
te non modicæ adſtrictionis particeps eſt, qua ſanguinis fluorẽ cõpeſcit. At ci-
neri ficulneæ in fuliginoſa ſubſtãtia plurimũ acrimoniæ feruorisq; ineſt, in ter
reſtri plurimum abſterſionis, cui aſſimilatur is qui ex tithymalis conficitur.

Calx quoq; cineris ſpecies eſt, ex tenuiori tamen ſubſtantia cõſtans. hæc ſi ter aut
quater aqua exquiſite lauetur indeq; effundatur aqua, ſine eroſione exiccat:
quod ſi abluens aqua marina fuerit, etiam diſcutiendi uires habebit.

Chalbana plantæ ferulaceæ lachryma eſt, molliendi ac diſcutiendi uiribus, tertio
ordine calefacit, ſecundo exiccat.

Chamædrys quam quidam trixaginem uocant, amaritudine excellit non ſine le-
ui acrimonia, itaq; lienem diſſoluit, urinas ac menſes ducit, humorũ craſſiciem
incidit, uiſcerumq; obſtructiones aperit, tertio ordine calefacit & exiccat. cre-
mor eius exquiſite decoctus ac bibitus quartanas febres depellit.

Chamelæa inſigni amaritudine pollet, propterea maximas cruſtas ulcerum cum
melle exterit. bibita ex his eſt quæ corpus purgant.

Chamæleuce tertio ordine calefacit, primo exiccat, unde ſi ſuppoſitis carbonibus
torreſiat, ac ſpirandi difficultate affecti, uaporem eius per idoneã fiſtulam ex-
ceperint, manifeſte iuuantur.

Chamæleontis nigri radix ueneni particeps eſt, exterius igitur tantum admoueri
oportet, ad ſcabiem, impetigines, uitiligines, & quæcunq; abſterſione indigẽt.
habet etiã molliendi diſcutiendiq; uires, tertio ordine exiccat, & ſecũdo exacte
calefacit. candidi uero chamæleontis radix è uino auſtero pota acetabuli mẽſu
ra lumbricos latos expellit, daturq; utiliter aquam intercutem patientibus.

Chamæpitys quam multi aiugam uocant, tertio gradu exiccat, ſecundo calefacit
inſigni amaritudine, uiſcera magis abſtergit quàm calefaciat, ideo regiũ mor-
bum patientibus exhibetur, & prorſus quibus facile iecur obſtruit̃. pota etiam
aut cum melle appoſita menſes ac urinam ducit. nonnulli decoctum eius cum
mulſa, coxendicũ morbo affectis propinant. uirens herba ampla uulnera gluti-
nat, putrida ulcera ſanat, ac mamillarum durities diſcutit.

Chelidonia efficaciter abſtergit calefacitq;. ſuccus eius oculos in quorum pupil-
lis craſſum quidpiã colligitur, exterendo diſcutiendoq; ſanat. ſunt qui radicem
eiuſdem ad regium morbum & ad iecinoris obſtructionem è uino cum aniſo
exhibeant. Chelidonia minor maiore acrior eſt, unde cutim exulcerat, ac un-
guium lepras exterit. huius ſuccus per nares ualide purgat, eſtq; calida ac ſicca
quarto ordine, ſicut maior in tertio tantum.

Chondrilla, dicetur de hac ubi de ſeride agetur, eſt enim ſeridis ſpecies.

Capillus ueneris quem adiantum uocant, attenuat & diſcutit, unde alopecias ca-
pillis induit, ſtrumas abſceſſusq; digerit, & ad extrudẽdos è thorace ac pulmo-
ne uiſcidos craſſosq; humores non parum confert. uentris etiam profluuia ſi-
ſtit, temperatura illi inter caliditatem frigiditatemq; media eſt.

Ciſtarus uel ciſtus, frutex adeo acerbus eſt, ut folia ipſius illita uulnera glutinẽt.
flores efficaciores ſunt, ut è uino poti dyſenterias & uentris imbecillitates, flu-
xiones & humiditates compeſcant. putridis ulceribus cõueniunt, ob eximiam
exiccandi uim quæ ferè uſq; ad ſecundũ ordinẽ accedit: fruticis uero acerbitas
cuiuſdam tepiditatis particeps eſt.

Ciſtus qui & ladon dicitur, à quo ladanum fit in calidis regionibus oritur, nihil ge

nere

nere differens ab eo qui alibi quoq; producitur, ſed ratione loci exuta frigiditate, proprium quendam ac digerentem calorem comparauit, reliqua ciſto priori ſimilis. ex hoc ladanum medicamentum conficitur, primo ordine ita exacte calidum ut ſecundum attingat: habetq; ſimul breuem quandam acerbitatem, atq; è tenuibus conſtat partibus, quapropter mediocriter molliendi, diſcutiendi & maturandi uiribus pollet. nec mirum ſi peculiariter utero magis conuenit ob lenem illam adſtrictionem, qua ratione etiam fluentes capillos ſiſtit. præter enim quod uitioſos ſuccos capillorũ radicibus inhærentes abſumit, adſtrictione cogit, & conſtipat meatus quibus impacti fuerant.

Cnici ſemen ad purganda corpora idoneum tertio ordine calefacientiũ eſt, ſi quis extrinſecus adhibere uoluerit.

Cnidium granum efficaciter purgat, acerrimum acerbumq; eſt: granum uero infectorium, adſtringit amareſcitq;, & utriuſq; iſtorum ratione, abſq; eroſione exiccat, ideo ad uulnera ampla præcipue conuenit, & ad neruorum ſectiones tritum cum aceto aut oxymelite.

Colocaſij radix ſimilis uirtute eſt rapis aut cepis, ſubſtantia illi uiſcida, abſtergendi uiribus pollet ac uentriculo congruit.

Cucurbita in ſecundo humectandi infrigidãdiq; ordine ponitur, unde ramenta & ſuccus ipſius dolentibus, inflammatisq; auribus cum roſaceo conuenit. tota illita inflãmationes calidas moderate refrigerat. comeſta redundanti humore replet, & ſitim extinguit, alimentum frigidum atq; humidum corpori præbet, ac propterea modicũ. non improbe in ſtomacho conficitur, niſi eam putredo præueniat: id continget uel quod male condiatur, uel quod in uentriculo uitioſus humor collectus ſit, uel quod plus æquo moretur in ſtomacho. gaudet origani condimento ob aquoſam humiditatẽ: quæcunq; enim huiuſce naturæ fuerint, acribus aut acidis, aut ſalſis, aut auſteris, miſceri oportet, ut neq; guſtu iniucunda ſint, neq; nauſeam comedentibus excitent.

Colocynthis guſtu quidẽ amara eſt, bibita tamen tanq; medicamentũ, amaritudine ſua nihil efficit quod ſit manifeſtũ, ſcilicet ob ingentem purgandi uim, qua maxime pollet: egreditur enim cum his quæ attraxit, priuſquam amaritudinis effectus emergant. huius recentis ſuccus illitus coxendicibus confert.

Conyza maior ac minor conſimiles temperaturas ac uires habent, guſtu ambæ acres & amaræ, egregie calefaciunt atq; exiccant, ut in tertio utriuſq; qualitatis ordine collocentur. oleo igitur decoctæ febrium algores mitigãt: flores ipſarum cum folijs terentes, nonnulli cum uino ad eliciendos menſes partuſq; educendos propinant. eſt & tertia conyzæ ſpecies humidioribus locis naſcens, his quas diximus fœtidior atq; imbecillior.

Coriandrum quod & corium uocant, ex oppoſitis uiribus conſtat, copioſæ quidẽ amaritudinis particeps, quæ in tenui ſimul ac terreſtri ſubſtantia fundatur, ſed aquoſæ quoque humiditatis tepidæ eidem non parum ineſt. habet etiam adſtrictionis nonnihil, ex quibus omnibus diuerſa efficit quæcunq; Dioſcorides ſcripſit, neq; ſolum refrigerat.

Cornicis pedis quæ coronopus uocat̃, radix comeſta cœliacis conferre creditur.

Coſtus paucæ quidem amaritudinis, ſed acrimoniæ plurimæ, ac caliditatis particeps eſt, ut etiam ulceret, propterea ad febrium rigorem hoc ſimul cum oleo ante acceſſionem perfricant membra. ad coxendices etiam & reſolutiones confert: & ut ſummatim dicam quæ calefactione indiguerint, aut extractione humoris à profundo ad ſuperficiem, omnibus his utiliter adhibetur. urinam præterea ac mẽſes mouet; ruptis, cõuulſis, laterum doloribus medet̃. amaritudinis

ratione uermes enecat, ephelidas, id eſt maculas uelut à ſole cõtractas cum aqua aut melle exterit. ineſt & illius temperamento quidpiam flatuoſum, ideo è uino potum uenerem excitat.

Crocodilij herbæ ſemen acre odoratumq; eſt, urinam ac menſes ducit, ideo calefaciendi diſcutiendi exiccandiq; uires habet. ſimili poteſtate caulis & ſeminis ſuccus renibus prodeſt, radix ad thoracis excreationes ualide confert, ſemine quidẽ minus acris, nõ tamen minus amara. ſanguinẽ preterea è naribus ducit.

Crocus habet et acerbitatis quidpiã, quã frigidã terreſtrẽq; oſtẽdimus: in eo tamẽ caliditas imperat, ut in ſecũdo ordine calefacientiũ ſit, exiccãtiũ primo: propterea aliqua maturandi uirtute pollet, leui illa adſtrictione nõnihil adiuuante.

Cepa quarto calefacientium ordine eſt, & ſubſtantia craſſa, ideo impoſita hæmorrhoidas aperit, & cum aceto ſub ſole illita uitiligines exterit: confricataq; alopecijs citius quàm halcyonium capillos gignit. cibo aſſumpta ſuo quidem acumine corpus calefacit, craſſoſq; ac lentos humores attenuat, ob ſubſtantiæ tamen craſſitiem flatus in uentriculo generat.

Cyclamini uaria facultas eſt, abſtergit enim, incidit, aperit, euocat, diſcutit. ſuccus eius hæmorrhoidas cit, aluumq; uiolenter irritat: appoſitus panos, ſtrumas, reliquasq; duritίes diſcutit, omninoq; medicamentis diſcutientibus admiſcetᷓ. conuenit & aduſtis cũ melle illitus, egregie per nares purgat. ineſt ei adeo efficax purgandi uis, ut ſumini applicatus aluum citet, & fœtum interimat, quod efficit etiã peſſario impoſitus. radix ſucco quidem imbecillior, nec ipſa tamẽ ignaua eſt, nam bibita & appoſita menſes ducit, & regio morbo medetur: non hepar tantum purgando, ſed bilim è toto corpore per ſudorem eliciendo. Poſt potionem igitur omni conatu ſudoris excretio adiuuanda eſt, plurimis operimentis corporiſq; frictione. potantur drach. iij. aut quatuor ex paſſo, aut mulſa. cutim preterea abſtergit, ut ephelidas alopecias, ſimiliaq; exterat. Prodeſt et ſpleni indurato aut arida, aut recens illita: nonnulli areſactam radicem ſuſpirioſis exhibent. trita eadem & ſubtiliſſimo cribro excuſſa cum caryophyllis, ut ſit radicis drach. I. caryophyllorum gra. xxi. ac per nares inſufflata à capite craſſos lẽtoſq; humores euocat. Propterea diuturnos capitis dolores ſanat, & morbo comitiali mirum in modum prodeſt.

Cymini præcipuus uſus in ſemine, tertio ordine calefacit, urinam mouet, ac flatum diſcutit.

Cupreſſi folia, germina ac pilulæ recẽtes & teneræ ampla uulnera in duris corporibus glutinant, ut inde conſtet exiccandi uires habere, abſq; inſigni acrimonia uel caliditate. Plurima ineſt toti plantæ amaritudo, ac multo maior acerbitas, tantum uero caloris, quãtum ſufficit adſtrictoriam uim ad profundum perducere, nullum penitus uel ſcruoris, uel eroſionis ſenſum inferendo: ideo humiditates flaccidorum putreſcentiumq; membrorum, ſine noxa & tuto deſiccat nouum humorem non attrahendo, ita & inteſtinales ramices illita curat: omnino enim penetrante interius acerbitate arefacit, roburq; inuehit partibus humoris copia languentibus. ſunt qui ad carbunculos quoq; & ſerpentia ulcera mixta polenta adhibeant.

Cyperi uſus in radice præcipuus, abſq; eroſione calefacit & exiccat. Ideo ulcera quæ nimio humore non coaleſcunt, mirum in modum iuuat: habet acerbitatis quidpiam quo ulceribus oris conferat. habet & incidendi uires, quibus calculos diſſipet, urinas ac menſes moueat.

Cicutam nouere omnes ſummam habere refrigerandi uim.

Cytiſi folia diſcutiendi uires habent, tepido humore permixto ueluti & maluæ.

Conſ

Coni fructus quem quidam ſtrobilũ, quidam cocalũ uocãt, integer quidem dum adhuc uiret, habet cum aquoſa humiditate quidpiam acrimoniæ. Ideo ad ſuppurationes pectoris & ad ſcreatus pulmonis tuſſi facile euocãdos idoneus eſt: nucleus uero interior cibo quæſitus alimentũ corpori cõcoctu difficile, ualidũ, & cum oleaginum ſit, etiam craſſum præbet: lenit tamen aſperitates, præcipue qui aqua madefactus totam acrimoniam depoſuerit.

Cicercula ſimilem ochris ac phaſelis ſubſtantiam habet, & eiuſdem naturæ ſuccum, craſſiorem tantum atq; ideo quadamtenus ſcabriorem.

D

Damaſonij radix, ut nos experti ſumus, ſi aqua elixeẽ & decoctũ poteẽ, calculos renũ frangit.

Dictamnum tenuioris ſubſtantiæ, ꝙ puleiũ eſt, & reliqua ſimile.

Dorycnion ſimile eſt temperamento papaueri & mandragoræ, reliquiſq; uiolenter refrigerantibus: quod ſi parce ſumatur, improbum ſoporem inducit, ſi paulo uberius interficit.

Dolichi quære lobos

Dracunculus aro acrior, amarior, calidior tenuioriſq; ſubſtantiæ eſt, habetq; acrimoniæ & amaritudini adſtrictionẽ quandam permixtam, ut iure medicamentum efficaciſſimũ ſit. radix enim omnia uiſcera expurgat, craſſos lentoſq; humores attenuando, ulceribus malignis ſummo præſidio eſt, ſtrenue purgando exterendoq;, ac reliquis omnibus quæcunq; abſterſione indigent ut uitiliginibus cum aceto illita. folia uero ulceribus uulneribuſq; recentibus cõgruunt: & quo minus ſicca fuerint, eo magis agglutinãt: aridiora enim acriora ſunt quàm uulnera poſtulent. creduntur & caſeum à putredine conſeruare, ſi extra applicentur. ſemen uero radice efficacius cancros & polypos deſtruere proditur, ſuccus ſeminis morbos oculorum exterit.

E

Ebenus abſtergendi attenuãdiq; uires habet, ut pupillarum tenebras credatur exterere, ocularijs certe medicamẽtis miſceri conſtat, ulceribus etiam antiquis & fluxionibus phlyctæniſq; opitulatur.

Elaphoboſcũ quaſi cerui pabulũ, attenuandi uirtute pollet, ideo ſecũdo quoq; ordine exiccat, cõgruit uenenoſorũ animalium morſibus bibitum & comeſtum.

Eleborus albus & niger, abſtergendi calefaciendiq; uiribus præſtat, propterea uitiligines impetigines ac ſcabiem exterit. Imò fiſtulę callum, nigri elebori uirga impoſita intra duos aut tres ad ſummum dies compeſcit. in tertio calefacientiũ exiccantiumq; ordine uterq; ponendus eſt: niger humorem melancholicũ magis per ſeceſſum trahit, albus per ſuperiorem uentriculum ubi craſſos lentoſq; humores purgari oporteat, ducit tamen etiam inferius.

Empetrum aut epipetrum ad ſolas purgationes utiliter adhibetur, bilim enim ac pituitam ducit, ſalſum guſtui eſt, ut muriæ uicem præſtare poſſit, dicitur quoque praſoides quaſi porri ſpeciem gerens.

Epithymum omnifariam thymo efficacius, tertio ordine calefacit & exiccat, purgatq; humores atros.

Eupatorium attenuandi, incidendi abſtergendiq; facultatem habet, abſq; inſigni calefactione, propterea obſtructiones hepatis exterit, & cum modicæ quoque adſtrictionis particeps ſit, iecur confirmat.

Eruca manifeſte calefacit, creditur ſeminis copiam producere & ueneris impetũ excitare, caput tamen tentat, præſertim ſi quis eam ſeorſum comederit: ergo cum folijs lactucæ offerenda eſt.

Eryngium aut exiguum quidpiam ab temperamento, aut nihil excedit: ſiccitatis

uero tenuitatiſq; ſubſtantiæ non parum particeps eſt. Potum igitur radicis decoctum colicis medetur. mulſo addito, calculos, ſtillicidia, urinæ difficultates & renum uitia ſanat, quod per quindecim iugiter dies, uel poſt cœnam hora dormiendi ieiunos bibere oportet; ac ſi in eodem cibaria quoq; decoxeris, magis proficies. Affirmabat quidam aſſiduo eryngij uſu, nunquam poſtea minxiſſe calculos, cum prius eo morbo frequentiſſime uexaretur.

Ebulus uide in ſambuco.

F

Fuſus agreſtis quem attractilidem cnicũ ſylueſtrem & androſæmon uocant, exiccandi & moderate calefaciendi ui pollet.

Fuligo de hac dicetur loco de thure.

Fermentum, attenuandi calefaciendiq; poteſtatem habet, ſine moleſtia ergo ac ſine mordacitate ex profundo attrahit ſimul ac diſcutit. ex uiribus oppoſitis cõmiſcetur: frigida inquam aciditate, putrido calore, ſalis ac farinæ qualitatibus.

Fumus terrę quem capnion uocant, acris amaruſq; eſt, non omnino ab acerbitate alienus, urinæ bilioſæ multitudinem prouocat, obſtructiones hepatis & imbecillitates emendat. ſuccus lachrymas ciendo uiſum exacuit: arida herba trita illita uentrem mollit, uino admixta ſtomachum firmat, quouis modo febricitantibus bona ſpe illius decoctum propinato.

Faba refrigerando & exiccando ad mediam temperaturam propinquiſſime accedit. huius caro quemadmodũ & cortex modicam quandam abſterſionem habet. Propterea quidam medici integras cum cortice fabas in poſca decoquentes, dyſentericis, cœliacis ac uomentibus tradunt. ſi cibi ratione ſumatur, concoquẽdi difficultatę ac flatuum copia nulli poſterior eſt, quæ uitia neq; quauis longa coctione, neq; aliquo cõdimenti genere corrigi queunt. pectoris tamen ac pulmonis excreationibus cõfert. uiridis faba magis quidem ſecedit aluo, minus uero alit quàm arida. torrefacta ſicut minus flatuoſa eſt, ita concoctu difficilior, tardioris tranſitus, craſſioriſq; ſucci fit. medicamenti ratione extra illita ſine moleſtia exiccat. Hanc nos ſæpe in aqua elixantes, adipe ſuillo adiecto podagricis adhibuimus. ad neruorum cõtuſiones, & ulcera ex oxymelite & roſaceo lomentum adiecimus: quod ſi etiam ex percuſſione inflammentur nerui, polentam addidimus. Idem linimentũ ad teſtium mammillarumq; inflammationes præſtantiſſimũ eſt: his enim partibus inflammatis refrigeratio moderata requiritur. maxime uero confert ubi lac in mammillis coaguletur, quoniam à linimento lac ilico extinguitur. Præterea puerorum pubi lomentum illitum plurimo tempore impuberes ſeruat.

Fuligo uniuerſa cum terreſtris ſubſtantiæ ſit, exiccandi quoq; uires habet, permanentibus ignis reliquijs qui materiam aduſſit, cum tamen hæ ſint perquàm modicæ, tota uis eius in exiccando attenuandoq; ſita eſt: proprias uero ſingularũ differentias materiæ crematæ natura diſtinguit, ut altera calidior, altera frigidior immordaciorue ſit. thuris fuligo præ cæteris inſignis, ocularibus medicamentis miſcetur, præſertim ad ulcera, exterit enim & carnem inducit. terebenthinæ quoq; & myrrhæ innocua eſt, thureæ non diſſimilis: ſtyracis, iſtis potentior. quæ uero ex liquida pice ſit, ac magis quæ ex cedria, acumine excellũt. his utuntur ad defluas palpebras, qui morbus ptiloſis dicitur: & ad eroſos oculorũ angulos, humentibus ſine inflammatione oculis.

Fœniculum potenter calefacit, ut in tertio ordine iam collocetur: in primo uero tantum exiccat, ideo lactis copiam gignit, ac ſuffuſionibus oculorum eadem ratione opitulatur, urinas etiam ac menſes ducit.

Fūgi ingētis frigiditatis humiditatisq́; participes ſunt, ita ut propè ad delibutoriā facultatem accedant, immo eorum nonnulli interficiunt.

Ferulæ ſemen attenuat & calefacit, medulla uero caulis interior adſtrictionis cuiuſdam particeps eſt, ideo ſanguinem excreantibus, & cœliacis congruit.

Filicis radix lumbricos latos interficit, pota drach. IIII quātitate, fœtus uiuos interficit, mortuos extrudit, ulceribus illita ſine eroſione exiccat.

Ficus, quod autumnalibus ęſtiuisq́; fructibus quos horarios uocant, cōmune eſt, ſucci malitiam ne ipſæ quidem effugiunt. quod uero probatur in ficubus, uelox eſt è uentriculo tranſitus, & in ſingulas corporis partes facilis diſtributio, habent quoque abſtergendi uim effatu dignam, comeſtæq́; plurima arenoſa è renibus trahunt. alimentum uero minime ſolidum corpori præbent, ſed ſublaxum & flàtuoſum, tranſitus tamen celeritate flatus illi quamprimū diſcutiuntur. ideo minimi nocumenti inter reliquos fructus ſunt, & ſi exacte maturuerint, propè euadunt omnino innocuæ. aridæ ficus calidiores recentibus ſunt, ut initium ſecūdi ordinis attingant, attenuādiq́; uires habent, & plurima ad uſum idonea, unico uicio damnatæ. nam ſi uberius comedantur, improbum ſanguinem gignunt, eoq́; magis deprauatos ſuccos augent, ubi corrumpūtur, neque infrà ſecedunt. incidendi ui qua pollent, aluum ad excretionem proritant, ac renes exterunt: iocinori tamen ac lieni inflammatis infeſtæ ſunt, quemadmodum & recentes, communi omnium dulcium ratione: eas tamen obſtructis induratisq́; uiſceribus cum thymo aut puleio, aut thymbra, aut calamentho, aut origano, aut pipere, aut zingibere diu ante cibum medici præbent: qui enim cum craſſioribus cibis ficus caricas ue permiſcent, non parum læduntur. contrà, ſi cum tenuioribus comeduntur, cōferunt. induratos uero tumores caricæ diſcutiunt, uel ipſæmet appoſitæ uel earum decoctū: oportetq́; ubi maturare eſt animus triticeam farinam miſcere, ubi diſcutere hordeaceam. ſed & pinguiores magis tumores maturant, ſed guſtu acriores magis abſtergunt, ac per halitum digerunt. quod uero ipſas percoquendo melleæ ſubſtantiæ conficitur, uiribus melli aſſimilatur.

Fœnogrecum ſecundo gradu calefacit, primo exiccat. habet & abſtergendi uires, propterea feruidas quidem inflāmationes irritat, mitiores uero, & ad duritiem propenſas diſcutit. uarijs modis comeditur fœnogræcum, ſed copioſius ſumptum caput tentat, præſertim ſi abſque pane offeratur, nonnullis ſtomachum quoq́; euertit. At cremor decocti fœnogræci cum modico melle exhibitus, omnes deprauatos inteſtinorum humores educit. permodicū eſſe oportet, quod permiſcetur mel, ne erodat. in diuturnis uero doloribus qui ſine febri thoracem infeſtant, pingues ſimul palmulæ elixantur: inde ſucco expreſſo melleq́; admixto ſuppoſitis carbonibus rurſus decoquūtur uſq́; ad congruam conſiſtentiā. datur id diu ante cibum, obſeruariq́; oportet, ne ijs exhibeatur quibus facile caput dolet. palmulæ enim capiti infeſtæ ſunt.

G

Graminis radix moderate frigida eſt & ſicca. Ideo ſanguinolentis ulceribus confert, herba uero illita leniter refrigerat inter humiditatem ſiccitatemq́; media. mordacitatis tenuitatisq́; ſubſtantiæ modicum quidpiam in radice deprehenditur, ut quandoque potum eius decoctum calculos conterat. huius ſemen ubiq́; locorum imbecillum eſt, in Parnaſo tantum inuentum urinam prouocat, profluuia uentris ac ſtomachi exiccat. omnino uis illi exiccandi eſt, attenuandi, ac mediocriter adſtringendi.

Glans unguentaria quam myrobalanum uocant, abſtergēdi incidendiq́; uiribus

pollet

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pollet cum adſtrictione quadã, quo fit ut abſtergat & incidat, ſimulq; detineat & compingat. hac ratione uaros, lentigines, diſcoloratam ueluti à ſole cutim, pruritum; ſcabiem ac lepram exterit: manantia ulcera, quæ achores uocantur, & puſtulas ulceroſas carniſq; omnino excreſcentias reprimit, præſertim cum aceto. Item cicatrices emendat, iocinori indurato illita confert, lienem ſoluit, addita præcipue exiccantium farinarum aliqua, ueluti loliacea aut orobina. cortex tamẽ omnino efficacior eſt ubi maiori adſtrictione indigebimus, ideo ipſe eligendus. huius glandis caro drach. unius pondere è mulſo pota uomitũ facilem præſtat, ſæpe & inferius per aluum copioſe ducit. quando igitur hepar, aut ſplenem purgare decreueris, hoc medicamentum cum poſca ne ſtomacho noceat exhibebis: aceto enim gaudet tã extra illita quàm intus aſſumpta. de quercea glande ubi de quercu agetur ſuo loco dicemus.

Gentianæ radix uſui eſt ad ea quæ attenuari, exteri, expurgari apeririq; oporteat.

Gingidium quantum in guſtu amaritudinis acerbitatiſq; particeps eſt, tantum etiam in temperamento caloris ac frigoris: habet uero ab utraq; qualitate quod exiccet. ſtomacho egregie conuenit, quoniam non modice adſtringit, magiſq; adhuc conueniet ſi elixetur & cum aceto comedatur. caloris quidem non adeo manifeſti eſt, ſed ordine ſecundo exiccat.

Glaucium uiolentæ acerbitatis eſt, ſed tam aperte quoq; refrigerat, ut eryſipelata mitiora compeſcat.

Glycyrrhizę ſuccus dulcedine excellit cum adſtrictione quadam leni. Ideo aſperitates leuigat, non cannę tantum, ſed ueſicæ quoq; ſcabioſæ. qui uero non adeo dulcis eſt humiditatem annexam habet, cuius ratione ſitim reprimit.

Galla quæ adhuc acerba eſt omphacitis uocata efficaciſſime adſtringit, plurimæ terreſtris ſubſtãtiæ particeps, ob quam exiccat, & fluxiones repellit, cogit conſtipatq; imbecillas partes, atq; omnibus fluidis morbis reſiſtit. Hanc ego in tertio exiccandi ordine & ſecũdo refrigerandi ponendam cenſeo: altera uero galla flaua laxa ampla, exiccat quidem & ipſa, ſed eo minus, quo minus etiã acerbitatis habet. cocta hæc priuatim, deinde contuſa & appoſita, inter inſignia cataplaſmata numeratur, quæ ad ſedis inflammationes & procidentiam fieri ſolent: atq; ubi mediocri adſtrictione opus fuerit, in aqua decoquimus, ubi uehementiori, tum uinum præcipue auſterum eligimus. gallæ exuſtæ ſiſtendi ſanguinem facultate pollent: ab uſtione mutuantur caliditatem, acrimoniã, tenuioremq; ſubſtantiam ac maiorem exiccandi uim: oportet præignitas in carbonibus uino aut aceto extingui.

Gummi uim habet exiccandi & emplaſticam, propterea aſperitates lenit.

Gluten quo ad libros utuntur ex ſimila aut farina conficitur, emplaſticum eſt ac maturandi uires habet. de tauri uero glutine ac ſimilibus dicetur ubi de animalibus agemus.

Gladioli radix ſuperior euocandi diſcutiendi ac exiccandi uiribus præſtat.

Geniſtæ qua uites apud nos necti ſolent ſemen, & uirgarum ſuccus attrahendi uiribus plurimum pollent.

H

Halimi germina quidam edunt condiuntq; ac referuant. uis illi eſt lac & ſemen generandi. habet in guſtu ſalſedinis acerbitatiſq; quidpiam, conſtatq; diſſimilare eſſe, plurimum tamen ſubſtantiæ eius moderati caloris exiſtit, cum incocta humiditate, & leniter flatuoſa. radicis decoctum cum mulſa conuulſiones, rupturas ac tormina mitigat, lactiſq; copiam facit.

Helenij radicis pcipuus uſus eſt, quæ quidem calefaciẽdi exiccandiq; uires piperi

proximas

proximas habet, cum plurima tamen excrementoſaq; humiditate. qua propter eclegmatis ad craſſos lentosq; humores è pectore ac pulmone per ſcreatū du/cendos utiliter adhibetur.

Helxina (quidam hanc parthenium, quidam perdiciū appellant) uirtutem habet abſtergendi & leniter conſtipandi, cū ſubfrigida humiditate. propterea inflammationes uniuerſas ſed præcipue calidas, in principio & augmento compeſcit, inchoantibus etiā furunculis illinitur. eiuſdē ſuccus cū roſaceo ad auriū dolores mediocriter inflammatos confert: nonnulli etiam ad tonſillas inflammatas utuntur. ſunt qui ob nō mediocrem abſterſionem ad tuſſes antiquas exhibeāt. exterit alopecias & impetigines priuatim aſſidue illita, ſedis hæmorrhoidas aperit, fiſtulis medetur, & ſinus cohibet, trita & cum modico ſale applicata.

Hedyſarum quod etiam pelecinum ſeu ſecurinū uocant, ſemen habet colore ruf/ſum, aut flauum, acie in ſecuris ſpeciem ancipiti, guſtu amarum & ſubacerbū, propterea ſtomacho confert, & obſtructiones uiſcerum purgat, quæ omnia ra/mi eiuſdem fruticis poſſunt

Hemerocallis radix, liliaceæ ſpecie ac uirtute ſimilis eſt: cōfert igitur quemadmo/dum & illa aduſtionibus ignis, habet enim quippiam latentis diſcuſſionis ac re pulſionis nonnihil.

Hypociſtis, quæ & ciſtos appellatur, folijs ciſtari multo acerbior eſt, medicamen/tumq; omnino ad fluida cuncta efficacius, ueluti ſanguinis eiectiones, fluxum muliebrem, cœliacos dyſentericosq; affectus. Quod ſi membrum firmare ueli mus, plurimo humore languidum, id egregie fiet ab hypociſtide antidotis & li nimentis adhibita.

Hedera ex oppoſitis uiribus cōſtat, habet enim quippiā adſtringentis ſubſtantiæ quam frigidā terreſtrēq; dicimus, habet et acrimoniā quā calidā eſſe uel guſtus ipſe atteſtat. Aquoſi etiā tepidiq; ſucci particeps eſt. folia ergo è uino decocta magna uulnera glutināt. ulcera ab aduſtione ignis ad cicatricem ducunt, cocta in aceto ſplenicos iuuant. flores cū cerato triti aduſtionibus cōgruunt, ſuccus è naribus purgat, auriūq; diuturnæ diſtillatiōi medeť, ulceribusq; antiquis auriū ac naſi. Quod ſi acrior uidebiť, roſaceo aut oleo dulci admiſceť: lachryma eiuſ/dem pediculos enecat, pilos deſtruit: uirtutis adeo feruidæ ut leniter incendat.

Hordeū primo ordine refrigerat & exiccat, nōnihil etiam abſtergit, ad exiccandū lomento decorticato aliquantulo efficacius eſt. in reliquis extra illiū conſimi/les uires habet. ſi comedať, eo fabis præſtat, quod inflandi uim decoctione om nino deponit, quam fabæ perpetuo ſeruant. ineſt enim fabæ craſſior ſolidiorq; ſubſtātia, hordeo uero tenuior: ideo illa plurimū, hoc modice nutrit. Nullo con diturae genere hordeū corpori calorē addit, ſed exiccando aut humectando ua/ria conditura diſponitur. quæ enim ex torrefacto hordeo farina molitur mani/feſte exiccat. Ptiſſana autem humectat, ſi apte præparetur. panis hordeaceus prorſus triticeo minus nutrit, aluumq; impenſius citat.

Hyacinthi radix bulboſa primo ordine exiccat, ſecūdo refrigerat: creditur è uino pubi applicata pueros impubes diutius cuſtodire. ſemen temperate adſtringit abſtergitq;, unde ad regium morbum è uino exhibetur: id tertio ordine exiccat inter caliditatem frigiditatemq; medium.

Hydropiper herbula eſt in aquoſis naſcens, ramuſculis ac folijs mēthæ ſimilis, ma ior tantum, guſtu acerrima ut piper, perexigua ſemina ſingulis folijs ferens. ca/lida quidem eſt, non tamen accedens piperi, quæ recens illita liuores ſub oculis ac duricies ſanat. hanc nonnulli condimentis piperis loco addunt.

Hyoſcyamus in medicina utiliſſimus, albi ſemen tertio ordine refrigerat, reliquæ ſpecies uenenoſæ ſunt. Hype/

Hypericum calefacit & exiccat, tenuiſq́ ſubſtãtiæ eſt, itaq́ menſes ac urinam ducit, ad quæ non ſemen tantum, ſed folia quoq́ adhibentur. uirens illitum ulcera, præſertim quæ ab igne fiunt, ad cicatricem perducit: aridum tritum & applicatũ putrida & humore marcentia corrigit. nonnulli & ad coxendices bibunt.

Hyſſopus tertio ordine calefacit & exiccat cum tenuitate ſubſtantiæ.

I

Iuniperus tertio ordine calefacit & exiccat, fructus acriter quidẽ calefacit, ſed primo tantum ordine exiccat.

Irionis ſemẽ quemadmodum guſtu, ita & uiribus naſturcio aſſimilatur, igneum enim fragransq́ eſt, ad eclegmata conficienda. Præſtat præmadefactum aqua elixari, cõfert ad craſſos lentosq́ humores è pectore ac pulmone per ſcreatum eliciendos: ſed & parotidas induratas, mammillarumq́ ac teſtium duricies diſſoluit. ſcribit Dioſcorides illitum cum aqua & melle latentibus cancris mederi.

Intubum ſimilem lactucis facultatem habet, ab eis tamen cibi iucunditate longe relinquitur, quibuſdamq́ alijs dotibus, quas loco ſuo de lactuca docebimus.

Iſatis infectoria domeſtica, qua infectores utũtur, efficaciter quidem exiccat, mordicationem tamen non attingit: amareſcit eadem ſimulq́ adſtringit, propterea ampla ſolidorum corporum uulnera glutinat, præſertim quæ in muſculorum capitibus fuerint. Ad ſanguinis eiectiones utiliter illinitur. Aquoſos tumores mirum in modum diſcutit cõtrahitq́, & omnibus malignis ulceribus efficaciſſime opitulatur, ſiue putrida ſint, ſiue erodentia. Quod ſi ualidior ægri uirtute apparebit, folijs eius cõtuſis panem aut hordeaceam farinam, aut triticeam, uel polentam permiſceto, pro dominante in ſingulo quoq́ diſpoſitione.

Iſatis agreſtis habet in guſtu quippiam manifeſtæ acrimoniæ, ideo cum magis exiccet, quàm domeſtica humidæ putredini efficacius reſiſtit, in cæteris omnibus inutilior eſt. effrenius enim etiam erodendo areſacit, ideo ob poteſtatis uehementiam ſplenicis confert, quibus domeſtica non contulerit.

Iuncus frutex ex aquoſa ſubſtantia leniter calida & pauca terreſtri frigida componitur, ob quam moderate adſtringit. tertio igitur gradu inchoãte exiccat, inter caliditatem frigiditatemq́ ambigit, ſuasq́ ſingulas partes inter ſe conſimiles habet. bibitur & ſeorſum & cum alijs medicamẽtis ad cœliacos affectus, dyſenterias, ſanguinis eiectiones, profluuia prolapſusq́ uteri, ac ſedis exitum, atque hypociſthidi utiliter admiſcetur.

Iunci flos temperate calefacit, & temperatius adſtringit, cuiuſdam tenuitatis particeps urinas ac menſes ducit ſeu potus ſeu fomentis ac linimentis adhibitis: confert & iocinoris, uentris, ac ſtomachi inflammationibus.

Iunci quem leuem uocant, quidam oxyſchinus, quidam oloſchinus dicitur: oxyſchinus durior graciliorq́ eſt, oloſchinus craſſior. huius ſemen ſomnum conciliat. oxyſchini ſpecies duæ, quædam ſterilis medicinæ inutilis, quædam frugifera, cuius ſemen (quamuis non æque ac alterius) tamen & ipſum ſoporiferum eſt, doloremq́ capitis facit: utraque ſpecies torrefacta & è uino bibita, uentris fluores rubrasq́ mulierum excretiones compeſcit. Atq́ hinc colligitur temperatura leniter frigida cum aquoſa caliditate, ob quã inferiorem uentrem exiccat, & ſenſim eleuatur ad caput, atq́ opprimit ſomnolentia.

L

Lauri folia & baccæ uehementer exiccant & calefaciunt, baccæ tamen excellunt. radicis cortex minus quidem acris & calidus eſt, ſed amarior cum adſtrictione quadam, propterea calculos frangit, & hepaticis cõfert. bibitur è uino odorato triobolus.

Labri

Labri ueneris quod dipſacon uocant, radix ſecundo ordine exiccat, habet & abſterſorij quippiam.

Lobi qui nunc paſſim uocantur, apud omnes antiquos dolichi & phaſioli appellati de genere piſorum ſunt, ſimiles illis quantum ad minimam flatus generationem, quantum uero ad iucunditatem cibi & egeſtionem peiores. peculiariter autem lobi dicuntur, quoniam ferè iſti tantum, eorum omnium quæ ſiliqua ueſtiuntur, cum ſiliquis ſuis comeduntur.

Lupini, quibus dulcedinem decoctione paraueris cibo aſſumpti uix concoquuntur, & craſſioris ſucci alimentum corpori prębent, crudosq; humores gignunt, aluum nec ducunt, nec cohibent. Ratione medicinæ cōſiderati, quos dulces effeceris emplaſticas uires habent. quibus uero inſita adhuc amaritudo ineſt, abſtergunt, diſcutiuntq; & uermes interficiunt, ſi cum melle lambantur, aut cum poſca bibantur, ſed eorum decoctum bibitum aut per clyſterem iniectum eoſdem educit. Idem poteſt farina cū taurino felle exterius umbilico illita. præterea uitiligines, manantia capitis ulcuſcula, efflorationes cutis, ſcabiem, gangrenas, ulcera maligna, ſine eroſione exiccando compeſcit: lienem & iecur, cū ruta & pipere expurgat, quæ iucunditatis gratia commiſcentur. lupinorum farina egregie diſcutiēdi ui pollet, neq; enim tantū cutis liuores, ſed ſtrumas quoq; & panos induratos ſanat. aceto ipſam aut oxymelite aut poſca elixare oportet, differentias determinando penes ęgrorum temperaturas, aut morborum uarietatem. Eſtq; ſimul cum decocto applicanda. Illinunt nonnulli eandem ad coxendices.

Lupinus erraticus amarior efficaciorq; in cunctis domeſtico eſt, eiuſdem generę facultatis.

Lactuca frigidum & humidum olus eſt, non tamen extreme, ſed eam recte quiſpiam fontanarum aquarum frigiditati cōmparabit, ideo ad inflammationes confert, & ad parua leuiaq; eryſipelata. in cibo ſitim reprimit, ſomnū conciliat, præſertim quæ ferbuerit, ſi cum poſca tantum comedatur. ſed neq; ægre cōficitur, ſicut reliqua olera, neq; uentrem ſiſtit, neq; ducit, propterea neq; uitioſum ſanguinem generat, neq; exquiſite probum. ſemen eius bibitum genituræ fluxum compeſcit, ideo pollutioni quæ fit in ſomnis occurrit. liquor agreſtis lactucæ cū muliebri lacte illitus ulcera oculorum quæ argema uocantur, & nebulas extetit, & aliud exulcerationis genus in oculis quod epicauma appellatur.

Lixiuium ablutio eſt cuiuſq; materiæ, quæ in cinerem ſit redacta. abſterſione & exiccatione reliquis omnibus præſtat, quod ex cinere ficus aut tithymalli fit, ut propè iam putrefaciendi uires attingat. tenues partes lixiuium habet, atque indolenter urit.

Lilij flos mixtarum facultatum eſt: ex tenui enim quadam & terreſtri ſubſtantia cōſtat, cuius qualitates guſtanti offert, & ex aquoſa temperata, unde eius oleū ſine mordacitate mollit, ac diſcutit, uteriq; durities ſoluit. radix & folia ſeorſum trita exiccant, exterūt, diſcutiuntq; moderate. eſt enim radix in primo abſtergentium ordine, ideo aduſtionibus congruit, ſi aſſata cum roſaceo teratur, & uſq; ad perfectam cicatricem apponatur. namq; ad cicatricem inducendam uniuerſis ulceribus peculiare medicamentū eſt: uterū præterea mollit, ac menſes ducit, ſed folia quoq; elixata ad cicatricem aduſtionum reliquarumq; ulcerum congruit. ſunt qui foliorum ſuccum cum melle & aceto ad mellis cōſiſtentiam decoquant, ſumendo ſucci partes quinq;, mellis & aceti ſingulorū partem unam, inſigni remedio ad ea quæ uehementi exiccatione abſq; eroſione indiguerint, quemadmodum diuturna nimioq; humore languida, & quæ male coaleſcunt ulcera ſunt.

Libanotides tres eandem omnes facultatem habent,molliendi ac diſcutiendi,ſuccus tam herbæ quàm radicis hebetudines oculorum emendat. quæ ob craſſos humores fiunt,poſſunt enim libanotides abſtergere atq; incidere.

Liguſtici radix ac ſemen adeo calefaciunt, ut menſes & urinas prouocent ac flatus diſcutiant.

Lini ſemen flatuoſum eſt,etiam ſi torrefiat.ita ergo excrementoſum erit,primoq; ordine calefaciens, inter humiditatē ſiccitatemq; medium, ſtomacho noxium, concoctu difficile, ſed urinam mouet.

Lichen herba muſcus eſt petris adnaſcens,hæc abſtergendi ſimul ac moderate refrigerandi uires habet,& utraq; ratione exiccat, impetiginibusq; medetur.

Lolium quod æram uocant iride magis calefacit, & exiccat,ut iam acribus appropinquet:non tamen partium ſubtilitate iridi æquandum eſt, à qua longe ſuperatur.merito igitur ponetur in principio tertij ordinis calefacientium,& in fine ſecundi exiccantium.

Liguſtri arboris folia,rami,& flores uſui ſunt, mixtarum facultatum ac temperaturę.nam ab aquoſa ſubſtantia moderate calida diſcutiūt,à terreſtri frigida adſtringunt:unde aduſtiones ignis eorum decocto utiliter fouentur,ad igneas etiam inflammationes & carbunculos conferunt, impune enim & abſq; eroſione exiccant.ſpontinis oris ulceribus & pręcipue pertinacibus commanducata mendentur. liguſtri folia in umbra arefacta inde trita & cribrata,mox in aqua calido cinere elixata,addito Rhu obſoniorum,& modico aceto, podagricis, chiragricisq;, ac maximis inflammationibus utiliter illinuntur, fluxionem repellendo,ac quod in loco collectum eſt per cæcos meatus diſcutiendo,ueluti fit in ſudore.officiunt tamen colori ac præcipue unguium, propterea prælinenda ſunt loca cerato roſato humido, aut carpaſo.

Lathyridē nōnulli inter tithymalos ponūt,huius ſemen purgandi facultate pollet.

Lapſana comeſta,mali ſucci eſt,illita abſtergit,ac diſcutit.

Limonij, quod & cynogloſſum quaſi canis linguam uocant, ſemen, quod auſterum eſt cœliacis ac dyſentericis exhibent. ſputo etiam ſanguinis ac mulicbri profluuio confert.

Leontopodij ſiue leontopetali, radice præcipue utimur, quæ per halitum digerit, atq; ordine tertio calefacit.

Lanceola quam lonchitin uocant, triquetrum ſemē habens lanceæ ſimile urinam cit.quæ uero folijs ſcolopendriæ aſſimilatur ad glutinanda uulnera eligitur, ac cum aceto pota induratos lienes ſoluit.

Lycium ſeu buxea ſpina,quā Pyxacantham appellant,planta aculeata eſt,ex qua quod lycium appellant,conficitur,quo ad oculorum hypopia utimur, & ad inflammationes ulceraq; oris ac ſedis,ad ſerpigines,putridaq; ac maleſica ulcera, ad intertrigines,ad unguiū abſceſſum,quem paronychiam uocant:habet enim exiccandi uires,ex partibus natura diuerſis cōſiſtens.Alia quidem tenui, & ad diſcutiendum parata, alia ad ſecundū ordinem calida,alia terreſtri frigida, quā moderata adſtrictio conſequitur. ideo ad uarias ægritudines idoneum medicamentum eſt.Qua enim abſtergit ad tenebroſas pupillas adhibetᷓ.Qua adſtringit ad cœliacos,dyſenteriacosq; & ad mulicbres fluxiones accōmodatur.eiuſdem uero gummi ad cuncta efficacius inuenies.

Lyſimachiū inſigni adſtringendi uirtute pollet. cuius ratione uulnera glutinat,& ſanguinis fluxum è naribus illitum ſiſtit, ad cæteraſq; ſanguinolentas fluxiones peculiare medicamentum eſt.ſuccus tamen eius prę ſtantior,qui potus,aut clyſteri iniectus dyſenterias ac ſanguinis eiectiones , mulicbreq; profluuium compeſcit.

Lotus

Lotus domeſtica,quam nonnulli trifolium uocant, abſtergendi ac exiccandi uiribus pollet,in caliditate ac frigiditate temperata.

Lotus agreſtis frequentiſſima in aphrica eſt, ſemen eius ſecundo ordine calefacit cum quadam ſimul abſterſione, Aegyptiæ ſemen ad panificium aſſumitur.

Lotus arbor exiccat attenuatq;,moderatę adſtrictionis particeps. Ligni igitur ramenta muliebrem fluxum,dyſenterias ac cœliacos affectus compeſcũt.coquitur in aqua nonnunquam & in uino quemadmodum uſus poſtulat, neq; tantũ per clyſterem iniÿcitur ſed bibitur quoq;,prætetea moderate exiccando adſtringendoq; fluentes capillos retinet.

Liquor cyrenaicus omnibus calidior eſt ſubſtantiaq; tenuior, ac propterea magis diſcutit. Veruntamen alÿ quoq; liquores calidi ſunt ac flatuoſi, ſicut medicus & ſyriacus quem laſerem uocant.

Laſerpicÿ quod ſilphion uocant,liquor calidior quidẽ eſt, nõ tamẽ ſolia, caulis & radix parũ calefaciũt: omniũ uero perq; flatuoſa,aëreaq; ſubſtantia eſt,propterea concoctu difficilis,ſed ſi exterius applicant̃ efficacius agunt,præſertim expreſſus ſingulorũ ſuccus attrahendi, expurgandi ac diſſoluendi uiribus pollẽs.

Lentes impenſe adſtringũt,inter calorem ac frigus mediæ,ſed ſecundo ordine exſiccant:earum quidem corpus areſacit ſiſtitq; aluum,ius uero irritat. Prior igitur aqua effundenda eſt ubi retentionis gratia ſumuntur.

Lenticula paluſtris ſecundo ordine frigidi ac humidi temperamenti eſt.

M

Muris auricula quã alſinen uocant,helxinæ herbæ uim ſimilem habet refrigerandi & humectandi.Eſt enim aqueę ſubſtantiæ propterea abſq; adſtrictione infrigidat,ergo ad feruentes inflammationes & moderata eryſipelata congruit.

Muſcus marinus ſeu fucus adſtringit,& frigefacit,unde quæcunq; calidiora ſunt manifeſte refrigerat.

Moſchus quem aliqui ſplachnon,& hipnum appellant ita moderate adſtringit & refrigerat, ut prope temperata accedat: unde etiam molliendi diſcutiendiq; facultatem habet præſertim qui in lignis cedrinis inuenitur.

Mentha calefacit quidem, ſed ob hortenſes delicias excrementoſam humiditatem permixtam habet,ideo uenerem temperate excitat: ob eandem temperaturam abſceſſibus cum polenta illinitur, uermes propter amaritudinem perimit: potum eius decoctũ tribus ſeriatim diebus colicos omnino ſanat: recentes ſanguinis eiectiones cum poſca bibita propter acerbitatem ſiſtit.tenuis ſubſtantię herba,ſi qua alia eſt.

Milium primo ordine refrigerat,tertio remiſſe exiccat uel ſecundo intenſe, partiũ ſubtilitatis quadantenus particeps,comeſtum pauciſſimum omnium propè ciborum alimentum corpori præbet, abſq; eo quod aluum exiccat, exterius fomentis utiliter adhibetur,ubi ſine eroſione exiccari oporteat.

Maza ex polenta hordeacea cum melle aut ſapa aut conſimili liquore conficitur. quæ ſiue cruda comedatur,ſiue quouis alio modo condiatur,minus hordeaceõ pane concoquitur,magiſq; uentrem flatu replet,& ſi diutius immoratur turbulentias excitat:furfur enim quo maxime abundat maza alioqui natura durus durior ex torrefactione redditur. nec ipſe tantum, ſed hordei quoq; ſubſtantia in nutrimentũ corporis tranſire ſolita, ſimili modo torrefacta durior ſeipſa efficitur.nam quantũ furfur ſuapte natura tranſmutationi reſiſtat,facile deprehenditur,aqua madefactus.Qualis enim à principio fuerat,perſiſtit.nec unq; diſſoluitur,ut hinc colligi poſſit,idem in uentriculo efficere.cũ ergo neq; concoquatur neq; in uenas diſtribuatur,aluo ſecedit, hordei præſertim abſterſione incita

tus:ſeceditq; uelocius,tuſus,& plurimū madefactus.quòd ſi mel quoq; admix tum fuerit,tunc nihil planè ad celerem excretionem omittitur.

Malobathri folium uiribus ſimile eſt ſpicæ nardi.

Mercuriali ad ciendam aluum paſſim utimur, ſi quis tamen & extra illinet,experietur non ignaue diſcutere.

Maceris cortex ab india defertur cum leui acrimonia adſtringens,ideo etiam exiccat.tenuis ſubſtantiæ eſſe argumento eſt odoris iucūditas,cœliacis ergo ac dyſentericis medicamentis utiliter admiſcetur,in tertio ordine exiccantium eſt,in calore & frigiditate temperatus.

Malua agreſtis quidem leniter mollit ac diſcutit, hortenſis uero quo magis aqueum humorem ſortita eſt,eo imbecillior efficitur,facile tamen ſecedit aluo,haud ob humiditatem tantū, ſed ob lentorem quoq; , præſertim ſi cum oleo aut garo offeratur, ſub ipſum edendi tempus modico uino aſperſa. ſemen eius eo aridius,quo ualentius eſt.congener ijs eſt arboreſcens malua quam dendromalachē uocant,niſi quod magis diſcutit.hanc althœam quoq; appellant.

Mandragora egregia refrigerandi ui pollet,ita tamē ut nonnullius etiam caliditatis particeps ſit.ineſt & pomis eius humiditas , propterea improbum ſoporem inducunt.Radicis cortex efficacior exiſtens,non refrigerat tantum,uerum etiam exiccat, reliquæ partes imbecillæ ſunt.

Maſticha candida quidem & chia ex oppoſitis uiribus conſtat, adſtringente inq; & molliente.Ideo oris ſtomachi,uentriculi,inteſtinorum,& hepatis inflammationibus cōuenit,ordine ſecundo calefaciens.Nigra uero quæ Aegyptia appellatur, quàm alba magis deſiccat, & minus adſtringit,propterea aptior eſt ad ea quæ uehementius diſcuti oportet.

Melilotum mixtas habet facultates:adſtringit enim,diſcutit,& maturat:plus ergo ineſt illi calidæ ſubſtantiæ quàm frigidæ.

Mel ſecundo ordine calefacit, maximaq; abſtergendi ui pollet, tenuiſſimæq; ſubſtantiæ eſt præſertim collectum ubi thymi copia reperitur: à quo ſi tenuitatem ſubſtantiæ acquirit,neceſſario quoq; quippiam acrimoniæ comparabit,quæ aluum ad excernendum prorītat.Diximus mel abſtergere,hanc ergo abſtergendi uim ſi quo pacto opprimemus, medicinam habebimus tum ad urinam prouocandam,tum ad diſtributionem nutritionemq; commodiſſimam. exactiſſime uero opprimeт, ſi quàm plurima aqua admixta decoquetur,donec ſpumare deſierit,aſſidue ſcilicet dum feruet ſpumam auferendo . Aqua autem mulſa non decocta prius aluo ſecedit quàm in ſtomacho conficiatur. Senioribus uero frigidisq; temperaturis mel peridoneum eſt,ſicut uigentibus ætate, & calidis, ante concoctionem in bilim conuertitur.Priuatim tamē decoctum minus acre, mordaxq; efficitur, propterea magis nutrit, & ad glutinandos ſinus utiliſſime adhibetur.

Meliſſophyllum quod apiaſtrum & citraginem uocant, marrubio conſimiles uires habet: plurimum tamen ab eo derelinquitur ut nullus meliſſophylli uſus ſit tanquam omnino ſuperuacui,copia marrubij ubiq; terrarum exiſtente. Quod ſi forte marrubium defuerit,tunc ad iſtud confugiemus, ſuæ ſemper imbecillitatis non immemores.

Meſpili arboris fructus acerbiſſimus eſt, atq; aluum ſiſtit.

Medicæ mali ſeu citrij fructus in medulla quidem acido ſapore & exiccandi uiribus pollet,ut ad tertium refrigerandi exiccandiq; ordinem accedat:cortex uero & ipſe quidem ſecundum exiccandi gradum attingit, non tamen infrigidat,ut ab iucundo odore indicatur.Caro autē ob frigiditatem dura ac craſſæ ſubſtantia:

tiæ eſt,ſemenq; ob amaritudinem nõ comeditur, quod conſtat diſcutiendi uim habere,atq; ordine ſecundo exiccare.folia præterea exiccant & diſcutiunt.

Mei radices uſui ſunt,tertio gradu calidæ,ſecundo ſiccæ. Quibus excrementoſa humiditas ineſt.Propterea potæ urinam ac menſes cient,uberiusq; ſumptæ nimia humiditate inflant & caput tentant.

Mòri arboris fructus, qui ſycamina, & ſycomora uocari conſueuerunt, ſi maturi puro uentriculo occurrant, atque ante cibum ſumantur, celerrime per inteſtina ſecedunt, atque iter cæteris alimentis præparant: ſi uero in ſecunda menſa offerantur,aut uitioſum humorẽ in ſtomacho inueniãt, extraneam quandam, quæ ſatis explicari nequeat,putredinem inducunt,haud abſimilem ei quæ à cucurbitis, & peponibus fit, quando non concoquuntur. Exhibendorum mororum occaſio quæ & peponum & ficuum eſt,ubi præ ariditate ac calore os uentriculi ſqualeat, quæ moleſtia neceſſario etiam iecur attinget. eo enim duntaxat tempore his omnibus impune quiſpiam utetur, ut quando longo itinere uehementer deſatigatus,aut feruido æſtu penè exhauſtus,irrigare ac refrigerare ſqualorem corporis quærit. Mora uero immatura,& acerba,ſub ſole exquiſite arefacta,& repoſita,dyſenterijs,cœliacis affectibus diuturnis,reliquisq; fluxionibus ex aqua aut uino pota efficaciſſime medentur, tunduntur etiam atq; obſonijs tanquam Rhu cõmiſcentur.Radicis arboris cortex quadantenus amareſcens, purgandi uiribus pollet. Propterea in uino decoctus lumbricos latos interimit. Item cum meri calidi cyatho bibitus menſes retentos ducit.

Muris auricula ſecundo ordine exiccat, nullius maniſeſtæ caliditatis particeps. Succi huius cyathus unus cũ zytho potus latos lũbricos abſq; dubio depellet.

Myrica ſeu tamarix abſq; exiccatione manifeſta abſtergendi facultatẽ habet non ſine aliqua acerbitate. Propterea duratos lienes efficaciter iuuat, radicibus aut folijs,aut ramis in aceto aut uino decoctis.ſemen & cortex cum eo quod abſtergunt attenuantq;,non paucam ſimul adſtrictionem habent.

Myrtus ipſa quoq; ex oppoſitis partibus conſtat.Imperat tamẽ in ea frigiditas terrea, neq; omnino caret tenui ſubſtantia calida, ideo plurimũ exiccando pollet: nulla uero pars illius eſt,q̃ nõ adſtringat,tã exterius illita,q̃ interius ſumpta.

Moly,quidam rutam ſylueſtrẽ,quidam armelam,ſyrij beſaſan uocant,tenuis ſubſtantiæ eſt ac tertio ordine calida. Vnde craſſos ac lentos humores diſcutit, & incidit,urinamq; prouocat.ea ad diuturnos dolores capitis agreſtes utuntur,in aqua decoquentes, caputq; irrigantes.facit & ad reliquas corporis partes refrigeratas.

Marrubiũ ſecundo ordine exacte calefacit,& exiccat,obſtructiones hepatis ac lienis aperit, thoracemq; & pulmonẽ mundificat,menſes ducit, regiũ morbũ per nares purgat,diuturnos aurium dolores mitigat:illitũ abſtergit,ac diſcutit.

Myrrha ſecundo gradu calefacit & exiccat, ut ad capitis uulnera glutinanda efficax ſit.Amaritudine etiam qua pollet,lumbricos, ac fœtus enecat,& extrudit, nec uero abſterſione caret, cuius ratione ocularibus medicamentis miſcetur, quę ad ulcera craſſasq; cicatrices componuntur.additur etiam remedijs arteriacis, quæ ad aſthmata & tuſſes conficiuntur,neq; enim cannam exaſperat.

Naſturcij ſemen, quemadmodum ſinapi adurendi uirtutem habet, propterea coxendices ad capitisq; dolores & quęcunq; rubificatione indiguerint,nihil ignauius ſinapi incendit, remedijs etiam ad aſthmaticos, id eſt, ſuſpirioſos utiliter adhibetur,tanq; qđ lentos craſſosq; humores incidat.herba ſemini uiribus ſimilis eſt, imbecillior tantũ,quę cibo aſſumpta inflãmat ac capitis dolorẽ inducit.

Nux arbor habet quidem & in ramis ac folijs nõnullam acerbitatẽ,inſignem uero

& copioſam in extimo fructus operimento, tam uirenti quàm arido pręſefert, ut eo infectores utantur, nos uero ſuccum exprimentes mororū ruborumq; ri/tu & cum melle coquentes medicamentū conficimus, ex his quæ ſtomatica, id eſt, ad oris morbos confecta appellantur, quod etiam his omnibus accōmoda/mus, ad quæ adhiberi ſolent reliqui adſtringentes ſucci. ipſius uero iuglandis pars quæ comeditur oleagina, imbecilliumq; partiū eſt, & modicam quandam acerbitatem habet, quæ tempore euaneſcit, tota ſubſtantia ad pinguem ſaporē conuerſa, ut oleo antiquo ſimilis uideatur, ideo cibo tandem inepta efficitur. ui rens autē humeſcensq; adhuc neq; acerbum, neq; oleagineum ſaporem præſe fert, propterea ad alui ductionē aridæ præſtat, pręcipue ſi (quod quidā faciunt) cū garo offeratur. ſi tamē aridæ iuglandes aqua præmaduerint uirentibus ſimi les erunt, & ſi cum caricis comedantur facilius concoquuntur, & ſtomacho ma gis conferunt. creditur qui caricas, iuglandes, ac rutam ante cibum comederit, ab pernicioſis medicamentis nō multū uiolari. expreſſum ab antiqua iuglande oleum efficaciter diſcutit, ut eo nonnulli gangrænas, carbones, & ægilopas cu/rent. eiuſdem putamē aridum & exuſtum plurimæ tenuitatis eſt, ac ſine eroſio ne aliqua exiccat.

Nigella quā melanthion uocāt tertio ordine calefacit & exiccat, deprehenditur & tenuis ſubſtantiæ exiſtere, ideo linteolo inuoluta & calefacta aſſiduo odoratu diſtillationibus medetur, pota flatus egregie diſcutit. Idem facit & exterius uentri illita amaritudinis ratione. exuſta & cū oleo trita, & appoſita alopecias curat, lepras exterit, clauos ac formicas deſtruit, mēſes ꝓuocat, q̃ ob craſſitiē hu morū ac lentorē retēti fuerint, nō niſi recta ceruice ſpirantes iuuat: utq; ſumma tim dicā, ubi incidere, abſtergere, exiccare, aut calefacere oportet, utiliſſima eſt.

Nardi ſpica primo gradu calefacit, ſecundo exquiſite exiccat, cōponitur ex multa adſtringenti ſubſtantia, acri uero nō multa, neq; prorſus caret amaritudine. iu/re igitur & bibita & extra illita, iocinori ac uentriculo cōgruit, urinas cit, eroſio nes ſtomachi ſedat, & fluxiōes uētris, inteſtinorūq; cōpeſcit, nec minus capitis ac pectoris diſtillatiōes exiccat. indica efficacior eſt ſyriaca, nigrior q̃q; exiſtēs.

Nardus celtica uires prædictæ congeneres habet, ad cuncta tamen imbecillior niſi ad ciendam urinam. eſt etiam calidior, ſed minus adſtringit.

Narciſi radix tantum exiccat, ut ampla uulnera glutinet, etiam ſi chordæ diſſectæ ſint, habet & abſtergendi, euocandiq; quidpiam.

Nerium aut rhododaphne frutex eſt omnibus notus, extra corpori illitus diſcuti/endi uires habet, at ſi intra ſumatur pernicioſus, exitialisq;, non hominibus tan tum ſed pecorum quoq; pleriſq;.

Nymphеæ radix & ſemen, abſq; eroſione exiccant, ſiſtuntq; alui profluuia, & pol lutiones nocturnas, quæ ſiunt in ſomnis, ac quæcunq; alio modo immoderate deferuntur. proſunt etiam dyſentericis. nymphea uero cuius candida radix eſt, muliebrem fluxum potentius compeſcit. bibitur utraq; nigra inquam & can/dida è uino nigro auſtero, quibus nōnihil quoq; abſterſionis ineſt, ut aqua ma/ceratæ uitiligines exterant, & capitis areas, cū liquida pice illitæ. ad hæc tamen nigram eligito, ad reliqua uero candidam.

O

Oleæ frondes tantam frigiditatem, quantam acerbitatem habent. fructus exqui/ſite maturus temperate calefacit, immaturus acerbior frigidiorq; eſt. oliuæ dru pæ pinguem habentes ſuccum exiguum alimentum corpori præbent, ſalſæ ue ro quas colymbadas uocant, cum adſtringentis ſaporis participes ſint, ſtoma/chum firmant, uimq; appetendi excitant, optimæ omnium quæ aceto condiun tur. facilius enim concoquitur quidquid guſtu iucundius.

Olcæ

Oleæ æthiopicæ lachryma ammoniaco tenui aſſimilatur, abſtergendi ui pollet, ideo ad oculorum cicatrices, albugines, & hebetudines confert. ſedat & dentiũ dolores cauis eorum indita. ſunt qui hanc oleaſtrum putent.

Oleum ex oliuæ bacca expreſſum, quod proprie uocamus oleũ, humectat & temperate calefacit, tale dulciſſimum eſt, potiſſime ex drupa, ſicuti ſabinũ temperate calidum medij temperamenti exiſtit, ideo immaturo magis diſcutit: immaturum uero quod & omphacinũ appellat̃, pro acerbitatis ratione refrigerat. oleũ antiquum ſi à principio maturũ fuerat, calidius eſt ac magis diſcutit: ſin immaturum, donec acerbitatẽ ſeruauerit mixtæ uirtutis erit, ubi hanc exacte reliquerit priori aſſimilatur. lucernę oleũ tantũ à medio & temperato, à dulci inquam, ad caliditatem inclinat, quantũ omphacinum ad frigiditatem. omphacino utimur ubi caput plus æquo incaluerit, lucernario ubi caput refrixerit, dulci & temperato ubi humefactum fuerit. illud conſtat, omphacinũ uel frigidũ quandoq; applicari oportere, reliqua omnia ſemper calida. atq; hactenus quidem de capite. cæterum corpus ubi arefactum ſit, dulci perfunditur, quod & utiliſſimũ eſt, ubi denſetur cutis, uel ab frigore, uel ab adſtrictione medicamenti, ſiue eroſione, ſiue acrimonia, uel ab humore pruritum inducente, idq; in balneo præcipue uel etiam poſt balneum. at ſtomacho & hepate inflammatis, omphacini fomentum ob adſtrictionem maxime conuenit, in reliquis membris dulce pręferendum.

Oleum ricininum quod cicinum appellant, in Aegypto fit ex ricini fruticis ſemine crotone appellato, quod cõtunditur, premiturq; & in aquam feruentẽ conijcitur, deinde fluitans pingue colligitur, attenuandi, diſcutiendiq; facultate pollens ueluti antiquum oleum. ſimile & raphaninũ eſt, propterea ſi ricinini copia non adſit, uel hoc, uel antiquo uteris.

Oleum quoq; è ſemine lini conficitur, quo noſtra ætate pro ricinino utimur, neq; enim ad nos amplius ricininum defertur.

Oleum raphaninon cætera ricinino ſimile, calidius tantum.

Oleum è populo nigra uere conficitur, quo tempore ſemẽ reſina abundat. ſumuntur granorum paululum contuſorum unc. IIII. olei dulcis ſextarium Italicum, inſolanturq; diebus quadraginta, deinde oleum ita confectũ reponitur, habetq; attenuandi, calefaciendi, molliendiq; facultatem, iucundiq; odoris eſt.

Oleum amigdalinum ex amaris amigdalis fit, quod partium tenuitate & caliditate dulce & commune oleum integro gradu excedit. confert præcipue auribus craſſo ſpiritu obturatis, & auditus difficultati, ac tinnitui ob algorem cõtracto, auriumq; uermiculos perimit. experimento compertum eſt auribus peculiariter, magiſquam reliquis partibus conuenire.

Oleum è iuglandibus ſicut amigdalinum conficitur, aut contuſis nucibus expreſſiſq;, aut poſt contuſionem feruefactis: nec uirtute diſſimile eſt. ſupereminentẽ uero præſtat utilitatẽ deaurantibus inurentibusq; : exiccatur enim & plurimo tempore deaurationes, atq; inuſtiones conſeruat.

Oleum ex unguentaria glande, quam myrobalanum uocant, faciei maculas, lentigines, uaros, omnemq; nigritiem exterit, & uentriculi humores purgat. conuenit & aurium doloribus, ac tinnitibus cũ anſerino adipe infuſum. molitur glans unguentaria, inde oleum, ſicut amygdalinum conficitur.

Oleũ laurinũ ex lauri baccis ueluti de reliquis diximus, præparatur. at compoſitũ ita cõficitur: ſextarijs quinq; oliuarũ maturarũ ſextariũ baccarũ lauri pinguiũ ac recentium adijcimus, poſtea ſicut oleum commune tundimus atq; exprimimus. quod ſincerũ eſt egregie calefacit mollitq;, ut ſcabiem, cutis aſperitatem,

impetigines,cæterasq; ſcabrities,in balneo illitum exterat,à quo tamen cauere oportet in inflammata impetigine, aut ſcabie, & in reliquis calidioribus bilioſisq; temperaturis. humidis enim ac pituitoſis confert, & his quorum articuli prę algore uexantur & coxendicibus,uermes etiam & pediculos tam agreſtes, quàm domeſticos, ac lendes interimit, furfures capitis & capillorum defluuia tam quæ alopecia,quàm quæ ophiaſis nominatur emendat.ad hos uſus in balneo illiniendum eſt, inde ouo cum melle & fœnugræci farina detergendũ, obſeruando ne applicetur capiti calido.

Oleum ſeſaminum ex ſeſamo conficitur tuſo, & in feruentem aquam proiecto. huius facultas non multũ ab oleo dulci recedit,caliditate temperata,& omnino abſq; adſtrictione aliqua,edendo aptũ,guſtuiq; iucundũ facile concoquitur,& aluũ ducit. extra illitum ob craſſitiem emplaſticũ eſt, ad oleorum redolentium confectionem oleo cõmuni præfertur,quod perduret,neq; facileranceſcat.

Oleum lentiſcinũ ex lentiſci bacca, reliquorũ more conficitur,fieri etiam compoſitum ſolet,quemadmodũ de laurino docuimus,lentiſci baccas oliuis cõmiſcendo. ſincerum diſtillationi oris, & gingiuis inflammatis congruit, ſi calidũ & in balneo,& extra balneum inſtilletur: repellit enim ac ſine aliqua aſperitate corroborat,propterea ad ſtomachi quoq; & iocinoris fomenta utiliter adhibetur.

Oleum labruſcę quod œnanthinum uocant, idem poteſt quod roſaceũ,& oleum è citonijs præter quod aluum mollit, ita uero conficitur, Labruſcæ flores odoratos ubi aliquantulum intabuerint, cum oleo omphacino in uas nouum conijcito,& quotidie agitato uſque ad dies quadraginta, deinde excolato & utitor. ſint florum labruſæ unc. II. cum olei ſextario.

Oleum è citonijs quod melinum uocant, è pomis citonijs conficitur, quamuis ex alijs etiam pomis confici poſſit quæ acerbiora odoratioraq; fuerint. Abſcindito quicquid lignoſum prope pediculũ hæſerit intimamq; medullã cũ acinis exteriori recæpto cortice: ineſt enim illi odor ſimul cũ adſtrictione.tũ ubi in fruſtula parua diſſecueris,horũ fruſtulorũ unc. II. ſextario olei omphacini admiſceto,ac diebus quadraginta inſolato,poſtea reponito. melini facultas ad frigiditatem inclinat,modice tamen, ob citonij uinoſitatẽ, ſed efficaciter ueluti lentiſcinum adſtringit,magiſq; ſtomacho familiare eſt,quod ex duobus alimentis conficiatur,oleo inquam & citonijs.haud ab re igitur ſtomacho inflammato & debili opitulatur irrigatum aut fomentis illitum. bibitur utilius quàm roſaceũ ob citonij familiaritatem,ſtomachũ enim firmat,& inſidentes humores uehementius pellit. inijcitur per ſedem quibus colon & craſſa inteſtina ab acrimonia bilis eroduntur. obſeruandum ne ijs adhibeatur, qui ob frigiditatem afficiuntur, nanq; illis magis congruit,quod ex decocto abſinthio conficitur.

Oleum roſaceũ ita conficitur: ſumito roſarũ rubearũ exectis unguibus & quę per diem ac noctem intabuerint unc. III. olei omphacini ſextariũ Italicũ,ac ſimul in doliũ cõijcito, cuius os interius quidẽ tomento, exterius uero membrana ad repentinos imbres obſtipabis.deinde ubi diebus quadraginta inſolaueris,in tabulato ædiũ temperatarũ deponito. ſcio nonnullos quędam alia roſis adijcere, optimus tamẽ apparatus eſt qui ex roſis tantũ & oleo cõſtat. prodeſt capiti uel ab feruore ſolis,uel ab febribus uel ab alia quadã cauſa calefacto arefactoq;,humectat enim mitigat ac ſomnũ cõciliat. fragrantibus etiã ob febrim uiſceribus ceratũ eiuſdem confert,quod habet ceræ unc. I. roſacei unc. IIII. in æneo uaſę cera cũ modico roſaceo liquatur,dein frigida inijcitur, & ubi refrixerit iterũ liquatur,tunc rurſus frigida infunditur,attrectandoq; manibus,cera diligenter lauatur, inde tertio liquatur ac ſimili modo abluitur, mox reliquo roſaceo adiecto

liquatur

liquatur, agitatur, tollitur, refrigeratur: poſtremo in mortarium coniecta ſubigitur paulatim inſtillando aquam quouſqꝫ imbiberit, deinde frigida immutata reponitur. quod ſi in mortario acetum aquæ loco inſtilletur, ad eryſipelata & carbunculos utile medicamentum cōficitur. ſcribetur libro ſexto proprium caput de huiuſcemodi cerato, & quomodo æſtate lauetur, aquā ſæpiſſime immutando, & quomodo uiſceribus applicetur. optimum roſaceum cum frigida uel calida potū ſtomachi eroſiones leuat quæ ob acrem bilim contigerint, aduerſus etiam aſcaridas & lumbricos magno adiumento eſt: aduerſus tamen lumbricos pręcipue infantium longe magis probatur ſapæ admixtum cum tertia uini parte cōfectum & bibitum, eos enim celerrime extrudit. in colum quoqꝫ ab iiſdem cauſis eroſum utiliter iniicitur. uſu uero eius illum abſtinere oportet cui copia caloris non ad ſit, & corpus excrementis non caruerit.

Oleum chamæmalinum ita conficitur: olei dulcis ſextarium Italicum, florum chamæmali electorum unc. II. qui integram diem tabuerint in uas coniicito, quod linteo rariori operiri oportet ut facile tranſpiret oleum, deinde diebus quadraginta inſolato. niſi enim tranſpirauerit ingratum odorem reddet. obſeruandum uero ut poſt inſolationem in tabulato temperatarum ædium collocetur. uſus eius ad caput mediocriter cōſtipatum, aut dolore affectum remiſſiori febre affligente: rareſacit enim meatus uaporeſqꝫ diſcutit, & acrimoniam contemperat, omnino. ꝗ ad ſedandum roſaceo efficacius eſt, ubi febres nō admodum feruidæ fuerint.

Oleum anethinum ex anethi umbellis adhuc uirentibus conficitur, quę decerpuntur priuſquam ſemen firmetur areſcatqꝫ: tunc enim amiſſis floribus inutile eſt. harum ergo umbellarum, abſciſſis tantum pediculis quibus floſculorum calathi adhærent, uncias duas ſextario Italico olei dulcis admiſceto, obturatoqꝫ exquiſitiſſime os uaſis ac diebus quadraginta inſolato. calidius chamæmalino anethinū eſt, quod in hyeme ad laſſitudines utiliſſime illinitur. mollit enim humectatqꝫ, congruit & à craſſa pituita febricitantibus, omninoqꝫ ad frigidos affectus adhibetur, chordarum præſertim & muſculorum.

Oleum liliaceū uel ſuſinon ita conficitur. ſume liliorum alborum folia exectis unguibus, detractiſqꝫ croceis filamentis unc. II. quibus olei optimi ſextariū adiicito, ubi tamen folia prius diem ac noctem in umbra tabuerint: tum in uas recondito, & os exquiſitiſſime obturato, ac diebus quadraginta inſolato: poſtea alias duas foliorum uncias adiicito, & tribus diebus inſolato, inde tertio duas adhuc liliorum uncias ſuperaddito. ideo uero foliorum paſſorum partes ſeiunctim ſunt imponendæ, quoniam ſi ſtatim à prinpicio, ſex omnes unciæ cōmiſcerentur, putreſcerent, & oleo fœtorem inducerent. utile eſt hoc oleū ad muliebres affectus, ſoluit enim duricies & acrimoniæ mordicationes obtundit, uterosqꝫ confirmat. Suſini profitenẽ dare ſe illud prægnantibus ad facile eliciendos partus: illitū inter acopa annumeratur, mollientibus medicamentis additum egregie mollit: utqꝫ ſummatim dicam cōtemperandi, mitigandi molliendiqꝫ facultate pollet, odore iucundum, parturientibuſqꝫ propitium.

Oleum fœnugræci, molliendi abſtergendiqꝫ poteſtate furfures manantiaqꝫ capitis ulcera, ac faciei maculas, ueluti à ſole contractas exterit, cutim in facie candidam, nitentem, iuuenilemqꝫ reddit. confert & ad durities abſceſſuſqꝫ uteri, partus difficiles iuuat, inteſtinorū aniqꝫ inflammationes compeſcit, infuſum tineſmos mitigat, ac pernionibus medetur, quod ita cōficitur. fœnugræci lib. I. olei ſextaria ſex, alibi octo, cyperi lib. II. calami odorati lib. I. in oleo ſeptem diebus madefacito ter quotidie agitando, inde exprimito, excolato, & reponito.

Oleum

Oleum narciſſinum ex albis narciſſi floribus apparatur, qui diem ac noctem prætabuerint, quorum unc. II. in ſextarium Italicum olei dulciſſimi conijcito, obturatoq; diligenter os uaſis, & diebus quadraginta inſolato, floresq; eodē modo immutabis, quem in lilijs docuimus. Ita enim oleum odoratius fit, præſertim ſi moderate inſoletur. nam ſi uel hoc uel liliaceum uel uiolaceum, uel quodcunq; imbecillum defluumq; odorem habet, plus æquo inſolaueris inodoratū redditur. Narciſſinum anethino calidius eſt, propterea in reliquis partibus corporis, præterq; in capite idem efficit: odor enim narciſſini acrior, quàm caput ferat.

Oleum uiolaceum ex purpureis candidisq; uiolis conficitur, quarum unciæ tres in ſextarium Italicum olei dulciſſimi inijciuntur, terq; ueluti lilia immutantur. huius facultas paulo calidior roſaceo eſt, ideo æſtate defatigatis & ſole areſactis opitulatur, præſertim quod ex purpureis præparatur in balneo illitum: ad curandam enim laſſitudinem odoris iucunditate, animi ſquallorem ad uoluptatem tranquillitatemq; allicit, ſomnumq; minime turbulentum conciliat.

Oleum uero quod à Perſis Iaſma appellatur ex candidis uiolarum floribus & ſeſamino oleo præpararur, florum unc. II. in olei ſextarium inijciendo, immutandoq; ſicut de lilijs diximus. uſus eius apud Perſas ad ueſtimentorum odorem præcipuus. prodeſt & totum corpus in balneo inungi ad caliditatem excitandam habitumq; relaxandum: tanta illi uis in odore eſt, ut multi ſeparatim non tolerent, ſed mitioribus contemperent.

Oleum myrthinum ita conficitur: foliorū myrthi uiridium unc. II. in omphacini ſextarium conijcito, & uini odorati adſtringentis quartam ſextarij partem addito, lentoq; igne decoquito. ad uini conſumptionem, quouſq; folia torrefacta infringantur. mox purum oleum excolatum, in uitreum uas recondito, ac foliorum uiridium myrthi poſtquam diem ac noctem tabuerint, unc. I. adijcito, atq; ita reponito. habet hoc oleum magiſquam lentiſcinum, uel melinum refrigerandi uim. Propterea neq; ſtomacho, neq; iocinori, neq; reliquis uiſceribus cōfert: longo uero uſu compertum eſt ceratis & emplaſticis medicamentis utiliter adhiberi, ubi membrum adſtrictione denſandum, uel ubi defluens materia repellenda ſit, aut ubi ulcera manantia ad cicatricem ducere oporteat, aut capillorū defluuia in mulieribus cohibere: nam præter reliqua etiam odore delectat.

Oleum maſtichinum ita paratur: maſtichæ drachm. I. olei ualde acerbi ſextario adijcimus atq; in diplomate uaſe decoquimus, quod mediocriter calefaciendi ac conſtringendi uirtute pollet: proinde membris utiliter illinetur, quæ firmari condenſari & moderate calefieri oportet.

Oleum ſtyracinum ita conficitur: olei dulcis optimi ſextarium unum, ſtyracisq; pinguis unc. II. in diplomate uaſe decoquito. id aliquantulo calidius anethino eſt, mollienſq; uehementer, propterea indurata corpora egregie ſoluit.

Oleum ſycionium habet, olei dulcis ſexta. X. fœnugræci ſexta. unū, libanotidis, polij, ſampſuchi, tedæ ſing. unc. III. ariſtolochiæ longę lib. I. meliloti unc. VI. agreſtis cucumeris lib. ij. aquę qđ ſufficit. decoquito quantū expedit, & utitor.

Oleum metopium in Aegypto paratur à chalbanæ ligno metopiū uocatū. conficitur ex omphacino oleo, amaris amigdalis, cardamomo, iunco & calamo odoratis, melle, uino, carpobalſamo, chalbana, reſina. habet calefaciendi, aperiendi, attrahendi, expurgandiq; uim, confertq; muſculis ac neruorū laſſitudini. facit & ad aquoſos ramices, omninoq; molliendi uirtute pollet.

Oleum mendeſiū ſumma molliendi facultate præſtat, relaxandiq; corpora, proinde ſuppurationes accelerat. conficitur ex unguentarię glandis oleo, myrtho, caſia, reſina: nonnulli adſtrictionis gratia cinnamomum quoq; adijciunt.

Oleum quod megalium uocatur iam pridem fieri deſtitit. confectio eius amaracino ſimilis eſt, niſi quod huic reſina adijcitur, confertꝗ ad eoſdem affectus.

Oleum amaracinum habet, ſauinæ, xylobalſami, calami aromatici, floris odorati iunci, nardi celticæ, coſti ſing. lib. V. amomi, caſiæ, carpobalſami ſing. lib. III. myrrhæ lib. I. ſeminis amaraci lib. I. olei omphacini, uini odorati antiqui, ſing. ſext. quinꝗ. decoquitur ſicut nardinum. ineſt huic oleo quemadmodum nardino calefaciendi uis: cum tamen ſubtiliorũ partium ſit, nõ adeo, ſicut nardinum firmat, ſed magis mitigat, ac delinit, cum opobalſamo careat. mulieribus iniectum menſes ducit, omninoꝗ amaracinũ calefaciendi molliendi aperiendi uirtute pollet. confert ad fiſtu as, ad aquoſos ramices poſt chirurgiam: facit & ad efferata ulcera, ad cruſtas ignis, ad urinæ difficultatem illita ſede, ad uteri duri ties, & inflammationes: aperit etiam hæmorrhoidas.

Oleum liguſtrinum quod etiam cyprinum uocant, habet olei ſext. XXV. cyperi, helenij, iridis, ſing. lib. I. ſamſuci hyſſopi ſeminum uiticis, ſaluiæ ſingu. unc. III. florum liguſtri lib. I. conficitur hoc quoꝗ duabus decoctionibus. Ac reliqua quidem omnia præter liguſtrum, ſex horis in uino decoquuntur, poſtridie uero aſſumpto oleo & aqua uſꝗ ad tertiam aheni partem liguſtri flos cũ ſuis ramuſculis integer conijcitur. & ſi aridus fuerit, cõtunditur atꝗ ita horę unius ſpacio decoquitur. calefacit liguſtrinum non ignaue, tenuibusꝗ partibus conſtat ad uteros præſertim refrigeratos efficaciſſimum: humores enim eorũ craſſiores attenuat. ubi uero herbarum uiridium copia affuerit, ita liguſtrinum conficitur: olei ſext. XV. cyperi helenij, iridis, ſing. unc. VI. ſampſuchi, hyſſopi, ſaluiæ ſing. unc. II. foliorum uiticis uiridium unc IIII. florum liguſtri unc. X. foliorum lauri, foliorum citri ſing. unc. V. liquoris florum balſami drach. VI.

Oleum irinum habet iridis, aſpalathi, cyperi, helenij, ſing. lib. V. opopanacis unc. VI. uel ut quidam malunt unc. III. anchuſæ unc. II. olei ſext. I. aquæ ſext. V. tundito ſingula craſſiuſcule, & duobus diebus madefacito, deinde ſinito ut bulliant horis ſex, poſtea opopanacem uino dilutum inijcito. prędictis nonnunquam addimus, florum iunci odorati unc. V. caſiæ unc. III. xylobalſami, nardi celticæ, ſing. unc. VI. ineſt huic calefaciendi uis, nõ acris tamen, ideo refrigeratis partibus utiliter adhibetur: habet & quidpiam, quod firmet, ac molliat.

Oleum nardinum cyzicenũ quod Alexandriæ conficitur ualde egregium habet olei omphacini ſextaria XII. aſpalathi, cyperi, helenij, xylobalſami, iridis, ariſtolochiæ longæ, ſeminum cardamomi, xylocaſiæ, ſing. lib. I. floris odorati iunci, caſiæ, coſti, ſing. uncias VI. amomi folij, ſpicæ nardi, arnabonis, ſtyracis, carpobalſami, opobalſami ſing. unc. III. ſabinæ unc. I. conſice ſic: aſpalathum, helenium, xylobalſamum, irin, ariſtolochiam demptis corticibus craſſius tundito ac tribus integris diebus calida madefacito: inde tribus horis, uel ſi uidetur pluribus, ſinito ut bulliant: mox ubi refrixerint, operito, & ita dimittito pernoctare. poſtridie quæ decocta ſunt amoueto, oleoꝗ ab aqua ſeiuncto, aliã ſinceram aquam & uini modicum infundito, & rurſus decoquito. ubi efferbuerint, conijcito, primo cardamomum, inde iuncum ac xylocaſiam ſingula contuſa, patiareꝗ ut horis duabus bulliant, & iterum pernoctare ſinito. poſtridie his amotis, puraꝗ iniecta aqua ſimili modo decoquito, & poſt ebullitionẽ conijce caſiam & coſtum, ac reliqua, ubi ſingula ſeorſum contriueris. poſtremo ſpicam nardi, folium ac ſtyracem in tenues partes diſſecta imponito ac colliquari permittito: ſtatimꝗ poſtea ab igne amouebis, opobalſamumꝗ inſtillabis. quæ ubi diligenter peregeris cooperies optime & obturabis, atꝗ ita poſt duos dies in conchula excipies. Quod uero ſecundum appellatur ita conficitur. ijs quæ à tertia de-

coctione relicta ſunt,adijcito olei ſexta.ſex.finitoq; ut horis duabus bulliãt, inde adijcito caſiæ tritiſſimæ,nardi celticæ,ſing.unc.II. ſabinæ,ſtyracis ſing. unciam unam,opobalſami unc. II. habet hoc oleum calefaciendi, firmandi ac mitigandi uim. refrigerato igitur ſtomacho ac imbecillo uentri, iecinoriq; ijſdem affectibus laboranti utiliſſimum eſt,in inteſtina uero atq; uterum frigore affectum,utiliſſime inijcitur.

Alia confectio nardini uiolati odorati.Coſti uncias.XII. folij uncias.IIII. caſiæ, myrrhæ,caryophyllorum,carpobalſami ſing.unc.VI. ſpicæ nardi uncias IIII. calami odorati,unc.X. iridis,ſtyracis pinguis unc.VIII. croci drach.IIII.olei ſexta. ſex.

Confectio ſalca appellata,quæ Alexandriæ conficitur. aſpalati unc. VI. xylobalſami.unc. IX. cyperi unc. quatuor, helenij unc. VI. calami aromatici ſcrupu. XVIII. floris iunci odorati unciam I.S. caryophyllorũ,arnabonis ſing. unc. I.S.amomi unc.X. caſiæ uncias II,coſti,myrrhæ ſing.unc.I. hipni,xylocaſiæ ſing.unc.III.olei ſexta.X.conficitur eodem modo quem in nardino diximus. In prima decoctione conijcimus xylobalſamum,irim,cyperum, helenium, xylocaſiam demptis corticibus craſſius cõtuſa, duobus aut tribus diebus in aqua madefacta.In ſecunda addimus calamum,iuncum odoratum,hipnum, præmadefacta uino antiquo odorifero.In tertia reliqua adijciuntur. At quod ſecundũ uocatur ita paratur:ijs quæ à tertia decoctione derelicta ſunt, adduntur olei ſextaria ſex, coquuntur quantum expedit, inde apponuntur myrrhæ quæ ſtacte appellatur electæ,& candidæ unc.III. ſiromatis, id eſt,aquæ opobalſami,maſtichæ,ſing.unc.VI. ſtyracis optimi unc.I. ſalca utuntur delicatæ mulieres inungendo capiti,eſtq; is modus conficiendi optimus.

Oleum foliatum quod & malobathrinum uocant,ſic optime fit.aſpalathi lib.I.S. xylobalſami lib.II. cyperi,helenij,ſing.lib.I.S.folij unc.IIII. amomi,xylocaſiæ ſingu. unc. VI. zingiberis unc. III. coſti. unc.nouem,ſtyracis optimi lib. I. calami ſiue carpobalſami drach. VI. calami aromatici lib. I.S. ſpicæ nardi unc. II. caryophyllorũ unc.IIII. ſiromatis quod eſt aquoſa pars opobalſami, arnabonis,cardamomi ſing.uncias VI. iridis lib.I. olei ſext.XX. uini odorati quod ſufficit. coquito ſicut nardinum.

Quibus conueniant unguenta odorata.

Vnguenta odorata frigidioribus capitibus magis conueniunt,aut his quæ medię temperaturæ fuerint,hiemis tempore,calidioribus enim officiũt. Quod ſi quis iſta odoris tantum gratia perquiſiuerit,roſacei par pondus cõmiſceat, ita enim eorum noxius calor contemperabitur.ſed quoniam multis mulieribus talis cerebri caliditas ineſt ut unguentorum fragrantiam minime ferant,propterea ſolo omphacino ijs ego utendum conſulerem,uel interdum roſaceo, ſuntq; illarũ aliquæ,quæ nullum prorſus olei genus admittant:illico enim percipiunt capita humectari &in ſtillationes incidere. quibus recte agentibus renitendũ non eſt, quin potius hortandæ ſunt ut opportunos puluiſculos capiti inſpergant,exiccatione enim non humectatione indigent.

Oleum quod capniſton quaſi ſuffumigatum dicitur,ita conficitur. unguium aromaticorum nigreſcentiũ, thuris maſculi,ſtyracis optimi,bdellij puri,coſti,ſing. drachm.V. olei dulcis optimi ſextar.quinq;,hipni quod ſufficit.coſto in craſſiuſculas partes diſſecto, atq; itidem ſtyrace & bdellio, poſteaq; ſimul cõmixtis in uas aliquod fictile anſulas non habente conijcies, cuius orificium hipno obturabis exteriusq; aſpalathi ſurculis,aut quapiam re odorata,apte circummunibis,ne quid è fictili excidat,inde uas aliud fictile ſine anſulis quærito,collo pro-

cero

cero, quod orificiũ habeat alterius uaſis aromata continentis orificio apte conueniens, in quod conijcies olei dulcis ſext. quinq; poſtea defoſſo ſolo fictile oleum continens uſq; ad collum obrues, ne futuro igne excandeſcat: inde alterum aromatum uas in caput reſupinabis, & ita utriuſq; orificia coaptabis ut exquiſitiſſime cohæreant. deinde uas totum luto circumlinies, undecunq; qua parte orificia conglutinantur, mox circa fictile ſubiectis carbonibus ignem uentilando accendes. Quo accenſo ſinito aromata tabefieri, ut ſenſim ignita per fictilis oſculum in ſubiectũ oleum euaporent, cuius rei cauſſa capniſton, id eſt ſubfumigatum uocatur. poſtridie oleum amoueto, et in uitreo uaſe reponito. utuntur hoc mulieres, quibus menſes detinentur, ſumen ac lumbos illinentes. conuenit etiam his quæ à puerperio male purgantur ſimiliter illitum: utile etiam eſt ad thoracem refrigeratũ, medeturq; tineſmo ſi excæptum lana complicata ſumini & lumbis apponatur.

De alijs unctionibus

Ex his de reliquis oleis cõiectari licebit, quæcunq; ad unguenta dicuntur æquiuoce: ſingulum enim oleum uariatur, prout ſingulorum quæ imponuntur naturæ ſunt. De quibus in hoc ipſo libro ſingillatim tractabimus. De cæteris uero relaxantibus reſoluentibusq; linimentis agemus loco de medicinarum compoſitione; poſt enumerata articularis morbi remedia, quale oleum gleucinũ eſt, & ſimilia.

Origani tertium genus, incidendi, exiccandi calefaciendiq; uſq; ad tertium ordinem uires habet. tragoriganũ uero cuiuſpiã etiam adſtrictionis particeps eſt.

Orizæ nonnihil adſtrictionis ineſt qua uentrem moderate compeſcit, eſt tamen & ipſa edulium concoctu difficile.

Orobus ſecũdo gradu ualide exiccat, primo calefacit. Quatenus uero amareſcit, catenus incidit abſtergit & aperit: quod ſi uberius ſumatur, per urinas ſanguinem ducit.

Orobancha quaſi angina orobi primo ordine exiccat. habet & quidpiã quod adſtringat, ideo aluum leniter cohibet, eduliumq; eſt concoctioni reſiſtens.

Ocymum ſecundo ordine calefacit, excrementoſo humore redundans, ideo neq; utiliter intra corpus admittitur: extra uero illitũ diſcutiendo maturandoq; idoneum eſt. eius decoctũ his qui ob craſſioris materiæ copiam uexantur, ſed præcipue lippientibus, ſi calidum irrigetur, mirifice confert, infantibusq; maxime accommodatur.

Oſyris ſiue oſyrias herba eſt ex qua medicamenta ad pupillas fiunt, atq; huius ſapor quidem amarus eſt. facultas uero aperiendi proinde obſtructionibus hepatis cõuenit. Alius codex ita habet. Oſyris eſt herbula ſubfruticoſa, tenuibus uirgulis, fractioni renitentibus, folijs lino ſimilibus nigris primo, poſtea ſubrubeſcentibus, guſtu amaris, unde regio morbo conferunt.

P

Populi nigræ quam ægirum uocant, flores in primo calefaciendi ordine ſunt, exiccantq; mediocriter, ac tenuem ſubſtantiam habent. eiuſdem reſina calidior floribus eſt.

Portulaca refrigerãdo tertij ordinis eſt, humectãdo ſecundi. habet & auſteri quidpiam, propterea fluxiones reprimit: præcipue bilioſas & calidas, earum qualitatem tranſmutando, conuertendo & uehementer refrigerando: quo fit ut ſtomacho, uentri, totiſq; hypocondrijs illita febri ardenti mirum in modum conferat. immo ſi exquiſitiſſime trita addito oui albumine ſimul cum uitello, & roſacei quantitate commenſurata toti corpori illinatur, protinus febrium ardorem mi-

tigat, & ſæpe prorſus extinguit, ut acceſſio non ultra redeat. dentium quoque ſtuporem ſanat. uires eaſdem ſuccus habet, ut non ſolum extra illitus, ſed bibitus etiam refrigeret. Si tamen tota herba comeditur, nõ ſine ſucco accipitur. ob ſuam uero adſtrictionẽ dyſentericorũ cibus utilis eſt, muliebriq; fluxui & ſanguinis eruptioni medetur, ſed ad hæc omnia ſuccus herbæ præfertur.

Piri arboris folia & rami auſteri quidem ſunt, ſed fructus habet etiam quippiam dulcedinis aqueæ. Quibus indicijs cõſtat eorum temperaturã propter inæquales partes eſſe inæqualem. ideo ſi comedantᷣ, ſtomacho conferunt, & ſitim reprimunt: ſi illinantur exiccant, ut ego interdum cum illis uulnera glutinauerim.

Pira uero agreſtia adſtringunt exiccantq; magis domeſticis, ut iam maiora glutinent uulnera, fluxionesq; illita repellant, quemadmodum loco de pomis exactiſſime declarabimus.

Plantago gradu ſecundo refrigerat & exiccat, habet & auſteri quippiam, propterea ulceribus malignis & fluxionibus ac putredini congruit: ergo & dyſenterias & ſanguinis profluuia compeſcit, ardores mitigat, ſinus agglutinat: eſtq; reliquorum ulcerum recentiũ & antiquorum medicamentum: deſiccat enim eroſione, habetq; frigiditatẽ citra ſtuporem. Huius radices & ſemina ijſdẽ uiribus pollent: Quę ſi mãdãᷣ, aut os eorũ decocto abluatᷣ, dentiũ dolores ſedantᷣ. eiuſdẽ folia multoq; magis ſemen ad renũ hepatisq; obſtructiões adhibentur.

Paſſulæ maturandi ſimul & adſtringendi diſcutiendiq; temperatis uiribus pollẽt, eandemq; proportionẽ habent paſſulæ ad uuam, quam caricæ ad ficus. calidioresq; quo dulciores, & quo auſteriores eo quoq; frigidiores ſunt, ſed acerbæ auſteras frigiditate excedunt. ſtomachum igitur roborant quidem auſteræ, uentremq; ſiſtunt. acerbæ autem efficacius utrunq; poſſunt. dulces neq; plane ſtomachum exoluendo, neq; aluum laxando ambiguas uires habent. Nunq; tamen à cõtẽperandi abſtergendiq; facultate dulces ſeparanᷣ, propterea exiguas oris uentriculi eroſiones obtundunt. nam maiores auxilijs potentioribus indigẽt. eligito paſſulas pinguiores & quæ tenui mẽbrana integãᷣ. paſſulæ minus quidẽ q̃ caricę, uentrẽ mouẽt abſtergũtq;, ſtomacho tamẽ magis accõmodãᷣ.

Puleium uehementer calefacit & attenuat, unde ex thorace & pulmone craſſos lentosq; humores excreationi faciles reddit: uino albo albo decoctum menſes ducit, uinumq; illud merum potari oportet. exterius uero illitum ad coxendicũ uitia, reliquosq; morbos ab algore cõtractos ruborem inducit.

Pæoniæ quam & glycyſidan, pentorobon & elephantiã uocant, radix attenuãdi exiccandi & moderate calefaciendi poteſtatem habet. leniter enim cum quadã dulcedine adſtringit, quæ ſi diutius mandaᷣ, ſubamari quoq; acuminis ſenſum reddit. Propterea contuſa ad unius amygdali magnitudinem, & cum mulſa bibita menſes ducit. iecur obſtructum, lienem & renes expurgat. Adſtrictione etiam qua pollet uentris fluxiones ſiſtit, auſtero uino elixata & pota, atq; omnino potentiſſime exiccat, ut non abnuerim iure creditũ pueris appenſam comitialem morbum ſanare. equidem infanti octimeſtri comitiali morbo laboranti magnam huiuſce radicis portionem collo ſuſpendi, neq; amplius amoueri iuſſi, poſteaq; infans exacte ſanus ꝑmãſit, nõ ultra morbo correptꝰ ſiue cõuulſus.

Paſtinaca quam daucum & ſtaphylinũ appellãt, erratica minus edendo eſt quàm hortenſis, in cunctis tamen efficacior, contrà hortenſis imbecillior, ſed cibo gratior. Acris utraq; & calida exiſtit, atq; ideo attenuandi facultatem habet. radix flatuoſa eſt, ita ut uenerẽ excitet. At ſemen hortenſis quidẽ ueneris irritamento nõ caret. erraticæ uero minime flatuoſum eſt, ideo urinã & mẽſes prouocat.

Phaſioli quære lobos.

Pelles ouium nuperrime excorticatarum cum adhuc incaleſcunt, flagellatis applicatæ mirum iu modum conferunt.

Panicus qui & meline uocatur, inter legumina milio & poteſtate et forma ſimilis eſt, deſiccat, paucum affert alimentũ, & alui fluxiones ueluti milium ſiſtit. extra illitus refrigerat & exiccat.

Pruna recentia uentrẽ magis ducunt, arida minus, damaſcena acerbiora ſunt, hiſpana dulciora, ideo aluum potentius citant. folijs arboris manifeſta acerbitas ineſt, unde ex his decoctis collutio fit ad gutturis & tonſillarũ inflãmationes.

Pruna agreſtia acerbiora ſunt, ac uentrem ſiſtunt. aſſerunt nonnulli omnium prunorum gummi bibitum calculos frangere, ac puerorum impetigines cum aceto extergere.

Polenta hordeacea quã alphiton uocant, hordeo multo magis exiccat, exiguũq; nutrimentum corpori præbet quouis modo decocta. è uino auſtero polenta bibita uentrẽ ſiſtit. puls ſeu crimnus ita uocat̃ craſſior pars farinæ tritici & zeæ, magis quidem polenta nutriens, concoctu uero difficilior. ſiſtit uentrem puls quæ ex zea conficitur, præſertim ſi torrefiat, iuſculum quoq; ex iiſdem farinis confectum puls appellatur.

Populus alba ex aquoſa ſubſtantia tepida, & terreſtri ſubtili temperatur, ideo abſtergendi ui pollet, ſubamaraq; guſtui eſt.

Papauer omne refrigerat, ſed hortenſis ꝙ thylacite uocant, ſemen moderate ſomniferum eſt. quod uero à Rhœade colligitur, lõge magis infrigidat, ut ne impune quidem eo ſolo quemadmodum hortenſi utamur. agreſtis autem præſertim thebani ſemen atrum exiſtens iam medicamentoſum eſt, exquiſite frigidũ: huius lachryma uſq; ad ſoporem & mortificationem refrigerat. Eſt enim extremi & quarti infrigidantium ordinis.

Papauer cornutum quod & paralion uocant, quoniam plerunq; ſecundum maris littora naſcitur, abſtergendi incidẽdiq; uiribus pollet. Ideo radix in aqua uſque ad dimidiam decocta, iocinoris affectibus prodeſt. flores ac folia ſordidis ac maleficis ulceribus non leuiter conferunt: à quorum uſu abſtinere oportet, ubi ulcera pura fuerint. tanta enim efficacia abſtergunt, ut puras etiam carnes eliquent, ideo ab ulceribus cruſtas exterunt.

Perſicę mali quam & rhodacinon uocant, folia & germina amaritudine excellũt: ideo contuſa & umbilico appoſita uermes enecant: eadem diſcutiendi uiribus pollent. fructus quem perſicum appellãt, frigidæ & humidæ temperaturæ eſt, cuius caro comeſta facile corrumpitur, omninoq; noxã infert, propterea haud in ſecunda menſa, ſicut nõnulli faciunt, ſed ante reliquos cibos offerri oportet, fluitat enim ac ſtatim putreſcit. Illud obſeruandũ quod perpetuo uerũ eſt: cuncta uitioſi ſucci quæ liquida ac lubrica ſunt, & quæ prompte ſecedunt, præ cunctis obſonijs comedenda eſſe. ita enim & ipſa citò egeruntur, & cæteris iter parant. Quod ſi poſterius ſumantur, facile corrupta integris alimentis contactu ſuo putredinem inferent.

Pomorũ differentiæ plures. Acerba enim frigidũ terreſtremq; ſuccum habent: acida uero & ipſa frigidum quidem, ſed tenuem: in medio ambigunt dulcia ad calorem inclinantia. auſteris igitur pomis utendum, ubi ob caliditatem ſeu nimiũ humorem uentriculus langueat: acerbis ubi hæc eadem increbuerint, quantũ enim in ſeipſis eſt acerba omnino cohibent, quæ inferius deijciuntur. Acida autem eligito ubi craſſum humorem non adeo frigidum in uentriculo collectum ſuſpexeris: nam illum incidendo per aluum ducunt, atq; ideo excremẽta humectant, at ſi purum inuenerint ſtomachum potius adſtringunt.

Pancratij quod etiam Scillã uocant, radix guſtu & uirtute ſcillæ aſſimilatur, ut ea quidam pro ſcilla utantur, ubi ſcilla caruerint. eſt tamen longe imbecillior, habet bulbi amplioris effigiem, guſtãti amara ac feruida occurrit. folijs lilio ſimilibus, procerioribus tantum, ad eoſdem morbos ad quos etiam ſcilla accommodatur, omnino tamen mitior eſt. Ex hac radice ſuccus expreſſus, atq; erui farinę admixtus, in paſtilloſq; redactus, lienoſis & hydropicis cum mulſa exhibet.

Paliuri folia & radix adſtrictionem habent non obſcuram, qua alui fluores ſiſtũt: ita uero diſcutiunt, ut panis, quos phymata uocant, mederi poſſint, ſi modo nimium inflammati, aut perquàm calidi ſint. habent & incidendi uires, ideo bibita tuſſi proſunt, ueſicæq; calculos diſſipant, & ſerpentium ictibus occurrũt. eorundem decoctum cœliacos iuuat, urinam cit, atq; è pectore & pulmone ſcreatus elicit, facit & ad omnia uenenoſa.

Panax herculeus herba eſt, ex qua fit opopanax. Qui quidẽ ſuccus tertio ordine calefacit diſcutitq;, & ſecundo deſiccat. cortex uero radicis & ipſe quidẽ calefacit & deſiccat, non æque tamen ac liquor, uerum abſtergit, propterea cõfert ad impura & malefica ulcera: cũq; id ſine eroſione efficiat, etiam incarnat: ſemen uero calore excellens, menſes elicit.

Peplium quod quidam ſicen, quidam ſpumeum papauer appellãt, frutex eſt albo liquore plenus exiguis folijs, rutæ ſimilibus, latioribus tantum, tota eius coma orbiculata, amplitudine dodrantali in ſolum declinat. ſemine rotundo, paruo, minori quàm papaueris albi, ſed copioſo, unica radice inutili, à qua totus frutex emergit, in hortis ac uinetis naſcitur. colligitur in meſſe, & in umbra uerſatu aſſiduo deſiccatur. ſeruatur ſemen tuſum & feruida aqua conſperſum. Pituitam ac bilim ducit acetabuli menſura cum mulſæ cyatho bibitum. ſale etiã herba maceratur, flatuſq; diſcutit, ut Hippocrates aſſerit.

Pepon maturus quidem tenuioris ſubſtantiæ eſt, immaturus uero craſſioris, abſtergendi incidendiq; uires habens: ideo urinam ducit, totumq; corpus abſtergit, præſertim ſi quiſpiam exiccato ſemine, trito ac cribrato pro ſmegmate utatur ad ephelidas, id eſt; maculas ueluti à ſole contractas, ad lentigines & ad faciei uitiligines in cutis ſuperficie exiſtentes. dominatur in eo temperatura frigida & humida, ut ſit in ſecundo gradu utriuſq;. ſemen ac radix arefacta in ſecundo quidem & ipſa gradu, ſed uix inchoante ponuntur: abſtergendi uis in radice pluſquàm in carne deprehenditur. Caro aũt cibo aſſumpta magis q; cucurbitę urinã ducit, magiſq; abſtergit, ac citius uentriculo excedit: in abſtergendo tamen ſemẽ præcellit, unde renum calculos frãgit. pepon uero uitioſum ſuccũ corpori præbet, præſertim ſi male concoquat, tunc enim etiam cholericũ affectum inducit: nam priuſquàm putreſcat, facillime ad uomitum inclinat: immo ſi uberius ſumatur, neque quippiam quod ſtomacho conferat ſimul comedat, proculdubio uomitum excitabit.

Piper quod nup pululat, longũ uocat, ideo & humidius eſt. Quod uero tanq; fructus quidã acerbus eſt, piper albũ dicit nigro acrius: nigrũ enim uires habet nimia torrefactione ueluti exhauſtas. utrunq; efficaciſſime calefacit & exiccat.

Perſeæ folia adſtringẽdi uiribus pollent, ut emanationi ſanguinis cuiuslibet membri utiliter applicentur. arida etiam trita & fricata, ſcabiem exterunt.

Perdicium quære in octauo elemento ubi de helxine agitur.

Petroſelini præcipuus uſus in ſemine, herba ipſa imbecillior eſt. ſemen tertio ordine calefacit & exiccat: menſes & urinas copioſe ducit, ac flatus diſcutit.

Peucedani radice liquore ac ſucco præcipue utimur, quæ omnia eiuſdem uirtutis ſunt. liquor tamen potentior eſt, egregie calefaciens ac diſcutiẽs: propterea ner

uorum

uorum uitijs accommodatur, atq; ægritudinibus pectoris & pulmonis, & quæcunq; ob tenaces craſſosq; humores fiunt: interius ſumptus imò & odoratus duratos lienes ſoluit. radix ad eadem utilis eſt, ac præterea oſſium ſquamulas celerrime abſcindit, ulceribusq; maleficis arida impoſita ſumme confert. exterit enim, incarnat & uſq; ad cicatricem perducit: ſecundo quidem ordine calefaciens, tertio uero inchoante exiccans.

Pix arida ſecũdo ordine calefacit & exiccat, ſuperat tamen exiccatio caliditatem. contrà in liquida, calor ſiccitati præſtat. habet & attenuandi uires: ideo ſuſpirioſis, quos aſthmaticos uocant, & ſuppurationibus pectoris confert. lambitur cum melle cyathi unius menſura. inſunt uero ambabus abſtergendi maturandiq; uires, quibus ſcabros ungues & impetigines exterant, crudosq; & induratos tumores linimentis additæ concoquant. Ad hæc tamen omnia liquida efficacior eſt. arida autem ad glutinanda uulnera utilior.

Picis fuligo ita cõficitur: in nouam lucernam liquidam picem indito, accenſamq; lucernam fictili uaſe operito, & quemadmodum in thuris fuligine docturi ſumus, comburi ſinito, abſumptoq; priore humore alium infundito, donec fuliginis ſatis collegeris. poſtea utitor ad ſuperciliorũ ornatum, & ad palpebrarũ defluuia cum tumore ac marcore, quem morbum mydeſin uocant, & omnino ad pilos firmandos, item ad imbecillos lachrymoſos ulceroſosq; oculos.

Piceæ fructus quos pityidas appellant. (Quamuis & pityides pinei nuclei nuncupentur) mixtæ facultatis ſunt, tanq; acerbitatis, acrimoniæ amaritudinisq; participes. Ideo thoracis ac pulmonis abſceſſibus conferunt.

Piceæ cortex ita adſtringẽdi facultate excellit, ut intertrigines illitus efficaciſſime curet, aduſtionesq; ignis ad cicatricẽ ducat, & alui fluorẽ bibitus ſiſtat. pini uero cortex huic aſſimilat̃, præter q̃ imbecillior eſt. ineſt utriuſq; arboris folijs uis quædã uulnerũ glutinatoria. horũ fuligo ad fluẽtes palpebras & marcẽtes oculorũ angulos, cũ fluxu & tumore, uel corroſos, uel lacrymãtes utiliter adhibet̃.

Piſtacium tenuis ſubſtantiæ eſt, ſubamarum ac ſubodoratum, ad aperiendas expurgandasq; iocinoris obſtructiones ſingulare præſidium: confert quoq; thoraci ac pulmoni.

Platanus non multo frigidior humidiorq; temperatis eſt, ideo folia uirentia trita genuum inflammationibus nõ obſcure proſunt. cortex & pilulæ aliquãto magis exiccant, ut cortex quidem aceto decoctus, ad dentiũ dolores adhibeat̃. pilulæ uero cum ſeuo ad ulcera ignis. quidam aduſto cortice pro abſtergenti medicamento utuntur, quo aqua cõſperſo lepras exterunt, cineremq; ſeorſum applicantes ulcera ſordida & humoris nimietate perdurantia compeſcunt.

Polygonum habet aqueam frigiditatem imperantem, ita ut ſecundum gradũ refrigerando perficiat, aut tertium incipiat, propterea feruentes ſtomachos extra illitum iuuat. quemadmodum & calidas omnes inflammationes mitigat, fluxiones enim repellit, ideo herpetum reliquorumq; ulcerum præſertim inflammatorum & fluidorum optimum medicamentũ eſt, atq; auribus pus exiccando confert. Præterea muliebrem fluxum, dyſenterias ac ſanguinis electiones compeſcit, excellitq; in omnibus quod mas appellatur.

Polemoniam quidam philetærium, quidam chyliodynamim uocant. tenuis ſubſtantiæ eſt, exiccandiq; uires habet: ideo nõnulli ad coxendices, dyſenterias, & induratos lienes radicem eius è uino propinant.

Poliũ amarũ ac quadamtenus acre omniũ uiſcerũ obſtructiones aperit, urinas ac mẽſes ducit, uirens ulcera glutinat, aridũ malefica ulcera emẽdat, præſertim minus quo utimur ad antidota: maiori enim amarius acriusq; eſt, ut tertio gradu exiccet, ſecũdo exacte calefaciat.

Potámogiton adſtringendo exiccandoq; polygono ſimilis eſt, craſſiorem tantum ſubſtantiam habens.

Polypodiũ dulce quidem eſt, imperat tamen in eo ſapor auſterus, tantumq; exiccandi uiribus pollet, quantum nondum erodit.

Porri capitati acris ſaporis ueluti & cepe ſunt, cuius ratione corpus calefaciunt, craſſosq; humores attenuant, ac lentos incidunt, urinam prouocãt, ſanguinem purgant. præſtantiſſimus eorum uſus qui bis coquunt̃, ita enim acrimoniam deponunt: neq; amplius deprauatum ſuccum retinent. ab aſſiduo tamen acriũ uſu cauere oportet, præcipue ubi qui alitur natura bilioſior ſit: nã id genus edulia, pituitoſis tantũ ac craſſo, lento crudoq; humore redundantibus congruunt.

Propolis leniter abſtergendi, ſed efficaciter exiccãdi facultate præſtat. tenuis ſubſtantiæ eſt, ac ſecundo ordine calefacit uel inchoante tertio.

Pyrethri præcipuus in radice uſus quæ guſtu feruida eſt, propterea refrigeratorum dentium dolores ſedat, & in algoribus febrium quæ per circuitus ueniunt ante acceſſionem ex oleo illinitur: ſtupidos etiam ac reſolutos iuuat.

Punica mala adſtringunt quidẽ, ſed non omnino in illis adſtringendi uis imperat. quædam eorum acida ſunt, quędam auſtera, quædã dulcia. ex quorum ſaporũ natura ratiocinari licet quæcunq; de reliquis pomis diximus: uberiori ſucci copia abundant, q̃ mala aut pyra, ac guſtui gratiora ſunt. cumq; plurimis alijs dotibus præſtent, ea præcipue excellũt, quod maximo ſtomachi ardori ob deprauatorũ humorũ multitudinẽ mirifice cõferãt: ſi ſuccus eorũ cũ polẽta offerat̃: quẽadmodũ in cardiacis pręcepit Hippocrates. punicorũ acini ſucco magis adſtringũt exiccãtq;. cortex utraq; ſupat: cui cytinus, q punici flos eſt, aſſimilat̃.

Palma arbor per ſingulas partes ſuas adſtringẽdi uirtute pollet. ramorũ enim ſuccus auſterus, ſimili modo quod cerebrũ uocatur edendo idoneũ: fructus uero præcipue dulcis nõ parũ calefacit, cibo quęſitus, & ad plurima utilis, tam extra poſitus q̃ intra admiſſus, ubi firmare, exiccare, cogere, denſare, obſtruere oporteat: omnes tamen palmulæ concoctu difficiles ſunt, ac caput tentant uberius comeſtæ. quædã & eroſionis ſenſum ori uentriculi inferunt, quæ etiam magis infeſtant caput. ſuccus ex eis corpori diſtributus craſſus omnino eſt, nõ ſine tenacitate, ſi palmula pinguior fuerit: ubi uero craſſitiei ac tenacitati dulcedo iungatur, celerrime ijs alimentis iecur obſtruit̃. Quod ſi inflãmatũ quoq; induratumúe ſit, ſumma pernicie comedunt̃. poſt iecur lien oppletur uiolaturq;. palmulæ recentes multo impenſius lædunt, uel parcius ſumptæ, flatuq; implent aluum crudumq; humorẽ congerunt, algoremq; corpori inducũt, qui uix emendari poteſt. tenerũ uero germẽ quod elaten uocant, cerebro uiribus ſimile eſt. at q̃d ipſius ueluti tegumẽtũ eſt, adſtringit quidẽ, ſed exiccãdo magis p̃dictis pollet. radix inſup arboris ſine eroſione exiccat, adſtrictionis & ipſa particeps.

Phaſeli & ochri inter edulia boni & uitioſi ſucci quæ probe concoquuntur, quæ improbe, quæ cito digeruntur, quæ tarde, quæ flatum gignunt, quæ minime, quæ multum nutriunt, quæ parum, ambigui quodammodo ſunt.

Phu radix nardo uirtute ſimilis eſt, ad reliqua imbecillior: ad urinas uero ciendas (efficax.

Pſyllij ſemen plurimo uſui eſt, ſecũdo ordine refrigerat, exiccando humectãdoq; anceps.

Q

Quercus uniuerſę quidẽ partes adſtringendi ui pollent: omnibus uero longe magis membranoſa cuticula ſub ſtipitis cortice inuenta, & quæ ſub glandis putamine carnem ipſius fructus ambit, propterea ad muliebrem fluxum ad ſcreatũ ſanguinis, ad dyſenterias diuturnaq; uentris profluuia mirum in modũ conferunt. Potiſſime uero earum decocto utimur: at inter omnia quercus genera

Ilex & phagus adſtringēdi uirtute præſtant. Cuiuſq; tamen quercus folia uulnera agglutinant, ut nos in agro experti ſumus. glandes cibo aſſumptæ plurimum quidem alimentū corpori præbent: ſed quod tarde diſtribuatur craſſiq; ſucci ſit, & cōcoctu difficile. optimæ aūt glandiū caſtaneæ ſunt, & quæ lopimi uocant. Hæ eñ ſolę inter agreſtes fructus effatu dignū exhibēt nutrimentum. dolorē quidē & iſtæ capiti inferūt: nō æque tamen ac illæ quas prius diximus.

Quinq;folij radix tertio ordine exiccat, minime acris, ideo plurimo uſui eſt.

R

Rubi folia præſertim tenera & germina moderate adſtringunt, ideo ſi mandātur aphthas reliquaq; oris ulcera cohibent, immo & uulnera glutināt. fructus maturus quidem habet aliquid temperatæ caliditatis. Immaturus uero frigidæ terreæq; ſubſtantiæ, ideo ui exiccādi præpollet, arefactus reponi ſolet. qui recenti lōge magis exiccat. flos eandē habet cū acerbo fructu facultatē. ad dyſenterias igiť & uentris profluuia, imbecillitatemq; ac ſanguinis ſcreatū cōgruit. radix præter adſtrictionem etiam ſubtilium partium eſt, ideo calculos in renibus frangit.

Ranunculus quem batrachion uocant, quatuor ſpecie differentias habet. Acerrimæ facultatis omnes, ut cum dolore exulcerent. his ſi quis conſulto uti ſcierit, ſcabiem & lepras exteret, unguium ſcabritiem compeſcet, abſceſſus diſcutiet, uerrucas, formicas atq; alopecias ſanabit, ſed applicatū non diu permittu oportet. ſi enim diutius perſtiterit, non tantum deterit cutim, ſed perurit quoque & cruſtam inducit. hæc folia quidē uiridia cum coliculis illita faciunt. radix uero arefacta ſternutatoriū medicamentū eſt, ſicut reliqua omnia quæ potēter exiccant, dentes etiam perfringendo dolores eorum ſedat.

Rapæ ſemen uenerem excitat, flatuoſo enim redundat ſpiritu. radix uero ęgre in ſtomacho coquitur, ac flatuoſa ſeminis generatrix craſſiorisq; ſucci eſt. ſi quis ergo illam diutius frequentauerit, præſertim affatim ingerēdo, humorē in uentre colliget, quem crudum appellant. Quod ſi etiam ſemicocta comedatur, tūc planè ſtomacho infeſta eſt, maleq; conficitur, & in flatum conuertitur, ut interdum mordicationes uentriculo inferat, ideo bis cocta utilior exiſtit: plurimam enim decoctionem requirit. ad alui uero ductionem, neq; proficit, neq; officit.

Rubiæ uel erithrodani qua infectores utunť, radix guſtu acerbo ac ſubamaro lienem ac iecur expurgat, urinas craſſas copioſas ac interdū ſanguinolētas ducit, menſes prouocat, abſtergitq; moderate quęcunq; abſterſione indigent. paruas igitur uitiligines cum aceto illita exterit. ſunt qui hanc exhibeant cum melicrato coxendicum uitio laborantibus ac reſolutis.

Ricini fructus quem etiam crotonem uocant, corpus euacuat, abſtergendi diſcutiendiq; ui pollet: folia imbecilliora ſunt, oleū fructus calidius ſubtiliuſq; communi, propterea magis diſcutit.

Rumex tanquā caloris particeps diſcutiendi uim habet, qua renum calculos frangit, ex aceto illitus ſcabiem & aſperitates exterit. rumex acidus mixtæ uirtutis eſt, nam pręter quod diſcutit etiam repellit. utriuſq; ſemen palàm adſtringit, ut dyſenterijs atque alui profluuijs cōferat: præſtat tamen quod ab acido legitur. at rumex magnus quem hippolapathon uocant, in paludibus naſcens, iiſdem facultatibus pollet, ſed imbecillius. agreſtis rumicis radix quam mylen appellant, in aceto aut uino decocta dentes confirmat ac eorum dolores ſedat.

Ruta agreſtis quarto ordine calefacit & exiccat, hortenſis in tertio tantū, neq; ſolum acris eſt, ſed amara q̃q;: ideo craſſos lētoſq; humores incidit & diſcutit, ac per urinas ducit, habet & ſubſtantiā tenuē, ac minime flatuoſam, qua flatus ex

trudit,& ueneris impetũ cohibet. Eſtq; omnino inter efficaciſſime exiccantia medicamenta. tradit Ruffus agreſtis rutæ uires igneas eſſe, quibus exulceret præcipue ueſicam, propterea podagricis qui agreſtem rutam biberint, uitioſas ueſicas eſſe. egregie tamen iuuantur, nam ad articulares morbos id genus rutæ maxime cõuenit: minus lædunt̃ ſi hortenſem admiſceãt, neq; uero hortẽſis ueſicę nõ obeſt, ſed mitius. utimur agreſti ubi quippiã refrigeratũ inſignius calefacere uelimus, ut in aqua intercute flatuoſa,& ad ea quã anaſarca appellãt,& in his q ab uipera aut mure araneo morſi fuerint, p̃cipue ſi mus araneus fœta momorderit. ꝓdeſt & illis q papaueris lachrymã aut aconitũ hauſerint è uino

Ruta hortenſis bibita ante acceſſionẽ, ſebriũ algores mitigat: colicis etiam (pota. doloribus pota & per clyſterẽ iniecta, atq; uteri ſuffocationibus prodeſt. comeſta uiſum exacuit: ideo pictores eam aſſidue comedentes acutius uident. ſi ſuc cum melli admiſcueris, tutum medicamentũ cõficies ad oculorũ acumen. oleo decocta ac ueſicę illita urinę difficultates ſanat, lumborũ dolores & ſpirãdi difficultatẽ, ex oxymelite pota protinus ſedat. bibita itẽ lethargicis aut per clyſterem inſuſa, aut trita & ex aceto roſaceoq; capiti illita mirifice prodeſt. coxendicum dolores appoſita, & per clyſterem iniecta compeſcit, podagras,& genuũ tumores reſoluit, doloresq; mitigat, cruſtas ab igne illita cum melle, aut uua taminia uelociſſime abſcindit.

Rhamnus ſecundo gradu exiccat. primo exacte refrigerat, aut ſecundo inchoãte, unde quæ ſerpunt ulcera & mitiora eryſipelata curat.

Raphanus tertio gradu calefacit, ſecũdo exiccat, diſcutiendi uires habet, quibus diuturnos liuores ſub oculis ſiue in quacũq; corporis parte fuerint illita emendat. ineſt & illi cũ calore attenuãdi facultas, nec ſatis mirari queo crudã à nonnullis poſt cœnã comedi cõcoctionis iuuãdę gratia: id ſe quidẽ illi experimẽto cõperiſſe cõtendunt, quorũ tamẽ exemplũ nemo adhuc impune imitatus eſt.

Rhu ponticũ ſiue rheon, adſtringẽdi, calefaciẽdi, attenuãdiq; facultates cõmixtas habet, unde ad cõuulſiones, rupta, ſpirandi difficultatẽ utiliter bibit̃. ſanguinẽ expuentibus ac cœliacis prodeſt. liuores ac impetigines ex aceto illitũ exterit.

Reſinę omnes inter quas & maſticha numeratur, calefaciunt, maioris tantum aut minoris ratione à ſe inuicem diſtantes, ac ſemper quo quæq; acrior, eo calidior eſt. neque aliter reliquarum qualitatum uarietate inuicem diſtinguuntur. Præſtat tamen cæteris lentiſcina quæ maſticha nuncupatur. Præter adſtrictionem enim quam moderatam habet, ut ſtomachi uentriculi ac iocinoris imbecillitati conueniat, tuto etiam exiccat, nempe ſubtilium partium eſt, ac minime acris. Poſt hãc terebenthina excellit: adſtringendo quidẽ maſticha inferior, ſed diſcutiendo efficacior, eatenus abſtergit, quatenus ſcabiem exterit. in euocando uero à profunditate nulla ei reſina cõparãda eſt, ſed et molliẽdo maſtichã ſuperat. reliquę reſinæ impenſius aut mitius, acriores omnes ac ipſa ſunt. aridiſſima omniũ emanãs è picea quam phyſema uocant. urit̃ reſina liquida in aheno quadruplæ amplitudinis ad humorẽ qui infundit̃: ac libræ quidẽ decem reſinæ infundunt̃, duę uero pluuialis aquę, quę ſimul in aheno ſubiectis mitibus prunis aſſidue agitando decoquunt̃, donec reſina ſine odore friabilis atq; arida fiat, ut digitis conteratur: mox refrigerata in fictili reponitur. ut uero etiam candidiſſimam facias reſinam, comburendam diligenter colato, tum ſimul cum aqua in ahenum iniectam ſemper uerſato, conſumpta aqua rurſus excolato, inde ad prunas ſenſim decoquito tota die, ſicuti diximus agitando, donec friari poſſit, atque ita recondito. fit quoque è reſina fuligo, eodem modo quem in thure docebimus: conſertq; ad ſuperciliorum ornatum, ad lachrymantes eroſosq;

oculorum

oculorum angulos, & ad tumentes ſaniemq́ diſtillantes palpebras. torrefacta uero reſina utilis eſt ad mollientia odorata,& ad ea quæ acopa nuncupantur.
Roſarum uis ex tribus qualitatibus,aquea calida,acerba & amara componitꝰ:flos ſuo adhuc frutice acerbior eſt,ideo exiccando pollet.
Rhododaphne iam de hac diximus in litera N.
Rhu adſtringit & exiccat,ac tota quidem planta coriarij cerdones utũtur. fructus uero ac ſuccus à medicis magis exquiruntur tanq̃ auſteritate præſtantes: exiccant tertio ordine,ſecundo refrigerant.

S

Sedum utrunq; ſeu ſemperuiuum magnum ac paruum modice quidem exiccat, quoniam mediocriter quoq; adſtringit,ſed nõ mediocriter infrigidat.eſt enim in tertio refrigerantium ordine,ideo ad eryſipelata & ſerpentia ulcera, & ad inflammationes ob defluxum genitas confert.
Spinæ albæ radix moderate exiccat adſtringitq́, ideo cœliacis & ſtomachicis, id eſt uentris ac ſtomachi imbecillitate laborantibus confert,excretiones ſanguinis compeſcit, œdemata illita reprimit, dentium dolores tollit, ſi eius decocto abluantur.ſemen tenuis calidæq́ ſubſtãtiæ eſt,propterea potũ cõuulſis cõfert.
Spina ęgyptia ex qua acacia conficitur,adſtringendi exiccandiq́ uim habet,ideo muliebres menſes compeſcit,inflataq́ ſedis ulcera ad cicatricem cogit.
Sambucus quædam magna arboreſcensq́ eſt, quædam parua & terreſtris quam nos ebulum dicimus. exiccandi utraq; facultatem habet, agglutinandi & moderate diſcutiendi.potum radicis decoctum hydropicis confert.
Sauina tertio ordine calefacit & exiccat,tenuisq́ ſubſtantiæ eſt, propterea diſcutit, & ſi quid aliud menſes potenter ducit, perq́ urinas ſanguinem citat, uiuos fœtus interficit,mortuos extrudit. confert ad putredines præſertim quæ maligniores diuturnioresq́ fuerint:nam diuturnæ uim medicinæ facile ferunt.ulcera inquinata & ſordida cum melle exterit, & carbones reſoluit.quidã duplum pondus iſtius pro cinnamomo accipiunt.
Strigmentum balnei mediocriter mollit.
Saluia manifeſte calefacit, & leniter adſtringit. tradunt quidam ſuffitam ſaluiam menſes immoderate fluentes,& omnino muliebre profluuiũ cõpeſcere. Agrippa ſacram herbam uocauit,quam prægnãtes mulieres ſi fluidæ laxæq́ fuerint, utiliſſime comedunt.continet enim conceptum uitalemq́ reddit, ac ſi ſucci huius heminam cum modico ſale quarto à ſecubitu die mulier potauerit, deinde uiro miſceatur,proculdubio cõcipiet. aiunt in quodam ægypti loco poſt ſęuas peſtilentias ab his qui ſuperſunt, ad eum ſuccum bibendum mulieres cogi, plurimosq́ inde produci fœtus. dato, inquit Orpheus, ſanguinẽ expuentibus ſucci ſaluię cyathos duos,ieiunis cum melle bibendos,& ſanguis illico cohibetur. tabidis pilulæ in hunc modum parantur:ſpicæ nardi, zingiberis ſingul. drach. ij. ſeminis ſaluiæ aſſati triti & cribrati drach. viij. piperis longi drach. xij. cum ſucco ſaluiæ pilulas conficito,& mane ieiunis drach. i. exhibeto, eodemq́ modo in ueſpere,ac poſtea aquæ puræ quippiam propinato.
Serpillum ita calefacit,ut menſes & urinã ducat,guſtu acre. huius genus duplex, alterum hortenſe ſampſuchi odore,agreſte alterũ q̃ zyſim uocant, uirgulis minime repentibus ſolo,ſed fruticoſis,folio complicato, ſubanguſto, rutæ ſimili, longiore tantũ ac duriore, guſtu acri,odore iucundo,radice inutili, in petris naſcitur,efficacius calidiusq́ hortẽſi,atq; omnino uſus eius in medicina præfert. prodeſt torminib.cõuulſionibus,rupturis,inflãmationibus hepatis, ſerpẽtibus ulceribus,quę herpetas appellãt.potũ ac illitũ capitis dolores ſedat.madefactũ

aceto ac decoctum admixto roſaceo lethargicis & diutinam phreneſim patientibus ſummopere congruit. præterea drach. unius pondere ex aceto bibitum ſanguinis erectiones compeſcit.

Senecio quem herigeronta uocant, uires cõmixtas habet, tum refrigerandi, tum moderate diſcutiendi, ergo medicamentis ad ſedem utiliter adhibetur. huius ſuccus epotus ſanguinis reiectiones compeſcit, uermes interficit, & hepaticis confert, inflammationibus etiam manifeſtis illinitur.

Salicis folijs recte quidem uteris ad ſanguinolenta uulnera glutinanda, florem tamen præcipue omnes prope medici exiccantibus emplaſtris admiſcent, nam ſine eroſione arefacit leniter adſtringendo. nonnulli ſucco eius expreſſo medicamentum exiccans, ac minime mordax plurimis morbis idoneum parant. arboris quoq; cortex folijs ac floribus conſimiles uires habet, aridioris tantum temperaturæ, quemadmodum reliqui cortices ſunt. hunc quidam adurũt, cinereq; utuntur ad ea quæ efficaciorem deſiccationẽ requirunt, ut illo ſimul cum acri aceto clauos, callos & formicas depellant. alij circa ortum florum à cortice abſciſſo liquorem colligunt, quo utpote abſtergenti ſimul & attenuanti medicamento ad tenebras pupillarum utuntur.

Sinapi quarto ordine calefacit & exiccat.

Sordes quæ à ſtatuis gymnaſiorũ colligitur, crudos furunculos quos phymata appellant, mollit ac diſcutit: quæ uero à palæſtritis detergitur, inflammationibus mammillarũ ſummo præſidio eſt: nam & earum feruorem extinguit, & quod defluit, repellit, quod uero defluxit, diſcutit.

Sagapenũ calidus liquor eſt, tenuisq; ſubſtãtiæ, quẽadmodũ reliqui liquores. habet & quippiã quod abſtergat, quo cicatrices oculorũ exterit & attenuat: nec minus ſuffuſionibus atq; hebetudini cõfert, quæ ob craſſos humores cõtingat.

Sampſucus diſcutit, attenuat, tertio gradu calefacit & exiccat.

Sarcocolla lachryma perſicæ cuiuſdam arboris eſt, mixtis uiribus: amara enim & emplaſtica eſt, exiccat abſq; eroſione, propterea uulnera glutinat.

Satyrium (quidam & hoc trifoliũ uocãt) calefacit & humectat, ideo guſtu iucundum: excrementoſo tamẽ flatuoſoq; humore abundat, quo ad uenerem ſtimulat. idem & radix poteſt. ſunt qui putẽt diſtenſiones poſteriorum neruorũ colli, quem morbũ opiſthotonon uocant, hac radice è uino pota curari.

Seris ceu cichoriũ ſubamarum olus eſt, præſertim agreſte, quod à quibuſdam picris appellatur, ab alijs priuatim cichoriũ. eſt hoc agreſte frigidum & humidũ primo gradu: hortenſe quod proprie ſeris dicitur, multæ humiditatis admixtione magis refrigerat, quemadmodũ chondrilla, quæ & ipſa ſeridis ſpecies eſt.

Seſelis radix & ſemen tantũ calefaciunt, ut urinã mouere poſſint. tenuis quoque ſubſtantię ſunt, ut morbo comitiali & nõ niſi recta ceruice ſpirantibus cõferãt.

Seſamum lentore ac pinguedine non parum abundat, propterea mollit, temperate calefacit, & emplaſticas uires habet, cuius quoq; poteſtatis eſt oleum, quod ex ipſo conficitur.

Sideritis abſterſione quidem non caret, ſed quod in eo redundat humidum eſt, & mediocriter frigidum. ineſt & illi quædam adſtrictio lenis, ideo inflãmationes ſedat, & uulnera glutinat.

Sium ſeu ſinum guſtu ſubamareſcit, unde urinam cit, maturat, & omnium uiſcerum obſtructiones aperit. id quatenus iucundo odore guſtanti offertur, eatenus calefacit. diſcutiendi etiã uires habet, calculos diſſoluendi ac mẽſes ciendi.

Siſimbrium attenuat, diſcutit, ac tertio ordine calefacit & exiccat. præſtat ſemen attenuando calefaciendoq;, propterea id nonnulli ſingultientibus ac tormina patientibus è uino propinant.

Scordiū multiformes poteſtates habet, eſt enim ſimul amarū, acerbū & acre. expurgat ergo ac calefacit uiſcera: menſes ac urinam ducit, cōuulſionibus, ruptis, laterum doloribus qui ab obſtructione cōtigerint, bibitū cōfert. uirens illitū ampla uulnera glutinat. aridum ſordida & malefica ulcera ad cicatricē perducit.

Scandix agreſte olus eſt, gingidio ſimilis, acris ac ſubamara, ut tertio ordine minime tamē inteſo calefaciat & exiccet: urinā ducit ac uiſcerū obſtructiōes aperit.

Smirnion quod & hippoſelinon quaſi equapium uocant, eiuſdem generis cum apio & petroſelino eſt. ſemen tamen eius maius ac nigrius, apio quidem efficacius, petroſelino uero imbecillius, calefacit & exiccat ſecundo ordine, menſes ducit ac urinam cit.

Stœchas amaro atq; acerbo ſapore conſtat, ſubſtantiæ tenuitas ſucunditate odoris arguit: ergo aperire, attenuare, ac firmare uiſcera omnia ac uniuerſum animalis habitum poteſt.

Struthij quam nonnulli herbam lanariam uocant, radix uſui eſt, quarto gradu calefacit & exiccat. habet uim abſtergēdi atq; iritādi, ideo ſternutamēta excitat.

Styrax mollit, calefacit, maturat, ideo ad tuſſes, diſtillationes, grauedines raucedineſq; adhibetur. menſes ducit bibitus & appoſitus. ex eo fuligo quemadmodū à thure conficitur, eaſdemq; uires habet.

Symphytū petræum ex oppoſitis uiribus cōſtat: partim enim incidit ut pus in pectore ac pulmone contentū expurget: partim cōſtipat, ut ſanguinis eiectiones compeſcat. ob humiditatem quoq; ſitim reprimit, & cannæ aſperitates lenit. ramici præterea inteſtinorum conuulſionibus ac rupturis utiliter applicatur.

Sycomori fructus ficui forma ſimilis eſt, ſine ulla penitus acrimonia languidā tantum dulcedinem præ ſe ferens, moris humidior frigidiorq;. deniq; ancipitis cuiuſdam naturæ inter mora & ficus ponendus eſt, unde & nomen inuenit.

Solanum hortenſe quidem adſtringit, ac ſecūdo ordine refrigerat: ſed eius quem alicacabum uocant, folia quidem hortenſi uires ſimiles habet. ſemen uero urinam ciere poteſt: at cortex radicis ſolani ſoporiferi refrigerando papaueris lachrymæ æqualis eſt, ut in tertio ordine frigidorum collocetur. huius quoq; ſemen urinam cit, ſed ultra duodecim corymbos ſumptum furorem facit.

T

Tæda quam dada uocant, habet quiddam acre maturans & abſtergens, unde aceto decocta, dentium dolori medetur, ſi eo aceto os colluatur. Quod ſi mel addideris, conferet quoq; collutio ad pituitam educendam: miſcetur & eclegmatis ad ſcreatus è pectore eliciendos.

Thapſia acris fragrantiſq; facultatis eſt, ex profundo igitur uiolente attrahit; & quod attraxit diſcutit: tardiuſcule tamen agit ob ſuperuacuum humorem quo plurimum redundat, ob quem etiam celerrime exhalat.

Thlaſpis ſemen id quoque acerrimum eſt, ut intrinſecos abſceſſus bibitum frangat, menſes ducat, fœtus interimat, ac per ſedem iniectū coxendices curet ſanguinolenta educēdo. ineſt præterea thlaſpi tam ſuperius quàm inferius purgatoria uis. bilioſos enim humores ducit acetabuli menſura potum.

Thymum incidit ac manifeſte calefacit, ut in tertio calidorum ordine ſit, ideo urinam & mēſes ducit, fœtū expellit, potū uiſcera expurgat, thoracis & pulmonis excretionibus confert. Hactenus quidē Galenus. hæc uero experimentis comperta ſunt. dato ieiunis articulari morbo laborantibus, thymi aridi minutiſſimi drach. iiij. cū oxymelitis cyatho. bilim enim reliquoſq; humores atq; acrē ſaniē euacuat. facit & ad ueſicæ affectus, uentre etiā tumeſcente, ubi ſcilicet inflari inchoat: exhibeto drach. I. cū oxymelite tēperato. dato itē ieiunis, & ante cœnā

aduerſua

aduerſus lippitudinem,& uehementem oculorum dolorem. præterea cōtra po dagram, etiam quæ motum omnino interceperit, cum uino utiliſſime propina tur. poſtremo ad tumefactos teſtes ieiunis, trium drachmarū pondere exhibea tur: uerum ab atro thymo abſtinere oportet, corrumpit enim temperamētum, bilimq́ gignit: eligendum quod purpureo flore eſt, præſtātius tamen qđ albo,

Thymbra præſertim hortenſis thymo facultate ſimilis eſt, multo tamen debilior.

Thus ſecundo gradu calefacit, primo exiccat. habet ſimul adſtrictionem quandā quæ uix in albo percipitur, at in cortice adſtrictio manifeſta eſt, propterea gene roſe exiccat, ut ſecundum gradum perficiat. ineſt & illi craſſa ſubſtantia mini mæ acrimoniæ particeps, ob quas facultates eo medici utuntur ad ſputum ſan guinis, ad ſtomachicos, cœliacos & dyſentericos exterius quidem applicando, nonnūquam tamen interius quoq́ exhibendo.

Thuris fuligo ita præparatur: thuris grumum forcipicula apprehendens ex lucer na accendito, & in fictile nouum profundum apte locato, inde æneum opercu lum cōuexum exquiſite deterſum ſupra obducito, ſuppoſitis circa operculi la bia lapillis quatuor digitorum altitudine, ut quatenus uidebitur, copia perpe tuo ſit noui ſemper grumi imponēdi antequam prior omnino extinguatur, in terim tamen extimam operculi ſuperficiē frigida aſſidue madefacito. ita enim ſi æs ignitum non fuerit, tota fuligo conſidebit, quam deinceps penna derades, idem ſæpius repetendo, donec quātumlibet fuliginis collectum putabis. ſerua to etiam ad eoſdem uſus ex thure cremato cinerem, quamuis fuligo cineri con ferenda non ſit. poteſt fuligo thuris oculorum inflammationes ſedare, ac carci nomata ſiſtere. eodem modo ex myrrha ex ſtyrace reliquiſq́ lachrymis fuligo conficitur, haud abſimilis facultatis.

Teſticuli herbæ quam & canis teſticulum uocant, radices duę ſunt bulbo ſimiles, calidæ & humidæ, ac propterea guſtu dulces. harū quæ maior eſt ob copiam humiditatis pota ad uenerem ſtimulat, minor cum ad ariditatē declinet, coeun di ardorem compeſcit.

Teſticulus alter qui ſerapias appellatur, in primo gradu exiccat, ideo non æquis uiribus ad concubitum trahit, ſed illitus œdemata diſcutit, ſordidaq́ ulcera ex terit, & ea quæ ſerpunt. areſactus uero etiam putrida ac maleſica ulcera cu rat. habet enim adſtringendi uires quibus & aluum bibitus ſiſtit.

Triticum extra illitum primo gradu calefacit, nulla exiccandi aut humectandi in ſigni poteſtate. amylum quod ex ipſo conficitur, frigidioris ſicciorisq́ naturæ eſt. cataplaſma quod è pane ſit impenſius diſcutit, pro ſalis ac fermēti ratione. diſcutiendi enim atq́ è profundo euocandi in fermento uis eſt.

Terebinthi cortex, folia ac fructus, quamuis etiam adſtringant, ſecundo tamē or dine calefaciunt, ac priuatim fructus ad tertium exiccandi gradum accedit, un de urinam ducit ac lieni confert.

Tithymali omnes acrimonia ac calore non abſq́ amaritudine excellunt. horum liquor efficaciſſimus, deinde ſemen ac folia. radix quidem & ipſa earundē qua litatum particeps eſt, ſed longe imbecillior: quæ tamē in aceto decocta, dolores dentium præcipue eroſorum ſedat. liquor quarto ordine calefacit, quem iam adurere indicauimus, ideo pilos illitus erodit, ac ſæpe ad uires ſuas effreniores reprimendas oleum admiſceri oportet. Quod ſi frequenter illinatur, pilorū ra dices exacte abolentur, ac corpus glabreſcit. callos etiam ac thymos abſumit, ſcabiemq́ & impetigines exterit. eius uero qui characias dicitur, cortex in um bra exiccatus, tritus, cribratus ac bibitus, egregie purgat. ueſpere pendere opor tet ſcrupu. I. ac uino dulci madefacere. mane autem ſetaceo cribro excolatum

ac te-

ac tepefactum uinum propinare.
Tragacantha aculeatæ plantæ lachryma eſt gummi uirtute ſimilis, emplaſtica enim eſt acrimoniam obtundens, atq; deſiccans.
Tribulus ex humida ſubſtantia moderate frigida & ſicca conſtat. imperat in campeſtri frigiditas terrea: propterea magis adſtringit. in paluſtri potius aquoſitas, ideo feruidis inflammationibus cōgruit. campeſtris fructus bibitus renum calculos ſoluit.
Trifolium quod quidam aſphaltium uocant tertio ordine calefacit & exiccat, ratione bituminis, ideo potum laterum dolores ſedat, qui ab obſtructione contingunt, ac urinam menſesq; ducit.
Tuber terræ terreſtris ſubſtantiæ eſt, exigua quadam tenuitate permixta.

V

Verbenaca recta, quā & herbam ſacram appellant, ad capitis dolores ſummo præſidio eſſe teſtatur Archigenes. ſi ea coronetur patiens: aut ſi teratur cū aceto & roſaceo, & illinatur, aut oleo decoquatur ac foueatur caput. nec tantum capitis dolores ſedat, ſed capillos quoq; fluentes compeſcit: radicis decoctum calidum ore retentum dentium dolores mitigat ac mobiles firmat, oriſq; ulceribus medetur: ad colicos radices ſemicontuſas in aqua ad dimidiam decoquito, & diebus quinq; decoctum potandum dato: efficaciſſimum id eſſe experientia compertum eſt. facit & ad calculos atq; ad inchoantem elephantiaſim, ſi cum melle propinetur. utere iiſdem ad epilepticos, & ad quotidiana, quartana ue febri laborantes: ad podagricos uero & coxendicum morbo affectos uino decocta exhibetur. ſucci è radice expreſſi collutio ad fiſtulas cōmodiſſima eſt, & ſi morotum liquori ac melli mixtus exuratur, & aridus illinatur fiſtulas ſanat: poteſt etiam melle aſſumi & fiſtulæ tanquam collyriū iniici, ac mirū in modū prodeſt.
Vua cæteris uniuerſis fructibus quos horarios uocant præter ficus uberius alit, præſertim ſi exquiſite concoquitur. dos illi præcipua eſt quàm celerrime ſecedere. nam ſi diutius immoretur, nō paruō nocumento afficit: detenta enim præter quod male concoquitur, ad hepar etiam ac uenas delata crudum humorem gignit, cum haud facile uertatur in ſanguinem, tum propter ambientem corticem, tum propter acinos arentes acerboſq;, ut probè faciant, qui hæc tanquam inutilia expuentes, totam intimam carnem cum liquore exugunt, nanq; ita uelocius deſcendit. ſeruatur uua in hiemem uarijs modis. quædam in olla reconditur obturato exquiſitiſſime orificio & picato ne prorſus tranſpiret, cuius uſus præcipuus ad ſtomachos imbecillos firmandos, & uim appetendi excitandam, ſed ægre ſecedit aluo, & ſi uberius ſumatur, caput tentat. Impenſius tamen caput offendit quæ muſto conditur, minime omnium quæ ſuſpenditur: hæc neq; aluum detinet neq; prouocat, ſicut nec debilem appetitum erigit, nec robuſtum deiicit. Vuæ dulces calidiorem ſuccū habent, propterea ſiticuloſæ ſunt ac uentrem ducunt, præcipue humidiores calefaciendo ac refrigerando mediç: at quę acidæ auſteræq; fuerint & extimū corticē craſſiorem habuerint, præter hæc nocumenta etiam coctioni quæ fit in uentriculo & diſtributioni, & nutritioni, reſiſtunt. Illud omnibus commune fructibus qui edendo ſunt animaduertere oportet: humidos quidem humidum ac tenue nutrimentum reddere, quod facile tranſeat, celerrimeq; in uniuerſum corpus diſtribuatur, quodq; citiſſime per urinam ac cutim excernatur. contrà ſolidioris ſubſtantiæ fructus craſſum alimentum reddunt, quod uix in uenas digeratur, præcipue ſi ſucci craſſioris, tenacis acerbiq; fuerint.
Viticis uirgultum quem agnon uocant, folia, flores, & ſemen, tertio exceſſuum

ordine calefaciunt & exiccant: ſubſtantia inſigniter tenui, fructus eius edendo eſt manifeſte calefaciens, ut inde dolorem capitis inferat: qui ſi aſſetur mitius quidem caput tentat, corpori uero exiguum alimentum & illud ſiccum affert & frigidum, minime omnium flatuoſum. Qua ratione ueneris impetum ſedat, crediturqꝫ non tantum cibo aſſumptus, aut bibitus, ſed ſubſtratus quoqꝫ caſtitatem iuuare: hepati certe & lieni induratis aut obſtructis uiticis ſemen magis quàm ruta confert.

Vrticæ folia & ſemen diſcutiendi uires habẽt abſqꝫ uehementi calefactione, ideo panis quos phimata appellant, & inflammationibus poſt aures medentur, humoresqꝫ craſſos ac lentos ex thorace, & pulmone educunt. habẽt & quippiam flatuoſi, quo uenerem excitant. Item cancroſis & gangrænoſis ulceribus, & quæcunqꝫ abſqꝫ mordicatione exiccatione indigent, congrue applicantur.

Vitis albȩ, quã etiam bryoniam & pſilothrum uocant, prima germina uerno tempore propè ab omnibus comedi cõſueuere, obſonium ſtomacho acerbitate ſua conferens: illi tamen ſubamara & leniter ſubacris acerbitas ineſt, propterea urinam cit: radix uero abſtergendi exiccandi attenuandiqꝫ uires habet, & moderate calefaciendi. Ideo bibita aut extra cum ficubus illita ſplenes induratos ſoluit, ſcabiemqꝫ & lepram exterit.

Vitis nigra ſimilis omnino albæ eſt, imbecillior tantum.

Vua taminia quã etiam pediculariam & ſtaphidagrian appellant, inſigni acrimonia pollet ut pituitam à capite ualide trahat: habet & abſtergendi uim qua ſcabiem purgat, neqꝫ ſine cauſtica, id eſt, adurente facultate eſt.

Viſcum ex plurima aërea aquoſaqꝫ ſubſtantia calida cõſtat, perexigua uero terreſtri: multum igitur illi acrimoniæ ineſt, ut humores ex profundo efficaciter trahat, nõ tenues modo, ſed craſſiores quoqꝫ quos diffundit ac diſcutit. eſt autem inter medicamenta quæ nõ illico primo occurſu calefaciunt, ſed temporis proceſſu quemadmodum thapſia.

Violæ folia aquoſa frigidaqꝫ ſubſtantia redundanti pollent, ideo ſeorſum ac cum polenta illita inflammationes mitigant: applicantur quoqꝫ fragranti ori uentriculi, atqꝫ oculis inflammatis.

Vmbilicus ueneris mixtam habet humectandi ac refrigerandi facultatem cũ ſubobſcura quadam adſtrictione, & modica amaritudine, unde infrigidat, repellit, abſtergit ac diſcutit. Inflammationes ergo cũ eryſipelate, aut cõtrà eryſipelata cum inflammatione mitigat, ardentemqꝫ ſtomachum recreat: creditum eſt folia cum radice comeſta calculos frangere ac urinam ciere.

Violæ albæ frutex uniuerſus abſtergit tenuiſqꝫ ſubſtantiæ eſt, ſed flores præſertim aridi excellunt, ut oculorum cicatrices attenuent, eorumdemqꝫ decoctum menſes ducat, ſecundinas ac mortuos fœtus eliciat, imò & uiuũ interficit ſi bibatur, effrenis uero impetus plurima aquæ admixtione reprimetur. præterea inflammationibus præcipue uteri, ac priuatim induratis mirum in modũ confert. Item cerato admixtum ulceribus quæ male coaleſcunt medetur. ſemen iiſdem uiribus pollens duarum drachmarum quantitate utiliſſime bibitur, & appoſitũ cũ melle menſes prouocat, fœtus uiuos interimit, mortuos euocat. radices cum aceto illitæ induratos lienes iuuant, & articulorum inflammationes.

Vinum ſecundo ordine calefacit, quod uero peruetuſtum eſt, etiam ad tertium accedit, quemadmodum nouum dulce primum non excedit. diuerſitates tamen quæ plurimæ reperiuntur in uino diſtinguere oportet. ex omnibus enim quæ rubra ac craſſa ſunt, ad ſanguinem generandũ cæteris præſtant, tanquam quæ perexigua indigeant tranſmutatione ad ſanguinis formam imbuendam. hæc

ſubſequuntur nigra dulcia ac craſſa. Deinde quæ nigra quidem aut rubra ſunt, ſed in liquore cum craſſitie acerbitatem permixtam habent, minime omnium nutriunt, colore alba, liquore ſubtilia, aquæ ſpeciem imitantia. dulcia tam quam uirtute calidiora, melius quàm auſtera in uentriculo coquuntur, & in uenas diſtribuuntur, uentremq; magis ſubducunt. at quæ ingenti craſſitie excellunt, ſicut tardius conficiuntur, ac tranſeunt, ita ſi robuſtũ uentriculũ nacta fuerint, ut concoqui queant, maius alimentũ corpori præbent. conſtat hæc eadem uentrem ſiſtere, & ad urinam ducendam inepta eſſe, atq; in pleriſq; humorem craſſum producere. quin & ipſorũ quædam lienem, hepar, ac renes obſtruunt, ut nimio uſu quidam in hydropem, quidam in calculos inciderint, præſertim ſeniores. præſtantiſſimum uinum ſaniſq; & ex morbo conualeſcentibus commodiſſimum eſt colore rubrum, liquore tenue, cum leui quadam acerbitate.

Vlmi folijs recentia uulnera glutinamus, adſtringunt enim & abſtergunt, cortex ueluti amarior etiam magis abſtergit, ut lepram cum aceto exterat. eadem uis & radici ineſt, cuius decocto nonnulli fracturas fouent, quę toſacea ſubſtantia, quam porum uocant, indigeant.

Verbaſci tres ſpecies ſunt, duarũ radices adſtringunt, unde fluidis affectibus conferunt. harum decocto nonnulli ad dentes qui dolent colluendos utuntur, ſolia omniũ abſtergendi diſcutiendiq; uiribus pollent. tertia ad lucernarum lumina admittitur, quam priuatim thriallida appellant.

X

Xanthium quidam phaſganiũ, quidam philanthropon, quidam chœradolethron quaſi ſtrumarum perniciem, latini lappam nuncupant. huius ſemen diſcutiendi uires habet: corticis radicis decoctum ac bibitum lienem ſoluit, dentes mobiles firmat, ſi in uino coquatur.

Z

Zea media quodammodo eſt inter triticum & hordeũ ut ex illis cognoſci poſſit.

Zingiberis radix uehementer calefacit, ſed nõ ſtatim occurſu primo ueluti piper: nam præter quod craſſioris ſubſtantiæ eſt, habet etiam aquoſam excrementoſamq; humiditatem, ideo facillime teredinem ſentit.

Zythus acrior hordeo eſt, flatuoſus, ſtomacho infeſtus tanq̃ qui ex putredine fiat.

Aetij Amideni liber primus explicit Ioanne Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete.

QVAE IN SECVNDO LIBRO CONTINENTVR.

De terrarũ differentijs ex Galeno Ca. i	De lapidibus ſchiſto, galactite & melitite Cap. xiiij
Quomodo terra lauanda ſit Cap. ij	Omnium lapidum doctrina communis Cap. xv
Medicinæ ab exculto ſolo Cap. iij	De leucographide aut moroxo Ca. xvi
De lemnio ſigillo Cap. iiij	De galactite lapide Cap. xvij
Rubrica Cap. v	De iaſpide Cap. xviij
Terra ſamia Cap. vi	De tecolitho ſeu ſyriaco lapide Ca. xix
De terris ſelinuſia & chia Cap. vij	De pyrite lapide Cap. xx
Cymolia Cap. viij	De phrygio lapide Cap. xxi
Terra ampelitis uel pharmacitis Ca. ix	De agerato lapide Cap. xxij
Cretica terra Cap. x	De aſio lapide Cap. xxiij
De omni cremata terra Cap. xi	De gagate lapide Cap. xxiiij
De bolo armenico Cap. xij	
De hæmatite lapide Cap. xiij	

De magnete lapide Cap. xxv
De ſmiride pumice teſta clibani & hu-
iuſmodi Cap. xxvi
De lapidibus ſpongiæ Cap. xxvij
De naxia cote Cap. xxviij
De ophite Cap. xxix
De hieracite & indico Cap. xxx
De uitro Cap. xxxi
De aëtite Cap. xxxij
De lapide alabandico ſeu alabandino
De gagate Ca. xxxiiij (Ca. xxxiij
De electro, ſuccino, uel lyngurio xxxv
De ſubuiridi iaſpide Cap. xxxvi
De iaſpachate Cap. xxxvij
De ſapphiro Cap. xxxviij
De ſmaragdo Cap. xxxix
De metallicis & his quæ ex aqua fiunt
Adarca Cap. xli (Cap. xl
Armenicum Cap. xlij
Auripigmentum Cap. xliij
Aphronitrum Cap. xliiij
Aërugo raſilis Cap. xlv
Aërugo uermicularis Cap. xlvi
Argenti ſpuma Cap. xlvij
Atramentũ ſcriptoriũ Cap. xlviij
Alumen omne Cap. xlix
Atramentum ſutorium Cap. l
Aes uſtum Ca. li Aeris flos Ca. lij
Bitumen Ca. liij Cadmia Ca. liiij
Cyanus Ca. lv Chalcitis Ca. lvi
Calx Ca. lvij Chryſocolla Ca. lviij
Ceruſſa Ca. lix Diphryges Ca. lx
Fucus Ca. lxi Gypſus Ca. lxij
Halcyonium Cap. lxiij
Melanterium Ca. lxiiij
Myſi ſori, & chalcitis Cap. lxv
Nitrum Ca. lxvi Pſori Ca. lxvij
Plumbago Cap. lxviij
Plumbum Cap. lxix
Pompholyx Cap. lxx
Rhoidarium Cap. lxxi
Recrementum ferri Cap lxxij
Sal omne Cap. lxxiij
Sal crematum Cap. lxxiiij
Salis flos Cap. lxxv
Salis ſpuma Cap. lxxvi
Sandaracha Cap. lxxvij
Sandix & ſyricum Cap. lxxviij
Squamma Cap. lxxix
Stibium Ca. lxxx Spongia C. lxxxi
De medica materia ab animalibus ſum-
pta Cap. lxxxij
De ſanguine Cap. lxxxiij
Ex Ruffo & Galeno de lacte C. lxxxiiij
De lactis differentijs Cap. lxxxv
De lactis differentia ab habitu anima-
lium ſumpta Cap. lxxxvi
De differentijs ab anni temporibus
Cap. lxxxvij
De differentia à paſcuis Ca. lxxxviij
Ab ætatum differentijs Cap. lxxxix
Quibus competat lac Cap. xc
De modo menſura, ac tpe uſus Ca. xci
Quibus lac obſit ex Galeno Cap. xcij
De lactis decoctione Cap. xciij
De lactis ſero ex Galeno Cap. xciiij
De his quæ uoluptatis gratia in lacte
coquuntur ex Galeno Cap. xcv
De acido lacte ex Galeno Cap. xcvi
De protogalacte ex Galeno Ca. xcvij
De lacte concreto Cap. xcviij
De caſeo ex Galeno Cap. xcix
Medicamẽtũ Galeni ex caſeo antiquo
ad toſaceos nodos podagrarũ Ca. c
De ui recentis caſei extra applicati C. ci
De butyro ex Galeno Cap. cij
De coagulo ex Galeno Cap. ciij
De bile Cap. ciiij
De ſudore Cap. cv
De urinis Cap. cvi
De ſauila Ca. cvij De fimo Ca. cviij
De canino fimo Cap. cix
De humano fimo Cap. cx
De lupino ſtercore Cap. cxi
De caprino ſtercore Cap. cxij
De ſtercore bubulo Cap. cxiij
De ouino ſtercore Cap. cxiiij
De fimo columbarum Cap. cxv
De gallinarum ſtercore Cep. cxvi
De ſtercore anſerũ, hieracis, gruũ & ter-
reſtrium crocodilorum Ca. cxvij
Ouium ſordes ex qua œſypus confi-
citur Cap. cxviij
De carnibus Cap. cxix
De terreſtrium animalium extremis
partibus Cap. cxx
De glandulis quas uocant adenas
De teſtibus Cap. cxxij (Ca. cxxi

De reni-

De renibus Cap. cxxiij
De cerebro Cap. cxxiiij
De uiſceribus Cap. cxxv
De uentriculo inteſtinis & utero Cap. cxxvi
De carne agreſtiũ animaliũ Ca. cxxvij
De alimento ab auibus ſumpto Cap. cxxviij
De anſeribus & ſtruthocamelis Cap. cxxix
De gruibus Cap. cxxx
De membrorum differentia in auibus Cap. cxxxi
De ouis Cap. cxxxij
De ouis medicamentorum ratione ſumptis Cap. cxxxiij
De nutrimento animalium in aquis degentium Cap. cxxxiiij
De cephalo quem nonnulli mugilem uocant Cap. cxxxv
De lupo quem lauraca appellant Cap. cxxxvi
De mulo quem triglam uocant Cap. cxxxvij
De piſcibus ſaxatilibus Ca. cxxxviij
De gobione Cap. cxxxix
De piſcibus mollem carnẽ habentibus quos malacoſarcas uocant Ca. cxl
De duras carnes habentibus quos ſcleroſarcas uocant Cap. cxli
De piſcibus teſta intectis Cap. cxlij
De cruſtaceis Cap. cxliij
De piſcibus mollibus Cap. cxliiij
De chartilagineis quos ſelachios uocant Cap. cxlv
De echinis marinis Cap. cxlvi
De ſalſamentis omnium animaliũ quadrupedum, uolucrum, & aquatilium Cap. cxlvij
De garo Cap. cxlviij
De muria Cap. cxlix
De adipe Cap. cl
De medulla Cap. cli
De pulmone Cap. clij
De capitibus Cap. cliij
De cornibus Cap. cliiij
De ungulis Cap. clv
De lichenibus in pedibus equorum inuentis Cap. clvi
De lanis ſuccidis ac puris exuſtis Cap. clvij
De pilis uſtis Cap. clviij
De oſſibus uſtis Cap. clix
De pellibus Cap. clx
De uentriculo mergi Cap. clxi
De uulpibus Cap. clxij
De ranis Cap. clxiij
De muſtella Cap. clxiiij
De telis aranearum Cap. clxv
De lumbricis terræ Cap. clxvi
De dracone marino Cap. clxvij
De uipera Cap. clxviij
De herinaceo marino Cap. clxix
De herinaceo terreſtri Cap. clxx
Depilatorij confectio Cap. clxxi
De hippocampis marinis Cap. clxxij
De cantharidibus Cap. clxxiij
De cancris fluuialibus Cap. clxxiiij
De locuſtis marinis Cap. clxxv
De teſtibus caſtoris Cap. clxxvi
De canis fluuiatilis teſtibus C. clxxvij
De terreſtri cane Cap. clxxviij
De cycno Cap. clxxix
De buccinarũ teſtis crematis Ca. clxxx
De galerita aue Cap. clxxxi
De cocleis terreſtribus Cap. clxxxij
De mænulis aut acubus ſalſis & crematis Cap. clxxxiij
De torpedine uiua Cap. clxxxiiij
De aſello marino Cap. clxxxv
De oſtreorum teſtis Cap. clxxxvi
De purpurarum teſtis Cap. clxxxvij
De ſepijs Cap. clxxxviij
De ſcinco Cap. clxxxix
De tellinis Cap. cxc
De cicada Cap. cxci
De hiæna Cap. cxcij
De hirundinibus Cap. cxciij
Quæcunq; calefaciendo & refrigerando temperata ſunt Cap. cxciiij
Quæcunq; moderate calefaciunt Cap. cxcv
Quæcunq; primo ordine calefaciunt Cap. cxcvi
Quæ ſecundo ordine calefaciunt Cap. cxcvij
Quæ calefaciendo tertij ordinis ſunt Cap. cxcviij

Quæ refrigerant Cap. cxcix
Quæ primo ordine refrigerant Cap. cc
Quæ ſecundo ordine refrigerant Cap. cci
Quæ infrigidant tertio gradu Ca. ccij
Quæ quarto gradu refrigerãt Ca. cciij
Quæ ſine eroſione exiccant Ca. cciiij
Quæ ſimpliciter deſiccant Cap. ccv
Quæ primo ordine deſiccãt Ca. ccvi
Quæ ſecundo ordine deſiccant Cap. ccvij
Quæ tertio ordine deſiccant Ca. ccviij
Quarto ordine exiccantia Cap. ccix
Quæ humectando exiccandoq́ȝ ambigunt Cap. ccx
Quæ primo ordine humectant Cap. ccxi
Quæ ſecundo ordine humectant Cap. ccxij
Quæ ſint humiditatis aqueæ Cap. ccxiij
Quæ tenuibus partibus conſtant Cap. ccxiiij
Quæ craſſis partibus conſtant Cap. ccxv
Quæ corroborant Cap. ccxvi
Quæ maturant Cap. ccxvij
Quæ ſuppurant Cap. ccxviij
Quæ molliunt Cap. ccxix
Quæ indurant Cap. ccxx
Quæ abſtergunt Cap. ccxxi
Quæ ora uaſorũ aperiunt Cap. ccxxij
Quæ cutim rareſaciunt Cap. ccxxij
Quæ denſant Cap. ccxxiiij
Quæ putrefaciunt Cap. ccxxv
Quæ eminentias reprimunt Ca. ccxxvi
Quæ cicatricem inducunt Ca. ccxxvij
Quę ſuperficiẽ exulcerẽt Ca. ccxxviij
Cauſtica, id eſt, adurentia Cap. ccxxix
Quę euocant Cap. ccxxx
Quę diſcutiunt Cap. ccxxxi
Quę adſtringunt Cap. ccxxxij
Quę ſemen generant & uenerem excitant Cap. ccxxxiij
Quę arcent ſemen Cap. ccxxxiiij
De alimentorum uiribus Ca. ccxxxv
Alimenta quę attenuant Ca. ccxxxvi
Quę craſſos ſuccos gignũt C. ccxxxvij
Quę medium ſuccum inter craſſum & tenuem gignunt Cap. ccxxxviij
Quę uiſcidum ſuccum generant Cap. ccxxxix
Quę crudum humorem gignunt Cap. ccxl
Quę frigidum ſuccum generant Cap. ccxli
Quę ſuccum melancholicum gignunt Cap. ccxlij
Quę excrementoſa ſunt Cap. ccxliij
Quę excrementis carent Ca. ccxliiij
Quę plurimum nutriunt Ca. ccxlv
Quę modice alunt Cap. ccxlvi
Quę boni ſucci ſunt Cap. ccxlvij
Quę mali ſucci ſunt Cap. ccxlviij
Quę bene concoquunt̃ Ca. ccxlix
Quę difficulter concoquunt̃ Ca. ccl
Quę ſtomachum roborant Cap. ccli
Quę ſtomacho infeſta ſunt Cap. cclij
Quę flatum diſcutiant Cap. ccliij
Quę flatuoſa ſunt Cap. ccliiij
Quęcunq; abſtergunt incidunt aperiunt Cap. cclv
Quę obſtruunt Cap. cclvi
Quę tardi tranſitus ſunt Cap. cclvij
Quę facile corrumpunt̃ Cap. cclviij
Quę difficulter putreſcunt Ca. cclix
Quę aluum citant Cap. cclx
Quę uentrem detinent Cap. cclxi
Quę calefaciunt Cap. cclxij
Quę frigefaciunt Cap. cclxiij
Quę exiccant Cap. cclxiiij
Quę humectant Cap. cclxv
Quę caput tentant Cap. cclxvi
De electione ſimplicium medicamentorum Cap. ultimum

AETII AMIDENI MEDICI CLARISSIMI LIBER SECVNDVS IOANNE

Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete.

De terrarum differentijs ex Galeno. Caput. I

TERRAM communi appellatione eam dumtaxat ſubſtantiam mortales uocāt, quæ humore cōſperſa limus efficitur: nam quę inter metalla reperitur nō madeſcit, madeſcere intelligo partibus uniuerſis humectari, ſicut rigari tantum ſuperficie tenus non ad intimos receſſus humorem imbibere. terra omnis quoniam corpore cōſtat natura ſicco, exiccādi uiribus pollet, quod quidem niſi partibus igneis mixta ſit abſq; eroſione facit: partes igneæ ſi adſint lotione amoueri queūt: ac nō unica interdum lotio ſufficiet, ſed erunt ſæpe duæ ac tres etiam neceſſariæ: quod ſi guſtum exercitatum habueris nunquid lauari oporteat, tu ipſe iudicabis, id uidelicet ex acrimonia, ſiue acerbitate deprehendens. cum uero ſubſtantia exquiſite ſimplex inueniri non poſſit, mixtionum differentias cū grauitate ac leuitate, tum maxime guſtu percipies: unumquodq; enim quantum acerbitatis, tantum & frigiditatis particeps erit, ſicuti contra acrimoniæ ſemper æqualem caliditatem inuenies. Pro leuitatis uero ratione aëreæ ſubſtantiæ quantitatem toti temperamento immixtā dignoſces. At quanto grauior fuerit tanto purior abſolutiorq; terra cenſenda eſt. Conſtat igitur poteſtate calidam calefacere, ſicut frigidam acerbamq; frigefacere ac repellere, quæ ſine aperto calore abſtergit, abſq; eroſione exiccare, cui plus glutinoſi inerit, iam non abſtergere: glutinoſum enim cui nihil acrimoniæ permixtū ſit, quod in uiſco uidemus, meatus potius opplet, quàm exterat, & abſtergat. hæc omnia in quacunq; medicina diligentiſſime ſpectare perquam neceſſariū duco. Nam plurimos uidere eſt qui cremata omnia ſeipſis frigidiora fieri putent, plurimos contra calidiora, quorū utriq; longe à ueritate aberrarunt: nam quæcunq; acrius adurunt, nō parum propriæ caliditatis ſuo in cinere derelinquunt: quæ uero talia nō fuerint ſi cremantur alienū tamen calorem recipiunt, ut nihil crematū exacte frigidum inueniri queat. quoniam ſemper ab incendio tenue quiddam & acre tanquam partus ignis relinquitur, atq; hoc illud eſt, quod lotione remouetur: illo enim in aquam migrante reſiduū ſubſtantia tantum terreſtris ac frigida eſt, quæ ſine eroſione exiccat. Aqua uero qua medicamentū abluimus calefaciendi attenuandiq; uires habet. His ita declaratis iam docendi tempus eſt, quonam pacto terram quæ lotione indiguerit, lauari oporteat. Nam quædam ſicut prædiximus lotione non eget.

Quomodo terra lauanda ſit. Cap. II

TErram lauandam aqua conſpergito, nullius uiroſæ qualitatis participe: ubi limus conſederit fluitantem aquam abijcito, deinde ſubſidentes lapillos atque arenulas remoueto.

Medicinæ ab exculto ſolo. Cap. III

CVlti ſoli quodcunq; pingue eſt ad membra quæ exiccatione indiguerint utiliter adhibetur, quo medicamento Alexandria totaq; Aegyptus utitur. noui ego Alexandriæ quoſdam aqua intercute, quoſdam lienum uitio laborantes, Aegyptiæ telluris limo ſanatos: permultos etiam tibias, femora, ulnas, brachia, hume

ros,latera,pectus,eodem limo illinentes mirum immodum iuuari,ſed & antiquis inflammationibus, laxiſq; œdematibus confert. uidi etiam quendam nimio hæmorrhoidum fluore exhauſtū,cū toto habitu deprauatus eſſet,hoc præſidio ſummopere adiutum, alios diuturno dolore quibuſdam membris pertinaciter inſerto ad hoc idem confugiendo penitus curatos:hactenus Galenus.Straton uero ita de terra tradit. Ad capitis dolorem diuturnū, ſordem balnei aut ſontium calidorum terræ atræ ablutæ admiſceto,ac utere,aut capitulorū roſarum decocto terram conſpergito, aut ſextarioli acetarij teſtulam tritam cū lauri decocto terræ connectito. Idem efficies clibani teſta cū ſampſuci iure terræ nigræ permixta. Item ad ſcabioſas impetiginoſasq; puſtulas, iure amigdalarū amararū terram atram irrigato & utere, aut acetarij uaſis teſtam tundito, ac cum rutæ decocto terræ adiungito, aut ſalis fruſtula in fictilis fundo reperta quod garum ſeruauerit, cum tellure terito & applica, aut columbarū fimum cū cremore ſolani ueſicarij terræ admiſceto. Item ad diuturnam tuſſim cū deprauato habitu iure oſſiū uitulorū terram conſpergito & illine thoraci,aut lagenæ mellariæ teſtam cū tellure contundito,ac ſimiliter cōſpergito & utere. Poterit tamē & ad idem conſpergi cymini cremore aut nigellæ, aut ſampſuci.Præterea ad lienoſos cinerem clematitis herbæ & grumū fecis aceti cū cremore foliorū capparis rigato & terræ admiſceto, & applica, aut argenti excrementum contritiſſimū limo adiungito,aut terram ſerapiadis herbæ decocto irrigato,aut teſtas contritas terræ admixtas aceto aſpergito & utere.ad hydropem teſtam cū muria antiqua tritam, uel cū garo ex carnibus uitulorū aut porcellorū terræ annecte & applica,uel ſampſucū marina aqua decoquito, ac terram inſpergito,aut cum lupinorū amarorū decocto ſalſamentū ſubigito,& terræ admiſceto, aut alumen exuſtum,uel pulei exuſti cinerem,uel fimū bubulū arefactū cum oxymelite terræ complicato.ad coxendices cæteraſq; neruoſas partes quæ algore affectæ fuerint,in iure oſſium uitulorum ſampſucum decoquito, candidæq; terræ admiſceto, & utere, aut iure anguillæ cū ſale ac nitro terram madefacito, aut ſordes ac calcem uiuam cum cremore porri, aut allij terræ cōnectito,aut coſtum,caſiam, iuncum odoratum, aſpalathum, xylobalſamum, ſampſucum trita in oleo & aqua decoquito,& limo admiſceto, aut bubulum caprarum ue fimum arefactū & cum ſorde confectum cerato raphanino limo cōmiſceas.Ad podagram,illinantur à capite quidem uſq; ad inguina aliquo eorum quæ proxime dicta ſunt, ab inguinibus uero uſq; ad infimos ungues cum his quæ ſtatim dicentur: poſteriores uituli pedes ſimul cum ungulis cremato,terito,ac terræ annectito,aut lapidem quem leucographida appellant, cum aqua in qua ſæpius candens ferrū extinctum ſit ſubigito,& aluminis unc.I.limo admiſceto,aut gallas decoquito,ſeu liguſtri ſolia,donec flacceſcāt,& terram madefacito.Aliud:aluminis ſciſſilis,ac liquidi, ſingulorū unc.I. gummi tantundem,ceruſſæ unc.IX. melantherij unc.V. miſyos unc. VI. foliorum ſalicis unc. IX. olei myrthini aut ricinini unc. XXIIII. aceti ſextaria ſex contundito ac terræ admiſceto. Aliud: ceruſſæ,ſpumæ argenti,ſingul. drach. XXIIII.olei myrthini lib.IIII. aquæ quod ſufficit, terito ſingula ac terræ commiſceto. aliud quo Philinus præſes ſanatus eſt: ſucci roſarū,aluminis ſciſſilis, cyperi,uiticis,gallarum,croci,baccarum myrthi,thuris, ſingulorum partes æquales: terito ſingula,ac reponito, & uſus tempore in aqua diluito ac terræ admiſceto, & applica. quod ſi adhuc morbus perſiſtat foueto perſicorum acerborum decocto. atq; hæc quidem de culta tellure ſatis.

De lemnio ſigillo. Cap. IIII

LEmniam terram,quā & lemniū ſigillū uocant, ſatis paratam habemus:nam cum in ſua regione lota fuerit,noua lotione nō indiget,ſed uarijs ſoluta liquo

ribus uarios uſus præſtat. Ego ſi aliquando ad maleſica putridaq; ulcera lemniam adhibui nō parum profeci, modus tamen utendi pro deprauati ulceris ratióne uariatur. fœtidum enim nimioq; humore marceſcēs, antiquū ac ſordidum, lemniam tolerabit acerrimo aceto ſolutam ad limi conſiſtentiam. at uino diluta ad uulnera recentia glutinanda magis conuenit. bibita ad ſanguinis eiectiones confert, ad perniitioſa medicamenta, & ad uenenoſorum animaliū morſus. per clyſterem iniecta cū plantaginis ſucco dyſentericis mirifice prodeſt, prius tamen ulcera inteſtinorū muria purgari oportet. facit & ad ſanguinem expuentes, cum oxycrato potā.

Rubrica Cap. V

RVbrica adſtringendi exiccandiq; uiribus pollet, propterea uulnerarijs emplaſtris, paſtillisq; qui areſaciunt & conſtipant, utiliter admiſcetur. aluum etiam ſiſtit, ſi cū ouis frictis comedatur, aut per clyſterem iniiciatur, pota lumbricos expellit. præſtantiſſima omniū quæ ſinopica dicitur, è cappadocia delata, grauis, denſa, iocinoris colore uniformis, & cum diluitur plurimi ſucci.

Terra ſamia Cap. VI

TErra ſamia lotione non indiget. ea ſpecies reliquis præfertur quam ſamiam ſtellam uocamus, ad ſputū ſanguinis, ſiue undecunq; emanauerit, pota, uel appoſita mirifice cōfert. ad dyſenterica ulcera & quæ paſcendo ſerpūt, utiliter adhibetur: plantaginis ſucco diluta ulceribus inflammatis, q̄ acriora medicamēta nō tolerant, ac tenellis carnibus maxime congruit. Humidiora enim laxioraq; membra efficaciſſime confirmat, ideo ad mamillarum teſticulorumq; uitia cum aqua ſubacta ſummopere accommodatur adiecto roſaceo, quantum non ſinat medicamentum exiccari. eodē modo præparata calidis inflammationibus, inguinibusq; incohantibus, & podagricis fluoribus confert. ac prorſus ad omnia congruit, quæ demulcendo refrigerare cogitamus, ut hinc ſatis conſtet, ſamiam terram natura frigidam eſſe. inſunt & illi aereæ glutinoſæq; partes, differt tamen ſamia ſtella ab terra eiuſdem nominis, quod magis emplaſtica glutinoſiorq; ſit.

De terris ſelinuſia & chia. Cap. VII.

TErra ſelinuſia & chia abſtergendi uires habent, ſed perquam moderatas, ideo eis nonnullæ mulieres ad extergendas facies utuntur. præterquam uero quod ſine eroſione exiccant abſterguntq;, nullius inſignis uel caliditatis, uel frigiditatis participes ſunt: propterea ulceribus quæ in ſuperficie fuerint, accommodantur, ut ſunt ea quæ ob aduſtionem contingunt. Quarū tamen ſubſtantia emplaſtica eſt, non abſtergunt, neq; enim id glutinoſitas patitur.

Cymolia. Cap. VIII

CYmolia mixtis facultatibus cōſtat: partim enim refrigerat ac repellit, partim leniter diſcutit, ſed lota diſcutiendi uires amittit, & pro eorū quæ ſibi admiſcentur natura aperte ad alterutram facultatem inclinat: nam refrigerantibus ac repellentibus mixta pariter refrigerat, ac repellit, cum diſcutientibus uero diſcutit, atque ita aduſtionibus congruit, aceto diluta & illita. Mementoq; id cuicunq; leui terræ cōmune eſſe, protinus poſt inuſtionem illitam ueſicas prohibere.

Terra ampelitis uel pharmacitis. Cap. IX.

TErra ampelitis quam & pharmacitin uocant, ob inſitam ſibi inſignem præ cæteris uirtutem, & quod agricolæ erumpente uere uitium germina oblinant aduerſus inſectorum iniurias, cum uero etiam culices perimat oſtendit quantum medicamentoſis uiribus polleat, eroſione tamen non caret, neq; ſicut cæteræ mitigandi poteſtatem habet, ſed magis exiccat. ideo his medicinis adiunctam inuenies, à quibus quippiam exiccari ac diſcuti oporteat.

Cretica terra Cap. X.

CRetica terra ſamiæ ſimilis eſt, ac reliquis eiuſmodi, multo tamen imbecillior, plurimum illi aëreæ ſubſtantiæ ineſt, ideo ſine eroſione magis abſtergit, unde & argento exterendo quæritur.

De omni cremata terra. Cap. XI

QVoniam medicorum nonnulli haud abſq; ratione tellurem cremani ad ulcerum uſum quæ ſine eroſione exiccanda ſunt, ſcire oportet crematam terram tenuioris acriorisq; ſubſtantiæ eſſe, ut iam ad diſcutiendi facultatem peruenjat. Quod ſi exuſta lauetur, mordacitas quidem in aquam demigrat, tenuitas uero ab ultione comparata perſiſtens, eam magis exiccatoriam reddit. merito igitur cū omnis nō cremata terra ulceribus idonea ſit, cremata & lota ad ulcera quæ uix incarnantur, & quæ male ad cicatricem ducuntur utiliſſima eſt.

De bolo armenico. Cap. XII

DElata nobis eſt in hoc ingentis peſtilentiæ tempore, ab Armenia finitima Cappadociæ alia quædam tellus ſumma exiccandi ui, colore pallida, friabilis ueluti calx, aut ſtella ſamia, ſtellæ tamen leuitare inferior, ut inde conſtet hanc ſpiſſiorem & minus aëream eſſe, ideo niſi accurate ſpectetur facile lapis putabitr: cumq; ut diximus ſumme exiccet, dyſentericis aluiq; fluoribus, ſputo ſanguinis, diſtillationi, ac putridis oris ulceribus cōuenit, præcipue tamen capitis fluorem ad pectus mirū in modū cohibet. Qua ratiōe difficulter ſpirātes efficaciſſime iuuat, nec minus tabe laborantibus prodeſt. ita enim eorū ulcus exiccat ut nō amplius tuſſiant. Quod ſi ſublato iam morbo ob uiuendi incuriam reciderit æger, hūc quoque errorē Armenica gleba emendabit. tuſſes præterea diuturnas compeſcit, certe in hac inſigni peſtilentia, plurimi hac epota confeſtim ſanabantur. Quibus nihil profecerat, interibāt omnes, reliquis medicamentis fruſtra tentatis, ut facile appareret nullo præterea ſanabiles, qui hoc auxilio nō curarentur. danda è uino ſubſtantia tenui parce temperato ſi uel nulla prorſus uel leuis admodum febris affuerit: febri grauiori infeſtanre danda è uino longe dilutiori, raro tamen peſtilentes febres inſigni calore efferueſcunt. Quid uero de exiccandis ulceribus dixerim? quali ad id facultate bolus armeniacus cæteris præſtet? Hunc patria lingua armeni zarinaca appellanr, Syri zarnacha: naſcitur in monte prope Gangana oppidum. Regio uero ubi mons eſt, Agaraca nuncupatur.

De hæmatite lapide. Cap. XIII

HAematitis lapis à coloris ſimilitudine nomē accepit, in cote enim uel in mortario tritus ſanguineum colorem reddit. is tantum frigiditatis, quantum adſtrictionis particeps eſt: quo ego priuatim uſus ſum ad genarum aſperitates, ubi ſimul inflammatio adeſſet, ouo diluens, aut fœnugræci decocto: inflammatione uero non exiſtente, ſola aqua diluebam. ab initio liquorem adeo tenuem eſſe oportet, ut in locū ſpicillo fundatur. at ubi patiens iam tolerare uim poterit, craſſitiem ſubinde augebis, donec nucleo ſpicilli ſubter palpebram poſito commode illinere poſſis, uel inuerſa palpebra ſummis digitis medicamentum diſtendere. idem lapis ad cotem tritus ac bibitus, ſcreatum ſanguinis reprimit, omnibusq; ulceribus prodeſt. Aridus ad ſpeciem farinæ tritus carnis excreſcentias compeſcit. nemo tamen eo ſeparatim utirur, ſed ego ueluti dixi guſtu qualitatē eius deprehendens ad oculorum ulcera adhibui, nouiq; priuatim contritū cicatricem inducere, uel infuſum, uel illitum, utrunq; enim expertus ſum.

De lapidibus ſchiſto, galactite, & melitite. Cap. XIIII

HAematitæ lapidi ſchiſtus ſimilis eſt, niſi quòd imbecillior. is ad cotem tritus colorem pallidū reddit, galactites lacteū liquorem dilutus præſtat, Melitites iam

iam & caliditatis particeps eſt, ita à guſtus ſimilitudine nuncupatus. uterq; horũ ab hæmatite uiribus parum differt, pariterq; ad oculorum medicinas accommodatur, mitiores tantum ſunt. ſed ſcire oportet mitiora medicamenta inflammatis membris ſemper eſſe magis idonea, ceſſante uero inflammatione eadem iam nõ poſſe ad integram ſanitatem perducere.

Omnium lapidum doctrina communis. Cap. XV

VNiuerſis lapidibus exiccatio communis eſt, ac quicunq; in liquorem ſoluti ſiue triti, nullam inſignem qualitatem afferũt guſtui, debiliſſimi omnes, mitiſſimi immordaciſſimiq; ſunt iudicandi. qui uero apertam qualitatem guſtantibus inuehunt pro eius qualitatis ratione facultates habent. nam ſi adſtringunt cogendo ſtipandoq; pollent: ſin mordent calefaciendo diſcutiendo ac liquando. inter hæc medij neq; palam adſtringentes, neq; mordentes abſtergunt.

De leucographide aut moroxo. Cap. XVI

INter hos qui in liquorem ſoluuntur cõnumeratur Aegyptius lapis cuius ad lintea luſtranda uſus eſt, moroxus aut leucographis appellatus ſubuirens ipſe, ſed ubi cote uel aſperiore indumento teritur, aperte candicat, expers omnium qualitatum, magis quàm prædicti ſint. neq; eñ adſtringit, neq; mordicat, neq; abſtergit: propterea eo tantũ utimur, ubi ſine eroſione exiccari oportet, ceratoq; admiſcentes mollioribus corporibus adhibemus atq; ocularibus medicinis. Quanto enim mollior & à qualitatibus remotior, tanto ſubmiſſior ignauiorq; eſt.

De galactite lapide. Cap. XVII

GAlactites lapis leucographidis more ſubuiret, liquorem tamen magis candidum reddit. is ſi à balneo, uel ex aqua uel paſſo potetur, lactis copiam facere proditur, miſcetur quoq; ocularibus medicinis: ſunt qui aſſerant collo infantium ſuſpenſum, dentitionem facilem reddere.

De iaſpide. Cap. XVIII

OMnium quos hactenus diximus efficaciſſimus, ſubuiridis ab æthiopia delatus iaſpis eſt: ſolutus liquorem reddit, colore lacteũ, guſtu mordacem, ideo ſolus purgandis exterendisq; pupillis ſufficit, quæ ſine inflammatione obſcuratę ſint: nec minus delendis recentibus oculorum cicatricibus congruit, pterygiaq; duriora detergit, proprietate quadam ueluti alia multa ſunt, collo ſuſpenſus ſtomachum & os uentriculi iuuat. anulis quoq; quadam imagine inſculptus alligatur, ſicut Nechepſon Aegyptiorum rex prodidit: ego autem experientia compertum habeo, amuletum ex eo collo alligatũ ut os uentriculi attingat, nihil ſegnius agere, ac ſi imaginem ſculptam habeat, quam tradit Nechepſon.

De tecolytho ſeu ſyriaco lapide. Cap. XIX

EST & alius facultate inſignis à ſyria paleſtinæ delatus forma conſpicuus, lineis tanq; tornatilibus interſectus, Iudaicus uel tecolythus appellatus, ad calculos renum efficax tritus, & è calida potus: nec ſegnior eſt ad ueſicæ calculos. tradit Nechepſon tecolythum cum aqua ſubactum ad glutinis conſiſtentiam & abraſis pilis ſumini ac pubi applicatum ueſicæ calculos frangere, ut merito canatur:

Salue Arabum mare, tecolythum mortalibus ægris
Largitum ad morbos nobile præſidium.

Ex oleo etiam myrthino illitum podagricis confert.

De pyrite lapide. Cap. XX

EST & inter inſignes lapides pyrites uocatus, colore argenteo. hunc diſcutientibus emplaſtris miſcemus addito ſæpe & eo qui ſchiſtus appellatur: quo medicamento frequenter pus ac grumoſam ſubſtantiam intra muſculos latentem diſcutiendo euocamus. lapides omnes minutiſſime teri oportet ut efficaciores ſint haud ſecus quàm quę ocularibus medicinis miſcentur.

De phrygio lapide. Cap. XXI

PHrygius lapis potenter exiccat, habẽs ſimul & adſtrictionis quippiam & eroſionis: unde repellit, ac diſcutit, neq; eo niſi cremato utimur, ad putridã ulcera, interdũ ſolo, interdũ ex aceto aut poſca, aut uino mulſo exiccans medicamentum conficientes, de quo ſuo loco dicetur, ubi de compoſitis medicinis agetur.

De agerato lapide. Cap. XXII

Ageratus lapis quo coriarij fabri utuntur, inflammatas fauces aperte iuuat.

De Aſio lapide. Cap. XXIII

LApis ab Aſia delatus quem aſium uocant, colore igneo, ſubſtantia laxa ac friabili: huic quiddam adnaſcitur puluiſculo farinæ piſtrinorum parietibus inſidenti ſimile, quod florem aſiæ petræ uocant, attenuandi uiribus pollens, ut flacceſcentes marcore carnes ſine inſigni eroſione eliquet, atq; areſaciat. ineſt & illi in guſtu ſalſedinis quippiam ut ſapore aſperginem maris imitetur, quæ petræ aſſidens ſolis feruore exaruerit. huius quidẽ floris ac lapidis ſui conſimiles uires ſunt; agendi tamen efficacia lapis inferior eſt.

De gagate lapide. Cap. XXIIII

EST alius lapis colore niger, odore bituminis ſi incendatur, quem in Lycia inuẽniri tradunt circa gagem amnem à quo nomen accæpit. ego ſanè cruſtaceos lapides nigros, imbecillam flammam emittentes ubi cremabantur, detuli ex uallibus ſyriæ quæ eſt propè hiericum circa mare mortuum uerſus orientem, ubi & bitumen gignitur, à quo odorem ſibi compararunt: adhibuiq; tumoribus diuturnis qui genua pertinaciter obſiderent, cõmiſcendo medicamenta quæ ad hanc ægritudinem probata nouiſſem: ac comperi apertiſſime profeciſſe. nec raro addidi linimentum quod barbarum appellatur, palamq; medicina efficiebatur longe magis exiccans, ut iam ſinus contraheret, nec tantum ſanguinolenta uulnera, quibus barbarum conuenire maxime conſtat. aiunt gagaten aqua decoctum ac bibitũ lumbricos extrudere, alligatum uero diuturnos capitis dolores ſedare, manu præterea parturientis retentum, partum maturare.

De magnete lapide. Cap. XXV

MAgnes ſiue herculeus lapis hæmatitę ſimiles uires habet, ſed attrahẽdi quoque facultate pollet. tradunt hunc manibus detentum chiragræ poda græq; dolores c ompeſcere.

De ſmiride, pumice, teſta clibani, & huiuſmodi. Cap. XXVI

SMiris ſua abſtergendi ui dentes exterit, quemadmodum nos ſæpe experti ſumus: ſed & pumex abſtergit, ac teſtæ fictilium, præcipue clibani. ſmiris tamen acrimoniæ quoq; particeps eſt, propterea exiccantibus adurentibusq; medicinis miſcetur, atq; his quæ gingiuas marcore flacceſcentes curant. at pumex nõ ui abſtergendi ſolum, ſed etiam aſperitate dentes exterit. crematus ſmiridi ad eoſdem uſus poſtponendus non eſt: poſt uſtionem lotus ulcera efficaciſſime incarnat. teſta clibani præter abſtergendi facultatẽ, etiam exiccat, propterea emplaſtrũ quod epheſtiada & magum uocant, ex hac ipſa confectum optimum præſidium ad cicatricem inducendam traditur.

De lapidibus ſpongiæ. Cap. XXVII

LApides in ſpongijs reperti abſtergendi ui pollent, non adeo tamen efficaci ut etiam ueſicæ calculos frangere poſſint, ſicuti renum.

De naxia cote. Cap. XXVIII

NAxiæ cotis ſcobs refrigerandi poteſtate podagricos iuuat, roſaceo cerato admixta.

De ophite

De ophite. Cap. XXIX

OPhites lapis uſtus abſtergendi infringendiq́ uires habet, potus è uino albo tenui ueſicæ calculos ſoluit. prodeſt & alligatus morſibus uiperæ.

De hieracite & indico. Cap. XXX

HIeracites lapis & indicus dextro femori alligati hæmorroidas ſiſtunt, ut nos experti ſumus. Diogenes libro de lapidibus hieracites inquit, lapis ſubuiridis eſt, ad nigredinē uergens, aliis ſubinde coloribus uarie diſtinctus, inſigni exiccandi poteſtate, femori dextro ſuſpenſus hæmorroidas cōpeſcit. eius ſyncera probitas indicatur, ſi quandiu manu prius illita melle detinetur, tandiu non accedunt muſcæ. indicus uero colore quidem ſubflauus eſt: at ubi diluitur, purpureum liquorem reddit, ſubſtantiam habens inter denſitatem raritatemq́ mediam. potus è uino mero ſanguinis excretiones ſiſtit. ſubalbidus autem & ad cineris ſpeciē inclinans, cæteras quoq́ emanationes ſanguinis cohibet.

De uitro. Cap. XXXI

Vitrum minutiſſimum è uino albo tenui ueſicæ calculos efficaciter frangit.

Ex Demoſthenis libro de lapidibus, de aetite. Cap. XXXII

AEtites lapis agitatus ſonitum reddit tanquam alium lapidem utero gerens, ad fœtus in lubricis uuluis cohercendos, efficax ſiniſtro brachio alligatus. pariendi tempore à brachio ad femur trāſferto, & prægnans citra dolorem pariet. ualet & in furto deprehendendo: panem enim cum huius puluere confectum, ſi fur comederit, deglutire non poterit. idem quoque aſſerunt cum obſoniis decoctum, intercepta furis deglutione. tritus præterea ac calefaciēti cerato admixtus, qualia ſunt è liguſtrino oleo, aut gleucino confecta, articulari morbo laborantes ac reſolutos mirifice iuuat.

De lapide alabandico ſeu alabandino. Cap. XXXIII

LApis Alabandicus ſeu alabandinus, ſubnigricat cum fuluore interſplendentibus quibuſdam ueluti ſciſſuris ac lineis, is tritus candidorum ſuperficiē ad nigredinem mutat.

De gagate. Cap. XXXIIII

GAgatis uirtus admiranda eſt, ſi enim igne inflammetur, & uino reſtinguatᷓ, exhibeaturq́ uinum cardiacis, confeſtim leuantᷓ repreſſo ſudore, pulſibusq́ excitatis. Nonnulli gagatem ad pollinis formā terunt, ſeptemq́ continuis diebus è uino colicis propinant, drachmæ unius pondere, & integram reſtituunt ualetudinem, poculum interim quo patientes bibunt, eiuſdem uapore ſuffientes. idem quoq́ potum bitumen efficit ac proculdubio ſanat. præterea gagatis uapore uenenoſa animalia pelluntur, menſes prouocantur: deprehendunturq́ morbo comitiali laborantes. mixtus præterea idoneis medicamentis ſtrumas diſcutit: prodeſt & ad ſedis affectus contritiſſimus, & in uuæ acerbæ ſucco ad tertias decoctus. denique ad omnes fluxiones cohercendas efficax eſt.

De electro ſuccino uel lyngurio. Cap. XXXV

ELectrum ſeu ſuccinum ſeu lyngurium urinæ difficultatem, ſtomachi imbecillitatem ac corporis pallorem emendat, cum maſticha potum ſtomachi dolores ſedat.

De ſubuiridi iaſpide. Cap. XXXVI

IAſpis ſubuirens collo ſuſpenſus ſtomachi affectibus medetur, reſolutionibus conuenit, doloresq́ mitigat. qui uero capnias appellatᷓ uiridis, colore turbulento efficaciſſime fœtus detinet, qui cum difficultate geſtantur, & ad aquam intercutem utiliter alligatur, ampliſſimaq́ uulnera ab inflammationibus prohibet, ac geſtantes à doloribus immunes conſeruat.

De iaſpachate. Cap. XXXVII

IAſpachates inter iaſpidem qui ſmaragdo aſſimilatur & achatem medius, uires habet ſitim extinguendi, conſertq; potus hydropicis, iocinoroſis, pulmonis inflammatione laborantibus & pleuriticis, corpusq; floridum reddit.

De ſaphiro. Cap. XXXVIII

SAphirus è lacte potus omnibus interioribus ulceribus cõuenit, ac ſudores cõpeſcit: extra etiam ex eodem lacte illitus ulcera ſciſſurasq; linguæ ſanat. omnino enim exiccandi uiribus pollet.

De ſmaragdo. Cap. XXXIX

SMaragdus uſtus tritus, atq; attico melli mixtus oculorum hebetudines curat. item ex aqua & gummi illitus, elephantiaſi utiliſſimus eſt, ac ſi ex aqua bibatur omnino liberat. idem alligatus ſanguinem ſiſtit, quacunq; parte emanauerit.

De metallicis & his quæ ex aqua fiunt. Cap. XL

MEtallica appellare medici conſueuerunt, quæcunq; à metallis proueniunt ſeu ſponte naſcantur, ſeu fornacibus excoquantur. Tertiumq; genus eſt, quæcunq; ex his humano ingenio conficiuntur, ueluti ceruſſa, ærugo, ſandix, & huiuſmodi, quorum ſingula literarum ſerie explicabuntur.

Adarca Cap. XLI

ADarca acerrima calidiſſimaq; eſt, ideo his ſemper miſcetur, quę uiolentiam eius obtundant, atque ita exterius tantum admota plurimos uſus præſtat, quodcunq; membrum caleſieri oporteat.

Armenicum. Cap. XLII

ARmenicum quo pictores utuntur ex armenia defertur, ueluti & de bolo armenico diximus, abſtergendi uiribus, leniter acre, propterea ocularibus medicamentis admiſcetur. teritur etiam ſeorſum minutiſſime, quo arido utuntur ad pilorum in palpebris ortum, ubi ob humorum acrimoniam partim excidunt, partim tabeſcunt, ac non aluntur: id enim acumen retundendo membrum ad habitũ naturæ reducit, nã remotis humoribus deprauatis, inſita uirtus ad actus proprios excitatur, quæ prius ab infeſta mole opprimebatur. Nechepſon uero armenium, inquit, pictorum quantum eſt unciæ pars duodecima, datur utiliter melancholicis, ac ſanguinem craſſum habentibus. datur & infantibus thoracum uitio uexatis ad uomitũ excitandum (eſt enim id illi peculiare.) Morbo etiam comitiali laborantibus ac furentibus in hũc modum exhibeť: centaurij manipulos tres in hemina marinæ aquæ decoquito, decocto adde armuthei lapidis, quem græci armenium appellant, quantũ eſt unciæ pars tertia. dato ſecurus, dari enim tuto poteſt.

Auripigmentum. Cap. XLIII

AVripigmentum adurendi uires habet, ſeu crematũ ſeu crudum fuerit. conſtat uero crematum ſubtilius reddi.

Aphronitrum. Cap. XLIIII

APhronitrum à ſpuma nitri differt, nam ſpuma nitri exiccatoriũ medicamentum eſt, triticeæ farinæ etiam candore ſimile. aphronitrum uero nihil habet farinaceũ, neq; liquidum, ſed compactum eſt. à ſale etiam diſtinguitur: in aphronitro enim unum tantum amaritudinis ſaporem dominari manifeſte percipimus, diſcutiendiq; uires habet ſine ulla penitus adſtrictione, qualẽ in ſale deprehendimus. ita uero abſtergit aphronitrum, ut non tantum ſordes, ſed ſcabiem nõ minus exterat. ſpuma nitri eiuſdem facultatis eſt, imbecillior tamen.

Aerugo raſilis. Cap. XLV

AErugo raſilis acris eſt, diſcutiendi, purgãdi, carnemq; omnem excidendi uiribus pollens, cerato plurimo admixta cicatricem inducit.

Aerugo uermicularis. Cap. XLVI

AEruginem uermicularem ita cõficies. in mortarium ex ære cyprio cum æneo piſtillo, aceti albi acerrimi heminæ ſemiſſem infundito, teritoq; in ſole ad glutinis conſiſtentiam. Inde addito aluminis rotundi, ſalis ſoſſilis ſing. drachmas quatuor. lapidis translucidi candidi ac ſolidi, quem ſpecularem uocant, tantundem : ſi is non affuerit, nitri portiones æquas. tum rurſus ſub ſole terito, donec totum colore æruginoſum, ſubſtantia feculentum reddatur. Poſtea in uermiculorum formam redactam ſeruato: efficacior eſt quæ ſumit aceti partem unam, urinæ antiquæ partes duas.

Argenti ſpuma. Cap. XLVII

ARgenti ſpuma exiccat quemadmodum huius generis omnia, ſed abſtergit quoq;, ac partim calefacit partim refrigerat, ſingulaq; iſtorum moderate: ideo illam reliquis medicamentis tanquam materiam commiſcemus, ueluti & ceram ſolemus.

Atramentum ſcriptorium. Cap. XLVIII

ATramentum ſcriptorium, & ipſum aqua aut poſca dilutũ uehementer exiccat, aduſtionibusq; ignis illitum confert.

Alumen omne. Cap. XLIX

ALumen omne uehemẽtiſſime adſtringit: quadamtenus tamen ſubtilius ſciſſile eſt, deinde rotundum, craſſius liquidum & cruſtaceum, & quod plinthite appellatur.

Atramentum ſutorium. Cap. L

MIrari licet quomodo hoc medicamentum potentiſſime adſtringat, quando etiam non leuiter calefaciat. conſtat igitur maxime omnium carnes humidas arefacere calore humorem abſumens, adſtrictione cogens conſtipansq; ſubſtantiam. naſcitur & hoc in cypro eodem in loco ubi inueniuntur miſy, chalcitis & ſori, ut intelligi poſsit pluuialem aquam ab eo colle delabentem totum id ſolum irrigare & abluere. nam hanc quoq; aduerti, in ſubiacens quoddam ſtagnum ſingulis diebus paulatim colligi, tepidam, uirentem, æruginis chalcitidisq; odore, quam haurientes nonnulli in fictilia quadrata conijciunt: ubi poſt plurimos dies concreta atramentum ſutorium fit, quod deinde progreſſu temporis in chalcitim mutatur.

Aes uſtum. Cap. LI

AEs uſtum adſtrictionis particeps eſt, non ſine acrimonia, ideo lotũ commodiſſimum medicamentum efficitur ad cicatrices inducendas, non lotum durioribus corporibus conuenit.

Aeris flos Cap. LII

AEris flos ære uſto & ſquama tenuior eſt, non ſine abſtergendi uiribus, unde ad magnas palpebrarum aſperitates, quas ſycoſes uocant, utiliter adhibetur.

Bitumen. Cap. LIII

BItumen ipſum quoque ex ijs eſt, quæ in marina aqua uel conſimili ſalis more concreſcunt. optimum uero in mari mortuo naſcitur, quod eſt prope ierichontem. omne bitumen ſecundo ordine calefacit & exiccat : recte igitur eo utimur ad ſanguinolenta uulnera glutinanda, & ad reliqua quæ abſque aperta calefactione, exiccatione indiguerint. Propterea ad tineſmi irritamenta quæ ob lentam pituitam impactam nec facile extirpabilem fiunt, utiliter ſuffitur. ualet & ad dyſentericos, quorum inteſtina ab eadem cauſa ulceren-

tur: potum etiam bitumen cum uino ſubactum ad ponticæ nucis aut fabæ magnitudinem, cardiacis & ijs qui ſyncopa diſſoluuntur, efficaciſſimum eſt: confert & præcipue fœminis, pueris, ac molliora corpora habentibus. Idem ſimili modo potum quartanas corripit. compertum eſt bitumen ex aqua bibitũ præſeruare morſos à cane rabido, ne ad aquæ terrorem perueniant, immo & eos quos iam occupauerit, liberare.

Cadmia. Cap. LIIII

CAdmia optima eſt, quam botryitem quaſi racemoſam uocant. habet cadmia omnis exiccandi uires non ſine abſterſione, in caliditate ac frigiditate prope æqualitatem accedens. cremata ac lota medicamẽtum ſine eroſione exiccans efficitur, ad replenda oculorum & totius corporis ulcera.

Cyanus. Cap. LV

Cyanus ſapore acris eſt, purgandi, diſcutiendi, adſtringendiq́ uiribus.

Chalcitis. Cap. LVI

CHalcitis de qua nonnihil dicetur, paulo infrà ubi de myſi agemus, acris acerbaq́ eſt, longe tamen excellit acrimonia, ut etiam carnes adurat, cruſtamq́ inducat, quam eſcharam uocant. cremata chalcitis minus quidem erodit, ſed non minus exiccat, nec parum acerbitatis ob aduſtionem amittit, ut omnino cremata crudæ ſit præferenda: nam & ſubtilior redditur, ſicut omnia aduſta redduntur, & acrimoniam relinquit. ita enim natura comparatum eſt, ut quæ acria ſunt, aduſtione mitiora fiant, reliqua omnia acria efficiãtur. quod ſi etiam lauetur aduſta chalcitis, adhuc mitior reddetur.

Calx. Cap. LVII

CAlx uiua uehementer incendit, ut cruſtã inducat ac carnes eliquet. quæ uero nuperrime extincta eſt, cruſtam quidem & ipſa inuehit. poſt duos autem aut tres dies langueſcit minusq́ incendit, mox omnino inualida efficitur. at ſi lauetur, excolatur inde quod lixiuium uocatur: ipſa uero ſine multa eroſione exiccat. quod ſi bis, aut ſæpius laueris, nullius prorſus eroſionis particeps, exiccabit.

Chryſocolla. Cap. LVIII

CHryſocolla ex ijs eſt, quæ carnem eliquant ſine plurima tamen mordicatione. diſcutiendo uero exiccandoq́ longe pollet: quidam metallicã tantum ita nuncupauerũt, ſed quæ arte paratur efficacior eſt. in mortariũ æneum cum piſtillo ſimiliter æneo urinam infantis conijcito, ſub feruentiq́ ſole affatim ſubigito; quod enim inde exteritur areſactum, utilius medicamentum efficitur ad malefica ulcera, tum ipſum priuatim tum alijs congruis remedijs admixtum.

Ceruſſa. Cap. LIX

CEruſſa ex plumbo fit, quod ab acerrimo aceto diluitur, minime tamen acris, aut mordax eſt, uel diſcutiendo potens: magis uero meatus obſtruit ac refrigerat. ſyncera ceruſſa ſi crematur, in ſyricum tranſmutatur, quod medici uocant, ſandicem, quod ſubtilius quidem ceruſſa cremata redditur, nõ adeo tamen ut calefaciat. qui uero fucus dicitur, reſeruata ceruſſæ frigiditate tenuitatem acquiſiuit, ut ob hanc poſſit ad intimas corporis partes penetrare.

Diphryges. Cap. LX

DIphryges acerbum ſimul acreq́ eſt, ideo ad malefica ulcera atq; ad oris putredines utilius adhibetur: tum ipſum priuatim, tum melli deſpumato admixtum. confert & anginæ, ubi iam fluxus deſierit. Ad gurgulionem uero in-

ro in-

ro inciſum ſæpe hoc tantum uſq; ad cicatricem contenti fuimus, immo & reliquis ulceribus hoc ipſo ſolo medicamento exactam cicatricem induximus.

Fucus. Cap. LXI

Fucus diximus de hoc proxime in ceruſſa.

Gypſus. Cap. LXII

GYpſus cum exiccatione habet & emplaſticæ facultatis quidpiã, is madefactus lapideſcit: ideo ſi triticeæ farinæ puluiſculo è parietibus piſtrinorum collecto cum albumine oui complicaueris, ad ſanguinis eiectiones ſiſtendas efficaciſſimum medicamentum conficies.

Halcyonium. Cap. LXIII

HAlcyonij genus omne diſcutit & abſtergit, ſapore acri, magis tamen aut minus, pro ſingulorum ratione: quod uero aſperum uocatur, exterius leue eſt, interius ſcabrũ, ut uel pilos exurat: propterea ad lepram, uitiligines, ſcabiem, impetigines, adhibemus, ubi reliqua mitiora tentauerimus: halcyoniũ enim nõ exterit tantum, ſed abradit & ulcerat. At mileſium forma uermiculo ſimile, colore purpureum, ſubſtãtia molle, omnium tenuiſſimum eſt, ideo crematum è uino tenui & fuluo illitum capitis areas ſanat.

Melanterium. Cap. LXIIII

Melanteriũ inter medicamenta eſt, quæ pariter adſtringunt & attenuant.

Myſi ſori & chalcitis. Cap. LXV

IN Cypri montibus quos Solos uocant, amplus ſpecus intra ſaxum defoſſus eſt, à cuius quidem latere dextro, nobis uero ingredientibus ſiniſtro, ad metallum ducens ingreſſus patet, in quo uidimus tres ſibi inuicem ſuccedentes quàmlongiſſime extenſas zonas, infimã ſoreos, mediam chalcitidis, ſupremam myſios, ac temporis progreſſu chalcitim in myſi paulatim immutari deprehendimus; ut non aliter poſt longius ſubinde tempus potuerit ſori in chalcitim uerti. nihil igitur mirum eſt, ſi tria hæc ijſdem uiribus conſtent, tenuitate tantum ac craſſitie differentia, craſſiſſimumq; ſit ſori, tenuiſſimũ myſi, media chalcitis. cremata uero tenuiora quidem redduntur, ſed minus adſtringũt.

Nitrum. Cap. LXVI

NItrum inter aphronitri ac ſalis naturam ambigit: uſtum uero aphronitro propius accedit. habet id exiccandi diſcutiendiq; poteſtatem, atq; interius ſumptum præ cæteris craſſos lentosq; humores atterit & incidit. nam aphronitrum niſi magna urgente neceſſitate nemo deglutit: tanquam ſtomacho infeſtum. ruſticus tamen quidam ad fungos uenenoſos hoc medicamento iugiter utendo, laudem conſequebatur.

Pſoricum. Cap. LXVII

PSoricum conficies ſi argenti ſpumæ duplã chalcitim addideris, atq; utranque acerrimo aceto ſolutam in ollam nouam conieceris, & in æſtatis feruore quadraginta diebus obrutam fimo permiſeris. hoc medicamẽtum exiccando attenuandoq; chalcitim excedit, neq; adeo mordax eſt.

Plumbago. Cap. LXVIII

PLumbago quam molybdenam uocant, ſpumæ argenti cõſimiles uires habet, ad frigiditatem declinans abſtergendiq; particeps.

Plumbum. Cap. LXIX

PLumbum refrigerantis uirtutis eſt, quod humidam ſubſtantiam frigidiate concretam habeat, propterea in ſubterraneis humentibusq; locis reconditum mole & pondere augetur. mortarium itaq; plumbeum cum ſuo piſtillo

conficito:tenueq́ uinum cum roſaceo aut myrthino, aut melino conijcito,teritoq́ in ſole aut prope ignem,donec liquor quidã è plumbo exudauerit,optimumq́ medicamẽtum habebis ad ſedis inflammationes ulceratas,& ad quæcunque in teſtibus, aut pudendis, aut mammillis, inguinibus, pedibus, aut alijs articulis decubuerint.Item ad malefica cancroſaq́ ulcera,ſi quẽpiam refrigerantem adſtringentemq́ ſuccum addideris,qualis ſeridis eſt,umbilici ueneris,ſedi,portulacæ,pſyllij,uuæ acerbæ. quod ſi horum quæpiam parum ſucci reddiderit,ueluti portulaca,uberior illi ſuccus ſicuti uuæ acerbæ miſcendus eſt.cataplaſma è plumbo lumbis illitum eorum qui exercendi ſunt, ueneris ardorem compeſcit. plumbum uſtum ac lotum ad malefica chironia cãceroſaq́ ulcera efficaciſſimum eſt,cicatricem inducens tum priuatim tum alijs medicamentis adiectum.

Pompholyx. Cap. LXX

POmpholyx lota omnibus ferè præſtat quæ ſine eroſione exiccãt,ideo cancroſis reliquiſq́ maleficis ulceribus corroſiſq́ gingiuis utiliſſima eſt.

Rhoidarium. Cap. LXXI

RHoidarium eſt hæc quoq́ inſignis confectio . Iacham in aqua madefacito : inde lapidem qui cupholithus appellatur , tritum ea aqua conſpergito,& poſtea exiccari ſinito,mox anchuſę radicem oleo decoquito,donec oleũ ruffeſcat.tum huius olei modicum inſtillato,areſieriq́ quindecim diebus permittito.rurſuſq́ eiuſdem aquæ quidpiam conijcito quæ Iacham madefecerat, pariterq́ exiccari ſinito.poſtremo in fictile,aut lapideum uas recondito,& obturatum aſſato,eritq́ rhoidarium probum. defertur cupholithus à cęſarea palæſtinæ,quo qui carent inextinctam calcem illius uice aſſumunt.

Recrementum ferri. Cap. LXXII

REcrementum ferri ſicut & omne recrementum exiccandi uires habet : id ſi minutiſſime triueris,inq́ acerrimo aceto decoxeris,ſuppuratis auribus medicamentum idoneum conficies.recrementum argenti priuatim helcyſma nuncupatur,exiccandi uiribus conſtans.

Sal omne. Cap. LXXIII

SAl omne tum marinum,tum foſſile eaſdem genere facultates habet:differunt tantum,quod foſſile compactioris ſubſtantiæ ſit : ideo craſſius quoq́ eſt, ac magis adſtringit . inter foſſiles omnes cappadox & ammoniacũ præferuntur.marinis cõgeneres ſunt,qui è ſtagnis quibuſdam fiunt.omnibus commune eſt calefacere,diſcutere,adſtringere, exiccare,cogere,ſtipareq́ ſubſtantiam eorum corporum quibus adhæſerint : nam totum humorem depaſcunt quencunq́ inuenerint, reliquam ſolidiorem ſubſtantiam adſtringendo compingunt:propterea areſaciunt,imputreſcibiliaq́ cuſtodiunt, quæ ob humoris redundantiam putredini ſunt parata.

Sal crematum. Cap. LXXIIII

SAl crematum crudo magis diſcutit,quod ab aduſtione tenuitatem comparauerit:non tamen crudo æquale eſt,cogendo ſolidamq́ ſubſtantiam conſtipando.

Salis flos. Cap. LXXV

SAlis flos ſubſtantia liquidus,colore croceus, ſapore acris, uel ſale cremato tenuior eſt, diſcutiendi uiribus: colligitur ſub caloris æſtu,ueluti flos quidam ſuper aquis fluitans.

Salis ſpuma. Cap. LXXVI

SAlis ſpuma ſpumoſa quædam ſalis efflorescentia eſt, petris inhærens, ſale longe ſubtilior: propterea attenuando diſcutiendoq́; longe efficacior, in reliquis ſali ſimilis.

Sandaracha. Cap. LXXVII

SAndaracha ſicuti auripigmentum adurendi uires habet, ideo diſcutientibus abſtergentibusq́; medicamentis miſcetur.

Sandix & ſyricum. Cap. LXXVIII

De his egimus in capite de ceruſſa.

Squama. Cap. LXXIX

SQuama quædam æris, quædam ferri, quædam helitis quaſi clauilis uocatur. clauilis igitur tanquam tenuior, ac cuiuſdam æruginis particeps cæteris præſtat. magis tamen adſtringit ferri ſquamma, magisq́; adhuc quæ ſtomoma appellatur, ideo ad malefica ulcera æreæ pręfertur. ærea uero expurgat, ac carnes eliquat. habent omnes ſquammæ inſignem mordacitatem.

Stibium. Cap. LXXX

STibium ſicuti & omnia metalla exiccandi adſtringendiq́; uiribus pollet, ideo ocularibus medicamentis miſcetur.

Spongia. Cap. LXXXI

SPongia pice liquida, & bitumine madefacta & cremata exacuit, diſcutit ac ſanguinem ſiſtit. ſpongia noua ex aqua, aut poſca, aut uino pro temperaturarum ratione expreſſa, inter idonea medicamenta quæ uulnera glutinãt, annumeratur.

De medica materia ab animalibus ſumpta. Cap. LXXXII

CVm plantarum naturam, non quidem omnem quæcunq; in toto terrarum orbe inuenitur, ſed eam tantum quam experientia compertam habemus, ac præterea terreſtria lapideaq́; corpora recenſuerimus, quæ ad uſum medicinæ transferri ſolent: reliquum eſt animalium quoq; partes conſiderare, tum in arida, tum in aquis degentium. ac quemadmodum in plantis de ſuccis etiam illarum tractauimus, ita & nunc nõ de ſolidis tantum animalis partibus doctrinam trademus, ſed de ijs quoq; quæ in ipſis continentur: ſanguine, ſeq́;, bili, urina, fimo, & ſimilibus, prætermittẽtes abominanda & præſtigioſa quædam, interdictaq́; legibus. De quibus præter multos alios etiam Zenocrates ſcripſit, humanum ſtercus comedendum, urinam menſesq́; mulie bres, & conſimilia bibenda, non etiam docere ueritus uenenoſa medicamenta, & quæ certas morborum ſpecies inducant. digni profecto ut humano commertio explodantur, non ſolum qui iſta fecerint, ſed multo magis qui ſcripſerint: ſicut multo turpius eſt plurima ſcelera quàm unum tantum perpetrauiſſe. cum actore enim flagitioſæ ſolertiæ experimenta commoriuntur: ſcribentis uero immortale nocumentum eſt, improbis malitię fomitem perpetuo ſubminiſtrans. iam igitur de ijs dicamus quæ ad uſum humanum experiendo comperta ſunt: primoq́; de humoribus animalium tractemus.

De ſanguine. Cap. LXXXIII

QVi os capitis fractum perforant, columbæ ſanguinẽ in duriorem membranam fundere conſueuerunt: nec minus ſi columba non adſit, palumbi aut turturis ſanguine uti licebit. eundem & ad hypoſphagmata oculorum nonnulli calidũ inſtillant, aut iugulato animali, aut alis diſectis. ego uero ſexcenties iam uidi oſſa capitis perforata roſacei inſtillatione ſemper iuuari, abſ-

que columbarum ſanguine,immo & ad hypoſphagmata quãplurima medicorum collyria fiunt, & præſertim d. aſmyrnium Democratis dialibanum,& diacrocum,ad quem uſum ſuccus quoque fœnugræci, columbæ ſanguine longe præſtantior eſt. quidam ſanguinem capræ cum melle hydropicis dederũt,eum demque aſſatum ad aluī fluxiones & dyſenterias tranſtulerunt. ſunt qui ſanguinem hirci areſactum alijs ad id conferentibus commiſcendo calculoſis propinent. poſſumus his medicamentis tutum experimentum præſtantibus non nunquam in agro cæteris indigentes uti, ſicut & hædino ſanguine,de quo ita Zenocrates ſcripſit: hædi ſanguis, ſanguinem expuentibus perquam utilis eſt,quem concretum eſſe non oportet. huius ſemiſſem heminæ cum acris aceti tantundem decoquito.mox tripartitum ſingulis diebus dato partem unam. ſanguinem noctuarũ,ranarum ac crotonũ, pilos delere, falſum experientia deprehendi: neq; experturus eram cum alia plurima haberem cum utiliora, tum magis parata, ſed ſtudebam præſtigiatorum opiniones euertere.

Ex Ruffo & Galeno de lacte. Cap. LXXXIIII

LAc nobis & cibi & medicinæ pariter uſum præſtat. ſalubre ac ſincerũ purumq; eſt, nullius omnino amaritudinis uel aciditatis uel ſalſedinis uel acrimoniæ,uel fœtoris particeps,ſed ut ita dixerim,bene olens,uel ſaltem odore carens: quod ſi ei quidpiam iucundi odoris inerit,conſtat & idem nonnihil dulcedinis habiturum: primò ergo differentias eius inquirere oportet.

De lactis differentijs. Cap. LXXXV

QVanto bos, equus,reliquaq; animalia inter ſe differunt,tanto & ſingulorum lac uariatur. bubulum quidem pinguiſſimũ craſſiſſimumq;,nutriendo & moderate penetrando idoneum. camelinum liquidiſſimum tenuiſſimum ac minime pingue,licetq; plurimo ſero abundet,tardius tamen ſecedere longa experientia compertum eſt. equinum uero ocyus deſcendit,ſimiliq; modo aſininum quod & pauciſſimæ pinguedinis particeps eſt, propterea raro in alicuius uentriculo tranſit in caſeum. caprinum,ſubſtantia temperatum, purgando quidem bubulo imbecillius,ad reliqua uero ſatis idoneum, & nutriendo non parum efficax. craſſius iſto ouinum eſt,ſed eius frequens uſus cuti uitiligines albas inducit. ſuillum pinguiſſimum omnium ut ad concretionem coagulo non indigeat,ac perquam modicum ſeri excernat,decoctumq; ocyſſime coaguletur. Ideo neque facile ſecedit,neque uentriculo congruit;ſed nauſeam guſtantibus excitat.

De lactis differentia ab habitu animalium ſumpta. Cap. LXXXVI

ILlud ſanè conſtat à ſaniori animali ſalubrius ſemper exugi lac. pecorũ morbi deprehenduntur cutis gracilitate,glabritie, panis,impetiginibus, ſcabie, innutritione. nigriora uero pecora robuſtiora fere ſunt,quod etiam carniũ ſuarũ ſapiditate dignoſcit: ſed cãdidiora,eadẽ quoq; imbecilliora deprehẽdimus.

De differentijs ab anni temporibus. Cap. LXXXVII

VErnum lac liquidiſſimum tenuiſſimumq; eſt, tanquam à partu recens. paulatim deinde craſſeſcit, donec æſtate media ſiccius craſſiusq; reddatur. probatur maxime æſtiuum,ueluti concoctu facile & odoratum.

De differentia à paſcuis. Cap. LXXXVIII

PAſcuorum uarietate lac plurimũ uariari deprehenditur. diuerſa enim animalia diuerſas herbas depaſcunt: uirens igitur herba ac prope aquas naſcens, liquidius pauciusq; lac ſuggerit. ſolidior uero ac montana ad lactis probitatem copiamq; parãdam cõmodiſſima eſt. pabula adſtringentia lac gignũt

quod

quod adſtringit, ſicut acria & præcipue cathartica, ut ſcāmonia elleborus uel tithymali, quod aluum euertit, à cythiſo uero dulce ac pingue producitur.

Ab ætatum differentijs. Cap. LXXXIX

Vigentium animaliū lac optimum, iuniorū liquidius, ſeniorū aridius eſt.

Quibus competat lac. Cap. XC

PLurimi ſucci, plurimiq́ alimenti omnium prope quæ cibo aſſumuntur, lac eſſe iudicatur, quod optimum ſit. Quoniam uero ex oppoſitis ſubſtantijs & facultatibus componitur, deijcientibus inquam & ſiſtentibus, obſtruentibus & attenuantibus, debent eius qualitates ab utentis natura non diſcrepare: qui enim lac aſſumpturus eſt, apertos uiſcerum meatus uenasq́ latas & amplas habere oportet, ut integram utilitatē percipiat. lactis quidem commoditates à priſcis quoq́ medicis recēſentur. moderata inquam alui deiectio boniq́ ſucci generatio, cumq́ per uenas digeſtum ſit, bonam quidem carnem longe meliorem reddit. mordaces autem humores expurgat, quoſcunque inuenerit: qua de cauſa urinæ difficultate & acri uentris fluore laborantibus nō tantum bibitum, ſed inferius quoque per clyſterem iniectum cōfert. Ad acres uero & erodentes defluxus utiliſſimum eſt: haud ſolum quod eos à membris affectis abluat, humiditate abſtergente quam in parte ſeroſa continet, ſed etiā quod membris illitum craſſitie & pinguedine ſua non ſinat nudis humores acres influentes occurrere. Ergo ad pulmonis, inteſtinorum, renum, ueſicæ, uteriq́ ulcera, ad exanthemata, dothienas, cæterasq́ cutis aſperitates, efficaciſſimum medicamentum eſt, ad cantharidas etiam & bupreſtem epotam: denique aduerſus quæcunq́ putrefaciunt & exulcerant. Nam contra hyoſcyamum peculiare præſidium eſt. illico enim prudētiores patientes reddit. ad faucium quoque ulcera à quacunq́ cauſa euenerint, ſed præcipue ab angina, aut ab ephemeri ſumptione gargariſſatum cōfert. potum his qui non aluntur, are factis, & qui poſt morbum non reparantur, ſummopere opitulatur. ad acres oculorum fluxiones & hypoſphagmata utiliter adhibetur. extra uero genas illitum hora ſomni cum ouo & roſaceo, inflammationes ipſarum mitigat. idem facit & in ſedis, pudendorumq́ ulceribus, prorſusq́ ad omnia quæ mitigatione indiguerint, ob inflāmationem aut eroſionem aut quampiam deprauationem efficaciſſime adhibetur: ideo & medicamentis quę anodina appellantur, admixtum cancris illinitur. Quale illúd eſt quod diapompholygos dicitur. omnino enim lac ſedandi uirtute pollet, præcipue ſi decoctione, aut alio artificio copia ſeroſi humoris exhauſta ſit.

De modo menſura ac tempore utendi. Cap. XCI

QVi lac ebiberit, ſumme cauere debet, ut interim à reliquis cibis abſtineat, donec illud exacte concoctum ſit atque aluo ſeceſſerit. nam ſi eo nondum confecto nouum alimentum ingeſſeris prę̨ter quod ipſum putreſcet etiam quicquid adieceris, ſimul ad putredinem trahet. mane ergo bibendum nuperrime mulctum, atque interim magno labori parcendum, ſenſim que deambulandum interiectis quietibus, quæ tamen citra ſomnum ſint. His enim conditionibus potum facile ſecedit, educens ſecum quæ ſuperuacua fuerint. Illud enim præ cæteris maxime obſeruari oportet, ut primum ſemper ſecedat: quod ubi ſeceſſerit, nouum bibendum eſt. In principio igitur ſecedit quidem commode, purgans non quæ in tota corporis mole ſunt, ſed quæ in uentriculo, inteſtinis proximisq́ membris cōtinentur. poſtea uero iam per uenas diſtribuitur atque optime nutrit, neque amplius deijcit

aluum

aluum,ſed potius ſiſtit.Menſuram autem ſumendi omnibus cōmunem præfigi,unum eorum eſt quæ fieri nequeunt: ſicut & reliquis alimentis non alius modus imponitur,niſi quatenus facile tolerentur. idem contra erodentes humores,& præſertim qui impacti ſint,ſimul cum modico melle utiliter exhibetur.Ita enim felicius ſumit̃,magisq; & abſtergit & aluum deijcit.poteſt & ſapæ,aut paſſi quippiam admiſceri,ut ſtomacho magis conferat.addito ſale magis aluum citat,ſed iniocundius eſt.

Quibus lac obſit.ex Galeno. Cap. XCII

QVod quidem plurimo ſero abundauerit,tutiſſimū eſt,licet temere quis utatur.cui uero modicum ſeroſæ humiditatis inſit,& caſei plurimū,frequens eius uſus nō omnibus tutus eſt,renibus enim officit ad calculum generādum paratis, obſtructionesq; & morbos hepatis illis affert,quos aptos inuenerit.tales ſunt qui uaſorum ab ſimis ad gibba hepatis alimentum diſtribuentium fines anguſtos habent.ſed neq; capiti cōmodum eſt,niſi cui ualde robuſtum fuerit:ſicut neq; hypochondrijs quæ facile intumeſcūt: plurimis uero inflatur,ut perpauci ſunt qui hoc uitiū euadāt. eiuſdem uſus aſſiduus dentes lædit,adiacētesq; carnes,quas gingiuas appellant, flaccidas marcentesq; reddit, ac dentes ipſos putredini eroſioniq; exponit,ineſtq; id craſſiori maxime lacti. Nam aſininum lac ob tenuitatē,nedum dentibus nocet, ſed etiam abſtergendo prodeſt. abluendi igitur ſunt eo lacte & uino mulſo cum aqua temperato. unumquodq; enim iſtorum ab dentibus gingiuisq; exterit quod ſordidum inhæſerit:& ſi in robuſtum caput incideris,pręſtat uino mulſo meraco abluere.

De lactis decoctione. Cap. XCIII

QVod ſi quis lac decoxerit,abſumpto ſero nullatenus aluum ducit:exhibetur quibus uenter ab acribus excrementis eroditur, & his qui dyſenteria,aut bilioſa fluxione à ieiuno inteſtino erumpente infeſtant̃.Modus conficiendi duplex. aut enim lac decoquitur quouſq; pars ſeroſa exhalauerit, aut feruidi lapilli inijciuntur,ſed quod per lapillos paratur craſſius eſt, ideo inutilius.ſunt qui crematorum lapillorum cinerem in lac conijciant,quod ad putreſcentia ulcera efficacius medicamentum eſt:his ergo omnino offerendū quod per lapillos conficitur, reliquis quod decoquitur . rectius decoquetur aſſiduo agitatu,ne ſecernatur , ac ſi quid ori lebetis inſederit, ſpongia pura extergendum eſt:ſæpe enim reliquo decocto commiſcetur,ac totum corrumpit.ita uero per lapillos conficitur.lac prius excoquito, donec plurimum humoris exhalet.inde tot duriſſimos lapillos incenſos in lac conijcito,quot ſerum prorſus abſumant.nec ſegnius lapillis immo & potētius laminæ ferreæ ignitæ in lac conjectæ idem efficiunt . ineſt enim ferro uis adſtringendi , ideo quàmplures ferreas rotulas mucrone uirgulæ infixas præparamus,ut commode ueluti capulo ferrum candens tollatur , haud ſecus quàm in cauterijs facere cōſueuimus. lac tamen ita confectum in ſtomacho ad caſei formam facile permutatur, propterea tutius quippiam aquæ admiſcetur, quod plures medici factitant , totū prius ſerum abſumendo,mox ſinceram aquam infundēdo:neq; enim ſeri humiditatem ſed acrimoniam uitant,qua ſtimulatur aluus.

lapillorum ferrū cādentes ī lacte [illegible]

De lactis ſero,ex Galeno. Cap. XCIIII

SErū,ueluti diximus,ob ſuas abſtergēdi uires ad alui deiectiones,tum potū tum per clyſterem iniectum aſſumitur . abſq; eroſione enim abluit,extergitq;

gitq; ab inteſtinis acrimonias, ut optime quiſpiam ſero uice aquæ ulcera acri ſanie manantia lauare poſſit. immo & medicinæ quarum uis eſt diſcutiendi enchymomata & melaſmata, ſero rectius quàm aqua è cute abluuntur: eodem ad liuores oculorum & hoſpoſphagmata idoneis medicamẽtis commixto utimur, quod ita præparatur. lac excepto ſuillo aut ouino, utrũq; enim ſero reddendo ineptum, uegetiori igne decoquito aſſidue æqualiterq; uerſando: quo efferbeſcente, tantiſper ceſſato, & ſi adhuc magis efferbuerit, in profundum uas ad hos uſus paratum frigidæ plenum, repente ollam imponito. illico enim conſidebit. quieſcente feruore, rurſus decoquito: cumq; ſatis bullierit, bis aut ter oxymelite aut poſca conſpergito, nanq; ita ſtatim ab caſeo ſerum ſecernitur. ſecretum cribro ſetaceo excolabis, atq; ubi craſſa ac pituitoſa excremẽta redundare opinaberis, oxymeliti admiſcebis: ubi uero acria & biliosa, tum poſcam potius adijcies. ſeri uſus ad imbecillos eſt, & inedia grauiter affectos, primoq; ſerum cum ſale exhiberi oportet: ubi uero purgatio inceperit, tunc ſal remoueri, idemq; per interualla alternatim repeti, donec ſatis materiæ purgatum ſit: copia pro uirium ratione expendẽda eſt. Ac licet non multum peccaueris ſi plus etiam exhibueris, certa tamen menſura ad heminas quinque accedit. talis igitur ſit præparationis modus, tametſi Cares ſecus conficiant. trito enim cnici ſemine lac coagulantes, poſtea excolantes, adiecto ſale aut marina aqua rurſus decoquunt, atq; ita propinant. Quod quidem ſicuti efficacius, ita longe inſuauius eſt, omninoq; prolixæ decoctiones medicamentoſius ſerum efficiunt. ſi uero quiſpiam uehementiori euacuatione indiguerit, thymi triti admiſceto drachmas tres aut quatuor, quam ſi adhuc augeri uelis, pro thymo epithymi tantundem adijcies: medicamenta tamen uitari oportet, niſi magna neceſſitas urgeat. ſerum ſimpliciſſimum mollioribus corporibus præcipue conuenit, quorum uentres tantum & inteſtina abluere purgareq; cogitamus. Item his quorum inteſtinum à quacunq; medicina facillime ulceratur, & quorum uentres bilioſa intemperies uexat, & quos angunt inania egerendi deſideria, quæ tineſmi uocantur, & quorum renes, ueſica, & uterus ulceris periculum ſubeunt, & gracilibus qui non aluntur, ac purgatione nihilominus indigent, his omnibus ſerum exhibendum, nec ſale, nec quopiam medicamento adiecto. pueris, mulieribus, ſenibus, tutiſſime datur hæc medicina uel ſub ipſo canis feruore, quo præcipue tempore reliqua omnia medicamenta ſuſpecta ſunt. efficaciori ſero utetur aliquis ad corpora & morbos quæ ualidioribus præſidijs indiguerint, præſertim ad diuturna exanthemata, liuenteſq; uaros, ad omneſq; humorum deprauationes in cutim tendentes, ut lepram & conſimilia, ad antiqua ferinaq; ulcera, ad capitis achores & huiuſmodi. item ad oculos aſſidue fluentes, ad palpebrarũ ſcabiẽ, ad faciei maculas, immo & ad diuturnas febrium periodos, & ad hos qui ab aduerſa ualetudine in hydropem pergunt. ac de ſero quidem iſta ſufficiant.

De his quæ uoluptatis gratia in lacte coquuntur, ex Galeno. Cap. XCV

LAc cum aliquo craſſioris ſucci edulio quàm maxime decoctum abijcit quicquid ei flatuoſum inerat, ac magis nutrit, aluiq; fluxionibus & tenuibus à capite ad pectus diſtillationibus congruit. Aduertendum tamen ne quodpiam uiſcerum latenter offendat. diuerſa enim multorum natura eſt, neque uero ſatis tuta huiuſmodi alimenta ſunt, nam hepar facillime obſtruunt, & renum calculos gignunt. quæ in lacte decoqui ſolent, amylum eſt, ſimila, chondrus, tragus, oriza, olera, panes quidam, neque probe cocti, neque rite parati, fermenti ac ſalis expertes.

De acido

De acido lacte ex Galeno. Cap. XCVI

ACidum lac quod oxygala uocatur, dentes quidem ſecundum naturam ſe habentes nō lædit. qui uero plus æquo frigidiores imbecillioresq́ ſunt, ab hoc ſicut à reliquis refrigerantibus affici ſolent, ut nonnunquam obſtupeſcant. frigidus uentriculus acidum lac non probe concoquit: temperatus difficulter quidem, ſed tamen conficit. at calidior præter quod non prorſus læditur, etiam hoc alimenti genere non parum iuuatur, ut acidum lac uel ſub niue refrigeratum impune ferat, niſi thoracis aut capitis alteriuſue membri frigiditas obſtet: neq; enim acrem calidamq́ ſeri qualitatem aceſcens lac habet: neq; calidam ac pinguem butyri, ſed ſola caſei natura relinquitur. quæ frigida craſſiq́ ſucci eſt, ad crudos humores in frigidioribus uentriculis, & ad calculos generandos idonea.

De protogalacte ex Galeno. Cap. XCVII

PRotogala appellatur lac, quod illico à partu mulgetur: id calido cinere paulatim ferueſactum abſq; coagulo ſtatim concreſcit, priſciq́ hoc pyriate aut pyriephthon uocauere, quod & ipſum cum melle comeditur, nam ſine melle concoctu difficilius, craſsius, tardiorisq́ tranſitus eſt.

De lacte concreto. Cap. XCVIII

OFferunt nōnulli lac, coagulo concretum, ſero remoto & melle adiecto. ſunt tamen qui id quoq; cum plurimo ſero deuorent, quod magis aut minus aluum deijcit pro ſeri epoti quantitate.

De caſeo ex Galeno. Cap. XCIX

CAſeum quem probem nullum habeo, præter qui oxygalactinus dicitur, quoniam ex acido lacte fiat. omnes enim concoctu difficiles ſunt ructus acidos excitantes, uentriculūq́ flatu replentes. pro cōditurę uero ratione ab coagulo acrimoniam comparāt, humoremq; penitus, præſertim ueteraſcentes amittunt: quando etiam ſeipſis acriores, calidiores, ardentiores, ſiticuloſiores, concoctu difficiliores, peiorisq́ ſucci fiunt: ut ne id quidem ad noxam tollendam ſufficiat, quod alioqui conferre ſolet, miſcere inquam cum craſſioris ſucci cibarijs quod attenuare poſſit. in caſeo enim antiquo longe maius à ſucci prauitate, & ab incendente humiditate nocumentum acquiritur, quàm quod attenuandi uis corrigere ualeat. fugiendus igitur huiuſcemodi caſeus, nullius omnino particeps boni. recentiorē uero omnibus præferendū cenſeo, quem oxygalactinum uocari diximus. cibo enim iucundus, & ſtomacho præ reliquis cunctis innoxius, neq; ita difficulter cōcoquitur, difficulter ue diſtribuitur, neq; adeo craſſo ſucco conſtat, quæ omnium caſeorum communis infamia eſt. ē cæteris recens, ſemper antiquo pręſtat, mollis duro, rarus laxusq́ ualde denſo & compacto, quiq́ dulciſſimus eſt, ei qui plurima ſalſedine offendit: ſicut moderate ſalſus, ei qui aut nimium aut nihil ſalis habuerit, guſtu iucundus, ingrato, afflatus crudo præfertur. caſeus uero elixatus longe ſolidior eſt, omnes tamen reprobandi.

Medicamentum Galeni ex caſeo antiquo ad calloſos nodos podagrarum. Cap. C

CVm arthreticus quidam, calloſos nodos articulis habens ad me in curru delatus eſſet, occurrit animo crus ſuis ſale maceratum ac peruetuſtū decoquere, & eius decocto uetuſtiſſimum caſeum madeſacere, quem deinde in mortario exquiſite ſubactū calloſis nodis applicarem. re ita peracta cum ſine inciſione effracta eſſet quotidie nodorum partes replebantur, quam utilitatem uir ille expertus, reliquum caſei flagitans ſecum detulit, non alio in poſterum medicamento uſus. cumq́ exacte profeciſſet, amicos hoc ipſo morbo laborantes ad idem peragendum hortatus eſt.

De ui recentis caſei extra applicati, ex Galeno — Cap. CI

CAſeus recentiſſimus humeſcensq; adhuc creditur maximo his eſſe adiumento, qui ſpumam argenti biberint, ſi aſſidue pro cibo offerat̃. poteſt & illitus ſanguinolenta ſimpliciaq; uulnera glutinare, additis uitis, aut lactucæ, aut betæ folijs. caſeus uero oxygalactinus ampla etiam uulnera glutinat, cum diſcutiendi facultate polleat.

De butyro ex Galeno. — Cap. CII

BVtyrum ex lactis præſertim bubuli pinguiſſima parte fit, maturandi uiribus, cũ aliqua ſimul diſcutiendi facultate, quę tantũ facere poteſt adhibitũ medijs inter duritiem mollitiemq; corporibus: horũ enim inflammationes maturat, ac facile diſcutit, ut parotidas & inguina, in pueris & mulieribus, ſæpe hoc ſolo præſidio ſanauerimus. nam duriorum corporũ tumores præter naturam butyrum nunquam diſcutiet. ſcreatibus uero thoracis ac pulmonis, & laterum morbis cum melle mirifice confert: ac ſi ſolum quidem lambatur efficacius maturat, ſin cum melle & amaris amygdalis minus quidem maturat, ſed magis ſcreatus euocat.

De coagulo ex Galeno — Cap. CIII

COagulum omne acre eſt attenuandi diſcutiendi & proinde exiccandi uiribus, leporinum uero cæteris præſtat. poteſt quodcunq; coagulum cum idoneis medicamentis bibitum, concretum in uentriculo ſanguinem ſoluere. cætera quæ ab alijs de coagulo ſcribuntur, dictu ſuperuacua iudicaui.

De bile — Cap. CIIII

HVmorem qui in felleo uaſe colligitur, bilem nunc appello, nõ quidem atram nanq; hęc potius flaua appellatur, eſtq; humor omnium qui in animali ſunt feruidiſſimus, cuius differentię pro cuiuſq; natura & uictu plurimæ inueniuntur. bilis enim colore pallida moderate calefacit, ſubcandida uero quantũ à colore, tantum à calore relinquit̃: at flaua eo pallida calidior, quo & craſſior, & flauior. nam ſi ulterius ferueſcat pallida in flauam mutatur. Quod ſi adhuc incendi nõ deſiſtat, in atrum colorem uergit, interdum æruginoſum, interdum cœruleum, quandoq; & qui iſatidi herbæ aſſimiletur. bilis igitur colorem perpendito ubi medicamentũ parabis in quo quippiam fellis cõtinetur. neq; uero corporis cui applicandum fel ſit naturam contemnes, ſentiendo ac patiendo facile ne ſit, an difficile. porcorũ fel omnium humidiſſimum eſt, & proinde imbecillum, præterquam agreſtium. ciciurum porcorũ felle ad aurium ulcera tanq; medicina minime inepta utuntur, quo tu etiam uteris ſi cõpoſita medicamenta defecerint. ouinũ ſuillo aliquanto acrius eſt, ouino caprinum cui bubulum urſinumq; aſſimilantur. efficaciſſimũ taurinũ, quod tamen ab hyænæ felle ſuperatur, ſed huic quoq; præferuntur quæ à callionymo piſce, & ſcorpione marino, & teſtudine extrahuntur. Auium præterea uniuerſarum fel acrius aridiusq; eſt, quàm quadrupedum, atq; inter ipſas aues quod à gallinis & perdicibus ſumitur ad uſum medicinæ reliquis antecellit. at accipitrũ & aquilarum fel acrimonia excedit ut iam erodat. Has uarietates ſi animaduerteris ac ſubinde ſingulos cuiuſq; effectus nõ ignoraueris, qui nam maiori minoriue exiccatione indigeant, recte curabis.

De ſudore. — Cap. CV

DE ſudore nonnulli ſcripſerunt ſuperuacua, cum non deſint medicamenta ad ſingulos uſus magis parata. ſudor uero exercitatorum in palæſtris ſubſtrato pulueri admixtus, quem patum uocant, diſcutiendi uiribus præſtat, ideo inflammatis mammillis illitus efficaciſſimus eſt. Qui ſi aridior fuerit liguſtrino aut roſaceo mollitur. Idem inunctus lac in mammillis exuberans ualide per halitum digerit. ego quidem hoc medicamento uſus ad inguina breui tempore tumorem diſcuſſum percæpi.

De urinis. Cap. CVI

VRina humana omnium propè urinarum imbecilliſſima eſt, præterquam cicurum ſuum caſtratorum. Hæc igitur, ſi quid uſquam aliud abſtergendi uiribus pollet, quod quidem fullones indicant, proinde medici ad ſcabiem & lepras adhibent, ad ulceraq; plurimo humore ac ſordibus redundantia, præſertim ſi quid putridi habuerint. Item manantia capitis ulcera, quæ achores uocantur, & porrigines hac eadem fouentur, quæ quidem omnia nos facere abhorremus, cum alia nō deficiant: ulcera tamen digitorum, præcipue quæ extrinſeco offenſu illata ſunt, ſi modo abſq; inflammatione fuerint, ego quoq; in peregrinationibus ſæpe curaui, linteum urina madefaciens, & ulceri applicans exteriusq; faſciola circunnectens: iubebam deinceps ut quoties meiere uellent digitum defluenti lotio ſubijcerent, neq; prius ſoluerent quàm integram ſanitatē adepti eſſent. conceſſi etiam in agro cum medicus non adeſſet, ulcera lotio lauari, quæcunq; infra pectus uſq; ad imos pedes inuenirentur. urinam uero potandam ueluti quidam tradidere in eis ſpirandi difficultatibus quas orthopnœas uocant, minime neceſſarium puto, tanta exiſtente medicamentorū copia quæ id morbi genus curare poſſint, præſerum cum uiderim qui urinam potauerit, nec propterea tamen ſanatum.

De ſaliua Cap. CVII

SCire oportet ſaliuæ uires diſtingui, pro uarijs animalium naturis, pro ſingulorum ualetudinibus, pro cibo & potu, ac pro utriuſq; abſtinentia. quemadmodum enim urinæ, biles, & ſudores, ita & ſaliua imbecillior eorum eſt qui biberint aut comederint, efficaciſſima uero & acerrima eorum qui ingenti ſiti ac fame confecti fuerint, qua maxime nutrices utuntur ad infantiū impetigines, auriculari digito madefacto locum iugiter perfricantes. ſunt quoq; ruſticorum nōnulli qui triticū mandentes puſtulis durioribus apponant, quas dothienas uocant. ipſas enim ita diſcutiunt & confeſtim maturant. Porrò humana ſaliua totius ſubſtantiæ ratione uenenoſis reptilibus aduerſatur, equidem noui abſq; alia incantatione ſola ieiuni hominis ſaliua ſcorpionem interemptum.

De fimo. Cap. CVIII

FImus ſumma diſcutiendi ui pollet. humanus nimio fetore abominabilis eſt: bubulus, caprinus, & caninus, eorum ſaltem canū qui oſſa comederint, minime fetent. caninus uero præ cæteris plurima experimenta non nobis tantum, ſed medicis quoq; antiquioribus præſtitit. ego autem in humano & canino ſtercore admirandam uirtutem deprehendi.

De canino fimo Cap. CIX

DE canino uero tibi primum narrare eſt animus, quo aliquis è præceptoribus noſtris frequentiſſime utebatū. dabat hic biduo antea oſſa cani comedenda, tertio die excretum fimum colligens areſactum ſeruabat, quem uſus tempore tritum ad anginam quidem cōgruis medicinis admixtū exhibebat. Ad dyſenteriam autem dilutum cum lacte accenſis lapillis decocto clam propinabat. ad hos priuatim morbos canini ſtercoris tanquam admirandi medicamenti certam experientiam profitebatur: ſed & ulceribus ſumme maleficis eundē idoneis remedijs contemperatum utiliſſime applicabat, cum diſcuſſorijs etiam deſiccantibusq; medicinis ad diſcutiendum, & deſiccandum feliciſſime copulabat.

De humano fimo. Cap. CX

HVmani fimi hoc ego experimentū habeo. quidam aſſidua faucium inflammatione uexabatur, ut ſæpe ſuffocationis diſcrimen ſubiret, ac periculi euitandi gratia ad ſanguinis miſſionē confugeret. huic forte oblatus eſt qui polliceretur, expertam ſibi medicinam præſtiturum, ſi ante uenæ ſectionem in ipſo ſtatim

inflamma-

inflammationis principio uocaretur. uocatus illico quodam medicamento confeſtim ſanauit hominem, quod quidem erat ſtercus humanum arefactum cum melle attico inunctum. certam hic uiuendi rationem puero præfigebat, cuius fimum ſumpturus eſſet, quemadmodum ipſemet poſtea curator edocuit. lupinos enim cum pane optimo offerebat, uinumq; antiquum potui dabat, moderata quantitate unumquodq; ut puer exquiſite concoqueret, tertio die excretum fimum ſumebat, & arefacto utebatur, ſicuti de canino ſtercore paulo ante diximus.

De lupino ſtercore — Cap. CXI

LVporum ſtercus colicis quidam propinabat nõ tantum in acceſſionibus, ſed in ipſis quoq; interuallis, ubi tamẽ nõ adeſſet inflammatio: uidiq; ego quoſdam eo morbo non ultra correptos, & qui corriperentur haud uehementer amplius, neq; aſſidue corripi. eligebat & ille candidum luporum ſtercus quod poſt oſſa comeſta excerneretur, neq; uero ſumebat quod ſolo iaceret, plerunque enim id fimi genus frondibus herbiſq; odoratis adhærens reperitur. illud autem ſummopere admiratus ſum quod tantum exterius ſuſpenſum ſæpe proficeret. inueniuntur nonnunquam in eodem ſtercore fruſtula oſſium deuorati animalis quæ & manducationem & coctionem effugerunt, quæ pariter tundens ac cõterens colicis potanda exhibebat, ſalis aut piperis, aut cuiuſpiam talis nonnihil, iucunditatis gratia permiſcens, dabatq; è uino tenui, interdum etiam ex aqua. ſuſpendi uero ſtercus lumbis ægri iubebat, lana inuolutũ, decerpta ab oue quam lupus comediſſet, quæ ſi haberi non poſſet corio ceruino inuoluebat, lorum etiam quod lumbos necteret ex eadem materia fieri oportere affirmabat. nos uero in argenteum uaſculum ſtercus ad fabę quantitatem experiendi gratia recluſum ſuſpendimus, admiratiq; fuimus, cum adeo inſignem utilitatem conſpicaremur.

De caprino ſtercore — Cap. CXII

CAprini fimi creberrimus uſus eſt ob acrimoniam diſcutiendiq; facultatem, prodeſt induratis tumoribus nõ lienis tantũ ſed cæterarum quoq; partium. ego ſanè tumori genu diuturno quod diſſolui nõ poterat, linimentum applicaui, ex hoc ſtercore & farina hordeacea poſca ſolutis, ac mirifice homo leuatus eſt. hic uero qui curabat ruſticus erat. nam molliora corpora nimiam eius acrimoniã nõ tolerarẽt. crematũ id ſtercus ſubtilius redditur, propterea capitis areis cõuenit, & quęcunq; abſtergentibus indigent medicinis, ut lepræ, impetigini & ſimilibus. mixtum linimentis ad parotidas, & inguina per halitum digerit. eodem ad uiperarum morſum, ac multo magis reliquorum reptilium quidam ruſticanus medicus ex aceto utebatur, ac quamplures ſanabat, tresq; ex eo confectas pilulas è uino deuorandas ad regium morbum præbebat. Ad muliebrem uero fluxum cum thure offerebat.

De ſtercore bubulo — Cap. CXIII

ITa uero & bubulum ſtercus parum ab iſto differt iiſdem exiccandi uiribus non ſine attrahendi poteſtate. medicus quidam remediorum uſu probatus, hydropicos ſtercore bubulo illitos inſolabat, ac plurimis conferebat, eligebat id humidum uere potiſſimum quo boues herbam depaſcunt, atq; arefactũ ſeruabat, quo etiam ad ſtrumas utebatur & ad induratos omnes tumores illinens ex aceto

De ouino ſtercore — Cap. CXIIII

VTebatur & idẽ ouino ſtercore aceto madefaciens ad uerrucas, formicas, callos, clauos, & huiuſmodi. Atq; ulcera ignis ad cicatricem ducebat, cerato roſaceo admiſcens.

De fimo columbarum. — Cap. CXV

EGo uero altilium columbarũ fimo cũ ſemine cardamomi ranq; calorifica medicina frequentiſſime utor, ſuppletq; mihi ſinapiſmi uicẽ ad diuturnos mor-

bos, qui rubificationem requirunt. Quales ſunt coxendix, hemicrania, cephalæa, uertigines, antiqui dolores notharum coſtarum, humerorũ, ceruicis, ac lumborũ: imò & renum, pedumq; & articulorum, quos nondum calloſus nodus obſederit.

De gallinarum ſtercore Cap. CXVI

SEd & gallinarum fimum ipſe quoq; exhibui aduerſus inutilium fungorũ ſuffocationem, tritum admiſcens tribus aut quatuor cyathis poſcæ uel oxymelitis, ac confeſtim profeci, ſuffocati enim haud multo poſtea craſſiſſimam pituitam uomebant, deinde illico quieſcebant: medicus uero qui me id docuerat, etiam colicis è uino mulſo propinabat. nec deſunt qui angina laborantibus præbeant. eſt gallinarum ſtercus columbino imbecillius, eligi oportet à gallinis libere in agro degentibus, non quæ intra ſeptum recluſæ ſint.

De ſtercore anſerũ, accipitris, gruũ & terreſtriũ crocodilorũ Cap. CXVII

ANſeris, accipitris, gruum & ſimilium ſtercora de quibus multa nugaces quidam fabulantur, inutilia eſſe experimento compertum eſt: nam terreſtrium crocodilorum ſtercus etiam inuentu difficile eſt.

Ouium ſordes ex qua œſypus conficitur Cap. CXVIII

SOrdes lanis ouium implicata ex qua œſypum paramus maturandi uires habet, ſicut butyrum non ſine aliqua diſcutiendi facultate. ita uero œſypum conſici Dioſcorides tradit. ſordidas lanas ſub axillis ouium repertas denſas ac molles calida lauato, ſorditiẽ omnẽ exprimendo, quarũ loturam in uas ampli orificij coniectam feruenti aqua ſuperinfuſa agitato, aquam poculo excipiẽs aut alio inſtrumento, & ab ſublimi præcipitans, donec tota ſpumeſcat: tum marina aqua ſi affuerit, ſi nõ affuerit frigida inſpergito, ſinitoq; ut conſiſtat. ubi refrixerit, quod fluitabit, tudicula eximito, atq; in aliud uas cõijcito, inde modica aqua iniecta manibus uerſato, mox aqua illa effuſa nouam feruentem infundito, ac ſimiliter ſicut proxime dictum exagitato, atque deinceps aqua marina aut frigida inſpergito, ſinitoq; ut cõſiſtat: rurſusq; poſt refrigerationẽ tudicula eximito quod fluitabit, ac itidem manu uerſato, denuoq; calidam infundito, idemq; omnino repetito, quod nuper docuimus, donec candidus pinguisq; œſypus reddatur, nihil non ſyncerum continens, tum in fictili conditum per aliquot dies inſolato, & ſeruato: ſuntq; hæc omnia ſub calido ſole facienda, ita enim efficacior candidiorq; nec durus aſper ue redditur, ueluti qui cerato aut fermento adulteratur. facit ad ſedis uteriq; uitia, cũ meliloto, & butyro, ad aliaq; plurima. œſypus uero crematus utiliſſimam fuliginem reddit, ad angulos oculorum eroſos ſcabioſosq; & ad palpebrarum callos, earundemq; depilationem. crematur interdum in noua teſta, donec exuſtus pinguedinem omnem amiſerit. ponatur teſta ſuper carbonibus: deinde quod uſtum eſt colligatur, teraturq; & ad uſum ſeruetur.

De carnibus Cap. CXIX

NOn omes animaliũ carnes hominem alunt, imò quædam etiam perniciem afferunt, quædam præter alimentum uicem quoque medicamenti gerunt. neque uero earum quæ alunt eadem omnium facultas eſt. inter omnia enim edulia ſuilla caro maxime nutrit bonum ſuccum præſtans, concoctioniq; aptiſſimum, multorum quidem ratione ſed pręcipue humanæ carnis ſimilitudine. bubulæ carnes nutrimentum quidem & ipſæ nõ paruum exhibent, neq; facile reſolubile, ſanguinem tamẽ nimis craſſum producunt, & ſi quis ſuapte natura ad atram bilem declinet frequenti huius alimenti eſu facile in melancholicum morbum labetur, quales ſunt cancer, elephas, impetigines, ſcabies, quartanæ febres, & quæ proprie melancholia nuncupatur. quibuſdam & lien tali ſucco intumeſcit, quẽ ſępe deprauati corporis habitus, & hydropes conſequuntur. ſue enim calidior ſicciorq;

ciorq; bos eſt. uitulorum uero carnes quàm uigentium boum præſtantiores concoctu ſunt, tanquam temperamento humidiores, nec ſecus hædi capris præferendi. ac capra quidem boue minus arida eſt, ſed homini ac ſui comparata, longo interuallo diſtat. humidiſſima pituitoſaq; caro agnorũ eſt, ouium excrementoſa maliq; ſucci, ſed præter ſucci uitium etiam acrimonia ineſt caprarum carni. hircinatum ad probi ſucci generationem, tum ad concoctionem aduerſiſſima eſt. ſequitur hanc arietina, deinceps taurina. Illud in omnibus obſeruandũ, caſtratorũ carnem ſemper præferendam eſſe, uetuſtorũ ſemper reprobandam, & concoctioni, & bono ſucco generando, & nutritioni, ut ſues quoq; quamuis temperamẽto humidiores ſint, cum inueterauerint, fibroſam, duram, aridam, concoctuq; difficilem carnem poſſideant. leporina ſanguinem quidem craſſiorem generat, ad probitatẽ tamen ſucci præſtantior eſt, quàm bubula aut ouina, nec minus uitioſum ſuccum ceruina reddit, dura ac concoctu difficilis. agreſtes uero aſini (nam & hos nõnulli comedunt, ſicut Alexandriæ etiam domeſtici comeduntur) peſſimi ſucci concoctuq; difficillimi ſunt, ac ſtomacho infeſti, præter ꝙ guſtu ingratiſſimi, ſicut equi & cameli, quoniam & hos comedunt animo & corpore camelini aſininiq; homines: imò & urſorum carnibus ſunt qui ueſcantur, ac peioribus quoq; ueluti pardorum, & leonum: nam quid dixerim de canibus, quàm libenter catulos pinguiuſculos plurimi comedant: ſunt cuncta huiuſmodi animalia temperamento aridiſſima & corpori acre alimentum præſtantia, habentq; ſingula à condituris quo magis uel minus concoquantur & nutriant. quæcunq; enim aſſantur aut friguntur aridius alimentum corpori præbent: quæ uero elixantur, aut iuſculis decoquuntur, inter hæc ambigunt, quamuis & iſta non parum inter ſe differant, pro iuſculorum ratione. propterea qui corpus deſiccare cogitat aridiorum animalium carnes cibo præbendas eligit, qui calefacere calidiorum, qui frigeſacere aut humectare, congruas intentioni carnes exquirit.

De terreſtrium animalium extremis partibus Cap. CXX

HÆc tibi ſat erunt de terreſtrium animalium carnibus percæpiſſe, percipe deinceps de ſingulis eorundem partibus quæ dicantur. extrema membra appellare homines conſueuerunt pedes, roſtra, auriculas: minimum ſingula hæc habent pinguedinis, minimum carneæ ſubſtantiæ, redundatq; in illis neruoſa coriaceaq; natura, & cum aſſiduę motioni ſubiecta ſint etiam uiſcidiora redduntur. iure igitur parcius nutrimentum corpori præbent atq; ob lentorem ocyus aluo deſcendunt. ſuilli pedes roſtris præcellunt, ſicut roſtrum auribus. laxior exanguiorq; peculiaris linguæ caro ideo flaccidior eſt, & concoctu facilior, ſi à connexis partibus ſecreta offeratur.

De glandulis quas uocant adenas Cap. CXXI

OMnibus glandulis illud commune eſt ſuauitatem in edendo ac teneritatem præſtare: nam quæ in lactentibus mamillis ſunt, habent & a lacte comparatam dulcedinem, inter quas ſumptæ à fœtis ſuibus reliquis omnibus præſtant. harum alimentum ſi bene concoquatur ad carnium naturam proxime accedit: at ſi exacte confici nequeat, aut crudum, aut pituitoſum humorem gignit, ab humidis glandulis pituitoſum, ab durioribus crudum.

De teſtibus Cap. CXXII

INter glanduloſas carnes teſtes quoq; connumerantur. ſuilli, arietini, hirciniq; concoctu difficiles, uitioſiq; ſucci ſunt, uiroſi odoris ratione: quanto tamen ſuilla caro reliquis prę́ſtat, tanto & teſtes minus reprobandi, ac ſi bene concoquantur multum afferunt alimenti. ſoli gallorum teſticuli optimi prorſus ac ſuauiſſimi utile alimentum corpori præbent, ac maxime altilium.

De renibus Cap. CXXIII

Renes concoctu difficiles prauiq́ ſucci apertiſſime ſunt, atq́ inter cætera guſtui qualitatem urinæ offerentes.

De cerebro Cap. CXXIIII

Pituitoſior cibus cerebrũ eſt, craſſi ſucci, tardi tranſitus, ac concoctu difficilis, ſed præcipue ſtomacho infeſtus, cuius mollitie nonnulli decæpti imbecillibus obtulerunt, ignari pręter reliqua etiam nauſeam excitare. ſi ergo aliquem uomere decreueris, cerebrũ poſtremum ciborũ dato pinguiſſimo iure conditum, cauendo ne faſtiditis detur, præſtatq́ condimento addi quæ incidant & caleſaciant.

De uiſceribus Cap. CXXV

Iecur omnium animalium craſſi ſucci tardi tranſitus concoctuq́ difficile eſt, neque uero iucunditatis tantum gratia ſed aliorum quoq́ ratione porcorũ iecur reliquis præferri decet, eorũ præcipue quos ficubus aridis ſaginaueris, quod propterea ficatũ appellant. lien praui ſucci eſſe credit̃ ac melancholici ſanguinis propagator: utriſq́ eo facilior concoctu pulmo quo laxior eſt, alit tamẽ multo minus iocinore. Atq́ id quidem alimentum pituita redũdat, ob aſperæ cannæ carthilaginoſam ſubſtantiam: cor item concoctu difficile tardiq́ tranſitus eſt, ſi tamẽ concoquatur haud exiguum, neq́ prauum alimentum corpori præbet.

De uentriculo inteſtinis & utero Cap. CXXVI

Singula iſtorũ carnibus duriora ſunt, ideo & ſi probe concoquuntur, nõ tamen exquiſitũ inculpatumúe ſanguinẽ gignunt, ſed frigidiorem, ac crudiorem.

De carne agreſtium animalium Cap. CXXVII

Horum quoq́ durior caro eſt ac pauciſſimæ pinguedinis particeps, ideo minus excrementoſa eſt, quàm domeſticorum.

De alimento ab auibus ſumpto Cap. CXXVIII

Volucrum omne genus ſi quadrupedibus ac præſertim ſuibus comparetur paucioris nutrimenti eſt, eorum tamen caro facilius concoquitur præcipue perdicis, attagenis, columbæ, pulli gallinacci, gallinæq́. at turdorum, merularum, paſſerculorumq́, & auium quæ in turribus degunt durior eſt, multoq́ magis turturis, palumbi & anatis. ſed phaſianus concoquendo & nutriendo ſimilis eſt gallinaceis, edendo tamen iucundior, pauo autem durior, fibroſior concoctuq́ difficilior. hic uero quod etiam ad quadrupedes ſpectat, animaduertere oportet, nouellarum auium carnem quàm ueteraſcentiũ multo præſtantiorem eſſe, uigentiũ inter utraſq́ mediam, reprobandam planè uetularũ ac recenter natarum. caro enim eorũ animalium quæ nuperrime nata ſint, uiſcida, humecta, excrementoſaq́ eſt, facileq́ ſecedit aluo: decrepitorum autem dura, prærarida ac neruoſa, ideo concoctioni reſiſtens. iſta mihi de cunctis animalibus memoriæ commendato. neq́ uero exigua differentia eſt, in lacubus aut paludibus, aut ſtagnantibus aquis degentium cum his quæ apricas arenteſq́ regiones incolunt: pro locorum enim ratione carnes animalium diſtinguntur, num ſolidæ, ſine excrementis, concoctuq́ faciles ſint, an laxæ, excrementoſæ, ac concoctioni renitentes.

De anſeribus & ſtruthocamelis Cap. CXXIX

Horum excrementoſa caro eſt & prædictis auibus concoctu difficilior, alæ tamen nihil peius prædictis habent.

De gruibus Cap. CXXX

Gruum caro tota dura fibroſaq́ eſt, ſed carne multo magis duriores alæ.

De membrorum differentia in auibus Cap. CXXXI

Viſcera auium eandem proportionem ad carnes habent, quam in quadrupedibus diximus. inteſtina omniũ ferè edendo inepta, at uentriculi idonei alimentoſiq́

mentoſiq; ſunt, quidam etiam guſtu ſuaues, ſicuti anſerum, deinceps gallinarum. nonnulli ſtruthocameli uentriculum probant, tanquam medicamentũ concoctionem iuuans, mergorũ alij multo magis admirantur, ſed neq; ipſi facile cõcoquuntur, neq; aliorum ciborum coctioni conferunt. alæ pinguium iuniorumq; uolucrũ optimæ ſunt, graciliũ inueteratorumq; peſſimę, teſtes probatiſſimi præcipue gallinaceorum altilium, atq; eorũ maxime qui ſero lactis aliti fuerint: bono ſucco tales plurimoq; alimento abundant, cõcoctu facillimi, ſeceſſumq; neque proritant, neq; compeſcunt. cerebella longe meliora uolucrum quàm quadrupedum, ueluti aridiora, præſertim montanarum auium.

De ouis Cap. CXXXII

OVa gallinarum & phaſianorum probiora, anſerum & ſtruthocamelorum peiora ſunt, optima nutriendo corpori quæ tremula nuncupantur, ſorbilia minus quidem nutriunt, ſed facilius ſecedũt. hæc faucium aſperitates ob abſonos clamores, aut humoris acrimoniam leniunt, affectis locis illita, & ueluti cataplaſma inhærentia, imò ſubſtantia ſua minime mordaci penitus ſanant. eadem ratione ſtomachi, uentris, ac ueſicæ, ſcabritiem remouent. ouum autẽ aceto decoctum, fluxiones alui compeſcit: & ſi quidpiam addideris quod ad dyſenteriam, & cœliacum affectum fecerit, & ſuper prunis aſſaueris atq; ita ægro comedendum obtuleris, non parum proficies. quæ congrue adduntur ſunt ſicut ſuccus uuæ acerbæ, rhu obſoniorum tritum, cochlearum aduſtarum cinis, uuæ acini, myrthi baccæ, & huiuſmodi. oua elixata cõcoctu difficilia, tardiq; tranſitus ſunt, craſſumq; alimentum corpori præbent, longeq; peiora ſunt, quæ ſub feruenti cinere aſſantur, fricta omnino peſſime alunt: namq; inter concoquendum putreſcunt, nidoroſaq; fiunt, & craſſum, deprauatũ, excrementoſumq; ſuccum gignunt. elixatis aſſatisq; præſtantiora ſunt, quæ ſuffocata appellantur, oleo, & garo, & modico uino aſperſa, atque in olla ad moderatam conſiſtentiam decocta. quæ enim craſſiora euadunt, aſſatis elixatisq; aſſimilantur, neq; aliter cũ oua in aqua elixantur, ab igne tollenda ſunt, dum adhuc humeſcunt, neq; conſiſtunt.

De ouis medicamentorum ratione ſumptis Cap. CXXXIII

AD dyſentericos cœliacosq; affectus modo quem ſupra diximus ouum exhibitum efficaciſſime confert. albumen recentiũ ouorum nullius penitus mordacitatis particeps, non oculis tantum, ſed cæteris quoq; partibus quæ mordicationem non tolerant, utiliter applicatur. ad ſedis pudendorumq; ulcera, & maleficia omnia, mixtum cũ his quæ ſine eroſione exiccant, qualis eſt pompholyx lota, & ſimilia, mirum in modũ confert. eiuſdem facultatis uitellus eſt, ideo ceratis immordacibus admiſcetur, aſſatis aut elixatis ouis, quæ quanto aridiora fiunt, tanto ſedandi uires amittunt, teſtæ ouorum crematæ ſiſtendo ſanguini adhibentur.

De nutrimento animalium in aquis degentium. Cap. CXXXIIII

ANimalium in aquis degentiũ genera propè infinita, ſpecies, ac differentiæ. Nos uero ex his referemus, ſicut & de reliquis ſuperius fecimus, quæ ad cõſeruandam ſanitatem uſu receptа ſunt. Illud cõmuniſſimũ præcognoſcere oportet, optimam piſcium carnem eſſe ſyncero mari degentium, præſertim ubi regionem uenti perflauerint, neq; limoſa litora ſint paludibusúe permixta, ſed arenoſa, aſpera, ac lapidoſa. quod ſi borealem quoq; flatum excæperint, longe pręſtantius eſt. nec mare parum ab mari diſtat, quatenus uel purũ ſyncerumq; fuerit, uel multos amplosq; amnes ſuſcæperit. omnino enim puro cedit, quod dulcium aquarũ permixtione paludis naturam ſapit. Piſces quoq; circumuallati maris fluctibusq; carentis ſunt reprobandi. At qui in maritimis ſtagnis capiunt̃ medij inter marinos fluuialesq; ſunt. prorſus uero excrementoſa uiſcidaq; caro illorũ eſt, qui ſordidas

limoſasq́ aquas incolunt, deterior tamen lacus incolentium pręſertim ſi lacus exi gui ſint, qui neq́ ullum amplum amnem recipiant, neq́ largorum fontium ſcaturigines pariant. quod ſi etiam nihil inde effluat ſed perpetuo ſtabilis conſiſtat aqua, plane lacus illi deterrimi ſunt. his autem qui paludes, ſtagna, huiuſmodiq́ loca incolunt, præſtant qui in fluuio celeri ac præcipiti degunt. eorũ etiam caro probanda non eſt, qui ſtagnantes habitant amnes, peſſimi omnium qui in fluuiorum riuulis captantur, ad quos cloacarum, balneorũ ac coquinarum colluuies delabuntur, in quibus ueſtium, & linteorum ſordes, cæteraq́ omnia urbium inquinamenta expurgantur, præſertim ſi incolarum frequentiſſima ciuitas inerit. pro nutrimentorum etiam ratione piſcium natura uariatur. nacti enim herbarum radicumq́ utilium copiam meliores euadunt: herbas uero cœnoſas, improbasq́ radices depaſtos & in amnibus prope magnas ciuitates excrementa hominum prædictamq́ illuuiem comedentes deterrimos iudicabis, qui poſt capturam ſi pluſculum moræ traxerint illico putreſcũt, fetoremq́ abominabilem reddunt. iidem omnes guſtu ingratiſſimi, & concoctu difficiles, & quamuis perquam exiguum præbeant alimentum non exigui ſunt excrementi, ac frequenti eorum uſu corpora uitioſo ſucco replentur.

De cephalo quem nonnulli mugilem uocant Cap. CXXXV

CEphalus præ cæteris maxime piſcibus tam in mari quàm in fluuijs uerſatur. Qui in mari degit paruas, & plurimas ſpinas habet, guſtu iucundus: fluuialis ſpinoſus admodum eſt ſapore pingui, eſu & concoctu ineptior, ſtomacho infeſtus, mali ſucci, ac uiroſus, ſale tamen maceratus longe melior ſeipſo efficitur.

De lupo quem lauraca appellant Cap. CXXXVI

LVpus piſcis marinus eſt, eorum qui profundos maris receſſus quæritant: huius caro quemadmodum & reliquorum pelago degentiũ tenuem ſanguinem gignit, ſed ſi ad amnes aſcenderit ſimilis cephalo redditur.

De mulo quem triglam uocant Cap. CXXXVII

EST & mulus è piſcibus pelagus incolẽtibus ſicuti edendi iucunditate cæteris præſtans, ita duriori carne præ reliquis ſui generis, fragiliq́ ac minime adipoſa: ideo ſi bene concoquatur maxime nutrit. eius hepar nõnulli & cerebrum ad cibi ſuauitatem mirifice extollunt. muli qui carcinadas comedunt fetidi, ingrati, con coctu difficiles maliq́ ſucci ſunt: deprehenduntur odore & guſtu, ſed & diſſecto uentriculo carcinades inueniuntur.

De piſcibus ſaxatilibus Cap. CXXXVIII

SAxatiles piſces uocantur qui locis ſaxoſis & litoribus degunt. cæteris ad cibi uoluptatem præfertur ſcarus, deinde merulæ, ac turdi, poſtea iuliæ, phuci, & percæ. horum nutrimentum nõ tantum concoctu facile, ſed & ſaluberrimum eſt, ſanguinem gignens ſubſtantia temperatum.

De Gobione Cap. CXXXIX

GObio piſcis litoralis eſt perpetuo puſillus, ſicut & alij plures ſunt, q arenoſa ſaxoſaue loca incolunt, uoluptati, cõcoctioni, digeſtioni, bonoq́ ſucco generando aptiſſimus. Qui uero in hoſtijs fluuiorũ, aut ſtagnis uerſatur, neq́ ita cibo gratus, neq́ concoctu facilis, neq́ boni ſucci eſt: quod ſi aqua etiam fuerit deprauata, omnino peſſimus redditur. ſi gobio in iure albo decoquatur donec flacceſcat, deinde ius bibatur, aluum ducit: crudus uero ſine ſale ſumptus inania egerendi deſideria compeſcit.

De piſcibus mollẽ carnẽ habentibus, quos malacoſarcas uocant Cap. CXL

INter hos qui molles carnes habent, aſelli numerantur, murænæ, bugloſſę, paſſeres, quorum quidam amnes ac ſtagna incolunt, quidam mare, propterea interdum

dum ſuauiſſimi alimentoſiq́; ſunt,interdum ingrati,ac deprauati ſucci.

De duras carnes habentibus quos ſcleroſarcas uocant · Cap. CXLI

EX dura carne cõſtantibus ſunt dracones,cuculi,ſcorpiones,orphi,glauci,congri,phangri,amiæ,puſilli thunni & pelamydes, omnes concoctu difficiles ac craſſi ſucci,ideo ad coctionem ualidiori uentriculo indigent.

De piſcibus teſta intectis. Cap. CXLII

BVccinæ purpuræ,puſilla oſtrea,& q̃ chamæ appellanẽ,teſtacei generis ſunt, quibus omnibus commune eſt,carnes ſapore ſalſas habere, atq; aluum ducere, quod tamen magis aut minus ſingulis ineſt. oſtreorum enim carnes cæterarũ molliſſimæ impenſius uentrem citant,quibus nõnulli crudis ueſcuntur: paruæ uero chamulæ,buccinæ, purpuræ ac huiuſmodi duram concoctuq; difficilem carnẽ habent,nec facile putreſcibilẽ. ideo his ſæpe offeruntur,quibus ob deprauatos humores in uentriculo alimentum putreſcit,bis aut ter decoctæ effuſa ſemper priori aqua, donec ſalſedinem omnem exuerint, quomodo præparatæ etiam uentrem ſiſtunt. ꝙ ſi decoxeris non effuſa priori aqua,deinde ſale aut potius garo condieris,iuſculumq́; ebiberis,aluum tibi non leuiter citabunt.

De cruſtaceis Cap. CXLIII

ASTaci quos quidam gammaros interprętantur,paguri,cancri,locuſtæ,ſquillæ,& quicunq; cruſta integuntur, minus quidem teſtaceis, ſed ipſi quoque non parum ſalſedinis habent,omnes durioris carnis,ſi elixentur, concoctu difficiles,& alimentoſi.horum caro ſicuti & oſtreorum uentrem ſiſtit, ſi prępelixata ſalſedinem exuerit,ac ſimili modo diffuculter putreſcit.

De piſcibus mollibus Cap. CXLIIII

MOlles appellantur piſces quibus neq; adipoſum, neq; aſperum, neq; teſtaceum corium inerit,ſed molle,quales ſunt polypi,ſepię,lolliginęs,& huiuſmodi.durum eſt id genus, concoctu difficile, modicæq́; ſalſedinis particeps, ſed ſi recte concoquantur non paucum alimentum corpori præbent,crudum tamen humorem gignunt.

De chartilagineis quos ſelachios uocant Cap. CXLV

ASperum ſplendidumq́; noctu corium huiuſcemodi animalium eſt : ideo nõnulli ſelachios uocari putant ꝙ nocte σέλας, id eſt,iubar emittant. mollioris carnis ſunt,ſicut torpedo,& turtur:aluum moderate ducunt, neq; difficulter concoquuntur,multumq́; alimenti præbent.

De echinis marinis Cap. CXLVI

NOnnulli echinos marinos cum uino mulſo & garo elixantes ad aluum ducendam comedunt. afferũt echini exigui alimenti ſuccum neq; planè craſſum,neq; tenuem.

De ſalſamentis omnium animalium quadrupedum,uolucrum & aquatilium Cap. CXLVII

NOn parua carnium uarietas fit ſi ſale macerentur, adeo enim immutantur ut ſæpiſſime animal natura humidum ſalis ui reddatur aridius, quàm aliud animal quod ſiccum natura ſit. ſalſamentis aptiſſima animalia ſunt, quæ ſolidiores ſimul & excrementoſas carnes habuerint:nam quæ uel planè ſicca ſint,uel nihil habeant ſuperuacui,ſali inepta cenſeri debent.aridiora enim animalia ſale macerata corijs ſimillima fiunt,ab humidioribus uero totum exuberans effluit,ac ſale tabeſcit.cõſtat igitur dura omnino,neruoſa,ac ueluti coriacea,ſale exiccata difficilia concoctu reddi:at contrà quæ ſali recipiendo idonea fuerint ſalſedine accæpta ſubtilium partium euadunt,ut comeſta craſſos,glutinoſosq́; humores attenuent. ſalſamenta omnia inueterata uitioſa ſunt.

De garo

De garo Cap. CXLVIII.

GArum plurimū calefacit & exiccat, propterea à nōnullis medicis ad putrida ulcera adhibet̃, clyſteri etiam iniȷcit̃ ad dyſentericos & coxendicū dolores.

De muria Cap. CXLIX

MVria ſalſamentorum piſcium more gari putridis ulceribus congruit, dyſentericisq́ ac coxendicum doloribus iniecta medetur, ſui enim acrimonia humores coxendicem uexantes trahit, ac per inteſtina educit, putrida uero ulcera in dyſenterijs abluit & exiccat. præcipue tamen ſilurorum mænularumq́ muria quidam medici ad huiuſmodi morbos utuntur, quam nos interdū ad putrida oris ulcera accommodauimus. ſalſarum uero oliuarū muria ad dyſentericos iugiter utimur inijcientes expurgandorum ulcerum gratia, horæ ſpatio anteaquam clyſter pro cruſta inducenda infundatur.

De adipe & ſeuo Cap. CL.

ADipes uniuerſi humana corpora uel humectare, uel exiccare poſſunt, ſingulorum differentiæ maioris aut minoris rationem habent. differt adeps à ſeuo craſſitie, ideo ſiccioribus natura animalibus ſeuum ineſt, quemadmodum humidioribus adeps. eadem ratione adeps facile igne liqueſcit, neq́ cōcreſcit facile, ſeuum uero difficulter liqueſcit, ac liquefactum quoq́ longe craſſius adipe uiſitur. omnium propè adipum humidiſſimus ſuillus eſt magis oleo molliens, ac magis maturans, propterea inflammationum linimentis miſcetur: eroſionibus uero recti inteſtini uel coli dyſenterijs & inanibus egerendi deſiderijs, ſeuum potius caprinum inijcimus, non quod acrimoniam obtundat, ſed quod ocyſſime craſſeſcat, ſuillum enim effluit ſicut oleum. anſerinus adeps ſuillo calidior & longe tenuior eſt, ideo inijcimus his qui profundo eroſionem ſenſerint, cuncta enim corpora ob tenuitatem penetrat, & tabo erodenti admiſcetur, mordicationemq́ obtundit. inter anſerinum ſuillumq́ medius gallinaceus eſt. taurinus longe calidior aridiorq́ ſuillo. uitulinus à taurino caliditate ſuperatur, ſicut hædinus à caprino & hircino, hircinus uero à leonino uincitur. leoninus enim ſummis diſcutiendi uiribus pollet, ac tenuiſſimus eſt ſupra omnium penè quadrupedū adipes, propterea induratis tumoribus, & calloſitatibus diſcutiendo reliquis præſtat. taurinus inter ſuillum, leoninumq́ ambigit, ut utriq́ medicamentorum generi miſceatur, & quæ induratas partes molliunt, & quæ inflammatas maturant, quale eſt quod tetrapharmacum, & quod baſilicum appellatur. ſunt qui dicant uiperarum adipem ſuffuſionum principijs conuenire. urſinus certe capitis areas ſanat. nonnulli piſcium adipem ad ſuffuſiones & aurium dolores probant, aiuntq́ hæc poſſe omnium piſcium adipem. adeps uniuerſus inueteraſcens calidior ſeipſo efficitur, tenuior ac diſcutiendo efficacior, quę quidem omnibus antiquis medicinis inſunt niſi putridæ fuerint. Huius etiam capitis ſumma communis eſt, cuius meminiſſe oportet, pro ſingulorum animalium temperamento ſemper adipis aut ſeui naturas diſtingui: marem autem fœmina ſemper calidiorem ſicciorемq́ eſſe, & caſtratum recenterq́ natum animal fœminæ aſſimilari: omneq́ inſuper agreſte domeſtico calidius aridiusq́ eſſe.

De medulla Cap. CLI.

OMnis medulla dura corpora molliendi poteſtatem habet, ſiue muſculi ſiue chordæ, ſiue copulæ, ſiue uiſcera afficiantur: reliquis ceruinam præſtare experientia compertū eſt, deinceps uitulina, taurina uero & hircina acrior, magisq́ exiccatoria, ideo durities ad ſcirrhi naturam tendentes diſſoluere nequeunt. cætera de medullis eadem uia & ratione exploranda ſunt, quam de adipibus diximus.

De pulmone

De pulmone. Cap. CLII

AGninus ac ſuillus pulmo crematus tritus, & appoſitus, intertrigines calciamentorum iniuria factas emendat. uulpinus arefactus tritus ac paulatim potus ſuſpirioſis mederi creditur.

De capitibus. Cap. CLIII

MÆnularum ſalſarũ capitibus uſtis utebatur quidam ad ſciſſuras ſedis quas rhagadas uocant, & ad putridas dentium gingiuas, gurgulionemq́ꝫ indura tum. horum uis exiccatoria eſt, nõ multũ acris. alius uſto leporino capite cum adipe urſino ad alopecias adhibebat. uiperarũ capita in olla torrefacta quouſqꝫ cineſcant, inde cum craſſiſſimo lupinorum amarorum decocto trita ac temporibus illita diuturnum oculorũ defluxum compeſcũt: eorundem cinis ſeorſum tritus & aridi collyrij uice applicatus oculorum hebetudines mirifice emendat.

De cornibus. Cap. CLIIII

CApræ & cerui crematis cornibus ſæpe uſi ſumus, ad dentes exterendos, & flaccidas gingiuas contrahendas. fertur & cerui cornu, ſi poſt uſtionem laue tur, dyſenteriam, ſputum ſanguinis, ac cœliacos affectus curare. datur & arquatis utiliter cochlearium duorum menſura: idem uſtum ac lotum collyrijs admiſcetur, ad oculorum fluxiones, quorũ collyriorum uirtus arefactoria eſt. tradunt caprinũ cornu prurituí conferre, & ſcabioſa ulcera abſtergere.

De ungulis. Cap. CLV

VStarum capræ ungularum cinerem nonnulli aceto madefaciunt, atqꝫ areas capitis illinunt, qui quidẽ exiccandi uiribus conſtat. ſunt qui ſuillas ungulas crement, ac colicis cinerem potandum tradant. cremantur & aſininæ, quas aſſi due potas epilepticos aiunt ſanare, atqꝫ oleo madefactas ſtrumas diſcutere, ac cũ lacte muliebri cinerem earundem exquiſitiſſime tritũ, in collyriaq́ꝫ redactum, deinde cum lacte infuſum oculorum cicatrices exterere.

De lichenibus in pedibus equorum inuentis. Cap. CLVI

LIchenas equorum cum aceto tritas morbo comitiali mederi nõnulli tradunt, & ad cuiuſqꝫ uenenoſi animalis morſum adhibendas iubent.

De lanis ſuccidis ac puris exuſtis. Cap. CLVII

LAnæ ſuccidæ ob admixtas ſordes ad membra fouenda utiliter adhibentur: quomodo autẽ ex his œſypum confici oporteat in hoc ipſo libro docuimus capite de ouium ſordibus. at lanæ purgatæ ad ſuſcipiendas liquidas membrorum fomentationes idoneam materiam præbent: crematæ, acri, calida, attenuatoriaq́ꝫ facultate pollent, ut flaccidas ulcerum carnes ocyſſime tabefaciant. miſcentur etiam exiccatorijs medicamentis. urito in noua olla impleta, & obturata, cuius operculo plurima inſint foramina.

De pilis uſtis. Cap. CLVIII

Iſti quoqꝫ crematis lanis cõſimiles uires habent, calcfaciendi inqꝫ & exiccandi.

De oſſibus uſtis. Cap. CLIX

OSſa uſta diſcutiendi, exiccandiq́ꝫ uiribus cõſtant. tradunt in his humana maxime excellere. talus ſuis crematus ac bibitus, tormina ac flatus curare credi tur. ego ſanè plures noſtratiũ hominũ noui, qui ignari ne abominarentur humana oſſa cremata biberint, atqꝫ ita epilepſiam articularemq́ꝫ morbum curaſſe.

De pellibus. Cap. CLX

OVina pellis nouiſſime detracta ac flagellatis circunpoſita apertiſſime iuuat prę reliquis omnibus auxilijs, ut diei tantũ ac noctis ſpatio curationẽ perficiat, ſuffuſum enim ſanguinẽ maturat ac diſcutit. ſunt qui hyænæ pellẽ in ædibus ſuis ſuſpenſam referuent, qua neceſſitatis tempore morſos à cane rabido operiãt,

& ſic

& ſic proprietate quadam ægros,ne in formidinem aquæ prolabantur prohiberi putant, imò & iam prolapſos iuuari. ueterum pellium præſertim ſolearum uſtarum cinis aſperſus intertrigines ab offenſu calciamentorũ nõ inflammatas ſanat. nam inflammatas irritat.

De uentriculo mergi. Cap. CLXI

MErgi uentriculum torrefactum, ac modico ſale inſperſum coctionem præſtate cruditate laborantibus tradunt.

De uulpibus Cap. CLXII

VVlpibus quidam uiuis in oleo decoctis morbos articulares curant, in dolia enim calido oleo repleta patientes ingredi iubent, ac diutius immorari, huiuſcemodi oleum ſumme diſcuſſorium efficitur, ut ad ſuperficiem corporis euocet quæcunq; in profundo hærentia dolorem excitant, ſeu craſſitie ſubſtantiæ,ſeu frigiditate ſeu acrimonia uehementi, ſeu flatuoſo ſpiritu exitum non habente.ita enim nõ articulorũ tantũ tumores, ſed corpus quoq; plethoria ingraueſcens exinanitur,ut maxima prorſus utilitas ſubſequatur, tum diſcuſſis cauſis articulos occupantibus,tum nulla amplius re ad affectũ locum fluente: quũ ſine excrementis uniuerſum corpus redditũ ſit, minus quidẽ accurate degentibus tedii paſſio, ſed nõ ita uehemens ut prima fuerat.corpori enim incoluni ſolus uiuendi error ægritudinem attulit.idem hyæna põteſt integra ſicut uulpes oleo elixata.

De ranis. Cap. CLXIII

RAnæ paluſtres in aqua elixatæ ſaleq; & modico oleo conditæ uenenoſorum reptilium ictibus ſi ius earum bibatur,magnum præſidium afferunt.

Aliud.

Rana in oleo elixata ſui decocti fomentatione diuturnos chordarum dolores ſedat,morbum articularem leuat,ac duritiem mollit. ranæ crematæ cinis membranæ cerebri applicatus effracta uena ſanguinem ſiſtit.

De muſtella Cap. CLXIIII

SVnt qui tradant muſtellam areſactam, ac bibitam, morbum comitialem curare. eius cinis quæ uiua in olla cremata ſit cum melle aut terebintina, aut butyro,ſtrumas diſcutit.

De telis aranearum Cap. CLXV

Scribunt alij aranearum telas ulcera cutanea ſine inflammatione ſeruare.

De lumbricis terræ. Cap. CLXVI

LVmbrici terræ triti, & neruis inciſis applicati mirandũ in modum illico conferunt,uniuerſa uulnera ferro,lapide,aut alio inſtrumento illata cõglutinant, præſertim in neruoſis, & quæ uix glutinantur partibus, quales ſunt nares, aures, & huiuſmodi.hos teri oportet ſimul cum terra in qua latentes inueneris,niſi acris aut ſalſæ qualitatis particeps fuerit. lumbrici quinq; aut ſeptem ẽ paſſo bibiti urinam mouent,& genus omne uermium ẽ corpore pellunt: ad eos uero qui lati appellantur extrudendos ex oxymelite ſunt bibendi.ſeptem item ſimili modo e paſſo poti regium morbum curatu difficilem per urinas expurgant, poteriſq; uel ipſos priuatim exhibere,cũ myrrha troglodytica,quanta eſt ciceris magnitudo.oleo etiam roſaceo elixati aurium dolores ſedant, eo oleo calido infuſo: ſint lumbricorum terræ drachm.VI. roſacei lib.I. quod dentium quoq; dolori medetur, ſi calidum in aurem denti affecto oppoſitam infundatur. idem facit ſubiectis carbonibus ſuffitum,ſi patiens fumum per fiſtulam ad dentem affectum excipiat. Molares etiam quos uelli oporteat,lumbrici triti,ac dolenti loco circunliti ſine moleſtia tollunt. Prius tamen locus exquiſite ſcarificandus eſt. cinis lumbricorum exacte in teſta crematorum tritiſſimus aridi collyrij uice inchoantibus ſuffuſionibus mirifice

rifice confert. Ad hiſpidas palpebras pilis prius euulſis deinde ſpicillo eorundem cinis illitus pilorũ qui præter naturam euenerint regenerationem compeſcit. lumbrici ſeptem triti, & ieiunis ex uino mulſo plurimis diebus propinati ueſicæ calculos frangunt, ut paulatim per urinam excernantur, intrinſecos etiam abſceſſus diſrumpunt, perq; ſeceſſum ducũt, ſi ſeptem aut nouem pro uirtutis ratione è tribus aquæ cyathis potentur. Quod ſi quis melle conditos ſeruauerit, optimũ præſidiũ ad ſcorpionum ictus parabit. Neruorum quoq; contorſiones quæ ganglia appellantur, ſeorſum illiti ſoluunt, priuatim applicati mamillarum abſceſſus euocant, ſuppurant, diſrumpunt, & ad cicatricem perducunt, cremati triti & ex aceto illiti eryſipelati conferunt. Podagrarũ inflammationes triti ex melle & locis appoſiti mitigant, habere eos cerati conſiſtentiam oportet, nec niſi tertio quoq; die exſolui, locumq; ſemper roſaceo prius inungi. triti ac roſaceo cerato aſſumpti efficaciſſime pedũ dolores leuant. cũ lotio infantis ſubacti, & capillis prius conſueto ſmegmate adſtrictis illiti canitiem retardant: eos in fictili cremari oportet, inde cum lotio admiſceri. dato hydropicis ſeptem ex uino mulſo, dato item ſeptem cum ſapa temperata ſubactos, his quibus ueſica aut renes ſint ulcerati. illigati panno ac locis ſuſpenſi ſtrumas paulatim comminuunt, ſi totidem quot ſtrumæ numero fuerint. triti & temporibus illiti uniuerſos capitis dolores hemicraniamq; mitigant, terra obruti incolunt lumbrici, atque ubi ad ſolem emittuntur tempeſtates pluuiasq; portendunt.

De dracone marino. Cap. CLXVII.

SQuammarum uſtarum draconis marini cinis tritiſſimus illitus turbidos hebeteſq; oculos ſanat, & quibus uanæ paruorum animalium ueluti culicum imagines obiectantur.

De uipera. Cap. CLXVIII.

VIperæ caro comeſta aperte calefacit & exiccat, quam capite caudaq; abſciſſis excoriari oportet, exemptiſq; uiſceribus omnibus carnem ternis aquis abluere, inde ueluti anguillam in aqua elixari adiectis porro, anetho, & oleo, decoctam deinceps modico ſale condiri, atq; ita ius ſorberi. Quod autem uiperę carnes comeſtæ per cutim corpus expurgent, ex his quæ ego adhuc adoleſcens experimento deprehendi, coniectari licet. Vir quidam morbo qui elephas dicitur laborans, deformitate ac fetore abominabilis, prope uicum tugurium ſibi ſtruxerat quod incolebat: forte meſſores proximũ agrum metentes, uini lagenulam ſecum detulerant bibituri: dum uinum in craterem effunderent parua ſimul uipera excidit. illi humane ſe acturos putantes, ſi uinum elephantiaco largirentur, melius morituro, qui tam miſere uiueret, ad tugurium lagenulam detulerunt. uino epoto æger admirabili modo incolumitatem recæpit. tota enim cutis quæ tumeſcebat, tanq; oſtreorum operimenta excidit, reliqua molliſſima effecta eſt, haud aliter quàm ſi cancer, aut locuſta teſtas depoſuiſſent. Quod quidem alijs quoq; pluribus contigiſſe maiores noſtri memoriæ tradiderunt, nec raro nos ipſi uidimus multos à uiperis ſanatos, propterea illas theriacæ admiſcemus.

De herinaceo marino. Cap. CLXIX.

HErinaceus marinus uentriculo confert, atq; appetitum euerſum excitat, præſtat & meiendi facultatem ueſicam purgans, ſimulq; aluũ leniter molliens.

De herinaceo terreſtri. Cap. CLXX.

HErinacei terreſtris caro exiccata & paulatim bibita elephantiacis confert, & his qui deprauato habitu, conuulſionibus, & renum uitijs aut aqua intercuti laborant, diſcutiendi enim exiccandiq; uiribus conſtat. Huius hepar ſole areſactum, elephantiaſim mirifice curat, utriuſq; herinacei marini inquam & terreſtris

uſtorũ cinis abſtergere,purgare & diſcutere poteſt, ideo omnes carnis excreſcentias compeſcit & ulcera mundificat.

Aliud.

Herinacei terreſtris cremati cinis liquida pice aſſumptus, capitis areas curat, idem è uino mulſo bibitus calculoſis renibus medetur, & ad aquam intercutē datur cochlearij ſemis. ſanat & herinaceus uniuerſas urinæ difficultates, à quacunque cauſa prouenerint, ſi exempta uiſcera ægro circum undiq; operto ſuffiantur. uiſcera autē ſale macerata arefactaq; reſeruari oportet,quibus deficientibus caro, aut pellis ſuffienda eſt.ad plurimam uero urinam euocandam eadem uiſcera arefacta & trita ac quantũ tribus digitis cæperis è uino pota efficaciſſima ſunt. eiuſdem caput uſtum & cum adipe præcipue urſino illitum nō tantũ capitis areas ſanat,ſed pilos quoq; è cicatricibus elicit, idem poteſt & pellis uſta eidem adipi urſino mixta. totus herinaceus terreſtris uiuens adhuc lento igne affatim decoctus diuturnos coxendicum dolores curat, ſi eo oleo foueantur.ex ipſo etiam depilatorium ita conficitur.

Depilatorij confectio. Cap. CLXXI.

TErreſtrem herinaceum uiuentem adhuc in ollam anguſtiſſimi orificij conijcito, quæ duodecim ſextaria capiat, deinde olei ſex tantum ſextaria infundito,ollæq; orificium gypſo exquiſitiſſime oblinito ne prorſus exhalet, tum ſub canis feruore quadraginta diebus inſolato, poſtea adaperto uaſe quod adhærebit tu dicula noua abrade,totumq; ſetaceo cribro excolabis & uteris. locus uero ſub ſole illinendus eſt,& plurimũ perfricandus,uſq; ad ſudoris euocationem,mox aqua fouendus,& abluendus,obſeruando ne alia loca attingantur, quæ depilatione nō indigent.

De hippocampis marinis. Cap. CLXXII

HIppocampi marini comeſti & uulneri applicati rabidi canis morſiones ſanant,quos nigro aceto aut melle terere oportet.

De cantharidibus Cap. CLXXIII

CAntharidas ſatis idoneo experimēto ad ſcabros ungues probaui,quos emēdant congruis medicamentis commixtæ, qualia ſimt omnia quæ putreſaciendi uiribus pollent, & quæ ad exterendas lepras confici ſolent. quidam è præceptoribus noſtris nonnihil cantharidum urinarijs præſidijs exectis alis ac pedibus, permiſcebat.efficaciores uero ad eos morbos,ad quos nuper dixi probatas eſſe,in ſegetibus capiuntur depictis alis,tranſuerſis cingulis fulueſcentibus, præſertim ſi uiuentes adhuc in fictile uas conieceris,tenueq; linteum uaſis orificio circunligaueris,atq; inuerſo uaſe feruens acetum ſuffieris, quouſq; ab eleuato aceti uapore cantharides ſuffocentur.

De cancris fluuialibus Cap. CLXXIIII

FLuuiales cancros contritos & lacte potandos dato,ac omnium reptilium ictibus medeberis,ſed præcipue ſcorpionis,ac deſperatū epoto marino lepore cōfeſtim ſanabis.neq; uero latere puto eorum tantum carnem terendam eſſe cum lacte,quo pacto etiam tabidis conferūt,uel albo iure decocti & comeſti iure ſuo pariter deuorato. cancri exuſti cinis reliquorum uſtorum more deſiccat. is quadam ſubſtantiæ proprietate mirum in modum rabidorum canum morſionibus reſiſtit & ſolus,& multo magis cum gentiana & thure:eſſe oportet thuris partem unam, gentianæ quinque,cancrorum decem. Quibus crematis interdum quidem etiam uſi ſumus, plerunq; tamen uſum præceptoris noſtri imitamur.in patellam ex ære rubro cancros adhuc uiuentes conijciebat,quos uitium ſarmentis urebat quouſq; facile teri poſſent,ſemperq; domi paratum medicamentum ſeruabat,nec niſi æſtate auguſto menſe ſub canis feruore decima octaua luna cremabat, cuius medicamenti amplum cochleare cū aqua diluens rabidis ſingulo quoq; die uſq; ad quadrageſimum

dragesimum propinabat. Quod ſi poſt aliquot à morſione dies ęgrum curandum ſumeret, bina cochlearia exhibebat, ut dierum quadraginta numerum aucta quantitate suppleret, at ipſi uulneri medicamentum è brutia pice applicabat, accipiens picis lib. I. acetrimi aceti ſextarium unum, opopanacis unc. III. & cancrorum fluuialium cineri admixto melle cōficiebat. Quod etiam pernionibus & digitorum rhagadibus maleficiisq; & cancroſis ulceribus confert.

De locuſtis marinis Cap. CLXXV

LOcuſtæ marinæ teſtam crematam & tritam dato è mero bibendam ad alui fluorem compeſcendum, ac calculos renum purgandos, plurima enim arena per urinam excernitur.

De teſtibus caſtoris Cap. CLXXVI

CAſtoris teſtes, quos caſtoreum uocant inſigne & celebre medicamentum, nos tamen hoc loco eius tantum communes facultates recenſebimus, quas proſpiciens aliquis ſubinde particulares uſus inueniet. Humidum enim deſiccat & frigidum calefacit redundantesq; humores attenuat. Propterea materiam in neruis præter naturam contentam ſine alicuius membri diſpendio tutiſſime euacuat, præſertim ubi uehementior febris nō impedierit, eadē ratione ob craſſorū lentorumq; humorū multitudinem trementibus potum efficaciſſime confert, nec ſegnius ſingultum opprimit, qui copia frigidorū uiſcidorumq; humorum uentriculo affecto contigerit. at ſi ab immodica ariditate & inanitione ſingultus & conuulſiones euenerint, caſtorei uſum tanquam inimiciſſimū euitari oportet. Febrientibus uero febre nō adeo uehementi, ſed qualem in cataphora aut lethargo maxime fieri uidemus, frequentiſſime caſtoreum exhibemus, ſimul cum piperis cochleari è mulſa propinantes, neq; aliquem hactenus læſum cognouimus: cęterum in lethargicis ac cataphoricis febribus, roſaceo ſolutum capiti & ceruici applicamus. Ad detentos menſes ob copiam craſſitiemq; ſanguinis, inciſa prius tali uena, inde duo caſtorei cochlearia cū puleio aut calamentho exhibita utile ſemper medicamentum expertus ſum. idem è mulſa potum locellos & ſecundinas expellit, flatibus & torminibus alui uexatos ob craſſum uentoſumq; ſpiritum poſca bibitum iuuat. confert & orthopnoicis ideſt recta tantū ceruice ſpirantibus, ex oxymelite, aut poſca exhibitum, uel ſuper accenſis carbonibus ſuffitum ægro oris hiatu uaporem excipiente.

De canis fluuiatilis teſtibus Cap. CLXXVII

CAnis fluuiatilis teſtes iiſdem caſtorei uiribus conſtant, niſi q imbecilliores ſunt. ſi ex huius canis corio calcei fiant, pedum neruorumq; uitijs mirum in modum conferunt.

De tereſtri cane Cap. CLXXVIII

CAtulus terreſtris canis ſtomacho applicatus coctionem iuuat, ac cuicunque intrinſeco morbo medetur, in ſeipſo morbū recipiens, quem aiunt ubi mortuus fuerit, ſumma diligentia ſepeliendum.

De cycno Cap. CLXXIX

Cycni tenellus pullus in oleo decoctus admirabile neruorū medicamentū eſt.

De buccinarum teſtis crematis Cap. CLXXX

BVccinarum teſtæ crematæ deſiccando efficaciſſimæ ſunt, ea de re congruis medicamentis admixtæ induratas inflammationes diſcutiunt: conſimiles uires habent & purpurarum oſtreorumq; teſtæ.

De galerita aue Cap. CLXXXI

GAlerita auis parua eſt quam in ſemitis uiarū plerunq; uidemus, hæc ſimplici iure elixata & comeſta colicis confert: crebro autem ſemper cum iure ſuo

comedenda eſt, quod ego ſępiſſime expertus ſum. habet hæc auis in ſummo capi/te apicem, ueluti criſtam, è plumis cognatam.

De cochleis terreſtribus Cap. CLXXXII

TErreſtris cochlea durioris carnis eſt, propterea comeſta difficulter concoqui/tur, eius uero elixatæ ius aqua, anetho, oleo, & garo confectum, ad aluum ci/endam bibitur. at ſi primam ac ſecundam aquam in quibus elixatur, effuderis, & demũ in tertia decoxeris, donec flacceſcat caro, comedendamq́ dederis, alui fluo/rem ſanabis. cochlearum humiditas quam mucum uocant, ſola abſq; carne ſum/pta addito thure, aut aloë, aut myrrha uel quopiam uel omnibus ſimul uſq; ad ce/rati conſiſtentiam, glutinatorium medicamentum fit, aurium q; tumores efficaci/ter deſiccat, atq; fronti applicatus humores fluentes ad oculos reprimit. ubi uero muci copiam haurire uolueris cochlearum carnem ſtilo transfigito, ſic enim hu/morem plurimum exprimunt, præſertim nouiſſime captæ. idem humor palpebra rum pilos agglutinat. ego autem olim in agro uulnerato neruo cum chordæ fra/ctura cochlearum carnem appoſui cum farinæ puluiſculo ſubigens qui piſtrinis inhæret, & abſq; inflammatione uulnus ſanaui: homo is erat ſolidioris carnis: ſed ubi copia affuerit, præſtabit admiſcere quippiam myrrhæ aut thuris, aut picis tor/refactę & tritę. earundem caro primo inciſa, deinde in mortario trita & applicata, à quocunq; membro excrementoſam humiditatem deſiccat. cochleæ cum ſuis do miciliis tritæ, ac uentri appoſitæ hydropicis conferunt: ſed in articulorum dolori/bus & morbo ipſi articulari applicatæ difficulter quidem auelluntur, efficaciter ta men deſiccant, ideo tandiu permittendæ ſunt donec ſponte cadant. idem faciendũ & in tumoribus uulnerum qui ægre diſſoluuntur, aut in his qui ob attritionem au ribus euenerint. uniuerſos enim deſiccat quamuis lentus craſſusq; in profundo humor inhæſerit. cochleæ item cum iiſdem domiciliis ſuis crematæ gallæq; acer bæ & piperi admixtæ dyſentericos mirifice iuuant, quibus nondũ putrida ulcera obtigerint: eſſe oportet piperis partem unam, gallæ partes duas, cineris cochlearũ partes quatuor, ſingula minutiſſime teres, commiſcebisq; & repones, uſus tempo re obſoniis addes integrum cochleare, uel ex aqua calida, uino ue propinabis. imò & ſine alicuius mixtione ſeorſum ipſe cochlearum cinis exiccandi uirtute pollet, aduſtionis ratione etiam cuiuſdam caliditatis particeps.

De mænulis aut acubus ſalſis & crematis Cap. CLXXXIII.

HArum cinis excreſcentes ulcerum carnes præcipue gingiuarum illitus re/primit, & callos quos clauos uocant extrudit, & prominentias in digitis eue nientes tabefacit.

De torpedine uiua Cap. CLXXXIIII.

TOrpedo uiua applicata diuturnum capitis dolorem tollit, & procidentẽ anũ introrſum uertit: mortua uel nihil uel parum agit.

De aſello marino Cap. CLXXXV

MArinus aſellus aqua elixatus cum anetho, oleo, & ſale omnes inteſtinorum ægritudines ſanat, ſed præcipue uentris quem actes humores uexauerint.

De oſtreorum teſtis Cap. CLXXXVI

OStreorum teſtæ crudæ minutiſſime ad pollinis formam redactę maleficis ul ceribus præſertim labiorum conueniunt, hæc enim efficaciſſime abſq; mor dicatione ad cicatricem perducunt. Habent oſtreorum teſtæ, ut ſolida terreſtriſq; ſubſtantia indicat, adſtringendi facultatem, quam tamen aduſtione deperdunt: ex aceto, aut poſca aut uino mulſo exhibitæ putredinibus reſiſtunt, affectum ſcilicet corporis habitum oppoſita qualitate temperando. cremata oſtreorũ teſta tenuior efficitur, quàm buccinarum, quoniam laxioris quoq; ſubſtantiæ eſt: eius cinis ab/

lutus

lutus replendo & ad cicatricem ducendo, humidis ulceribus conuenit. ego ſane oſtrearum teſtis ſic præparatis aſſidue utor ad diuturnas fluxiones & concauitates, in quibus uix caro generatur, quamuis fiſtuloſæ & profundę ſint admixto ſuillo adipe iniectoq; in earum concauitatum ſinum quopiam eorum quæ carnem generant, qualis eſt translucidus lapis, quem ſpecularem uocant. idem cinis quemadmodum buccinarum, & purpurarum dentes exterit, nõ tantum abſtergendi facultate quantum aſperitate ſubſtantiæ, ideo non ita exquiſite terendus eſt, ſed minutiſſime tritus & ablutus marcentia ulcera exiccat.

De purpurarum teſtis Cap. CLXXXVII

PVrpurarum teſtæ ex aceto potæ tumidis lienibus medentur, ſuffitæ uteri ſuffocationes ſanant, ſecundasq; ac locellos retentos extrudunt, uſtarum cinis idem quod buccinarum poteſt.

De ſepijs Cap. CLXXXVIII

SEpia aceto ſuffocetur, idq; acetum cum oleo mixtum propinetur illi qui marini hippocampi uenenum hauſerit, eiuſdem teſta abſtergendi exiccandiq; uiribus pollet, ideo cremata ad uitiligines ad ephelides, ad lentigines, ad ſcabiem utiliter adhibetur. ſali ammoniaco mixta oculorum pterygia deſtruit, cruda ſi teratur dentes, & oculorũ cicatrices exterit, eorundemq; ulcera exiccat, magnasq; palpebrarum aſperitates quas ſycoſes uocant abſumit.

De ſcinco Cap. CLXXXIX

QVæ renibus ſcinci adhærent ad excitandam uenerem bibuntur, quibus maxime opponitur lactucæ ſemen, ex aqua potum. id enim uirilium erectionem compeſcit.

De tellinis Cap. CXC

TEllinæ ſale maceratæ ſi urantur cinisq; cum cedria miſceatur, prohibent palpebrarum pilos rurſus enaſci.

De cicada Cap. CXCI

CIcadis quidam utuntur in colicis affectibus, totidem piperis granis commixtis, exhibenturq; uel tres uel quinq; uel ſeptem, in ipſis exacerbationum interuallis. eaſdem nonnulli aſſatas comedendas tradunt aduerſus calculos cæterosq; ueſicæ morbos.

De hiæna Cap. CXCII

HIæna uiua in oleo elixata ſicuti de uulpibus diximus oleum diſcuſſorium conficit articulari morbo utiliſſimum: uſus omnino idem, quem de uulpino docuimus.

De hirundinibus Cap. CXCIII

HIrundinum cinis cum melle illitus, anginis medetur, atq; uniuerſis faucium gurgulionisq; tumoribus anginarijs: eodem nonnulli ad uiſum acuendum utuntur aridi colyrij uice.

Ex libris Oribaſij ad Euſtachium & Eunapium de ſimplicium medicinarum facultate.

Quæcunq; calefaciendo & refrigerando temperata ſunt Cap. CXCIIII

CApilli ueneris, corruda, muſcus, quem ſplachnon uocãt, glycyrhizæ ſuccus, oleum dulciſſimum, cera, faba, lycium, trifolium, citri cortex, filicis radix, pinei nuclei, iuncus, lens, terra chia, & ſamia, cadmia, ſpuma argenti.

Quæcunq; moderate calefaciunt Cap. CXCV

VIticis frondes & fructus, urticæ ſemen ac folia, amygdala dulcia, anagallis utraq;, fuſus agreſtis, quem atractylidem uocant, cnicus erraticus, rubi fructus maturus, fermentum, eryngium, reſinæ omnes, cicerbita arida, iunci odorati flos, palmulæ, cochlearũ cinis, braſſica canina, ranunculi radix, & herba, puleium,

lauri folia,ſed bacca magis,ſicut cortex radicis minus,dictamus,pſeudodictamus, ſaluia,eryſimũ,lana cremata,uitis albæ,ariſtolochiæ, aſpodeli,dracunculi,ſingulorum radices,paſtinaca,chamædaphne,hoc eſt terreſtris laurus, oleum raphaninũ, tres cicerum ſpecies,uiſcus caucalis, liguſticum, ferulæ ſemen, ſagapenum, ſatyrium,apium,ſium,ſiſon,ſtyrax,piper,hypericum,ſal,ſanguis,fel,urina,ſaliua,ſulphur,uiperarum carnes,adeps,muria ſalſamentorum piſcium.

Quæcunq; primo gradu calefaciunt Cap. CXCVI

ALoe,chamæmalum,agaricum,abſinthium,ladanum,lini ſemen,folium,nardus celtica,ſpica nardi,uinum nouum,ſerum lactis,caſeus,aridæ ficus.

Quæ ſecundo ordine calefaciunt Cap. CXCVII

AMurca,anethum aridum,nam uiride lenius eſt,artemiſia, balſamũ,elaphoboſcum,calamus aromaticus,crocus,libanotis,maſticha,mel,uinũ,pix,apiaſtrum,uel meliſſa,praſium,propolis,cucumeris agreſtis ſuccus, ſcandix, ſmilax, ſcolimi ſeu cardui radix,myrrha,terebinthi cortex,frondes, ac fructus, fœnugræcum,chamæleontis utriuſq; radix,chamæpitys, ocymum.

Quæ tertio ordine caleſaciunt Cap. CXCVIII

ABrotonũ uſtum,olea,populi nigræ flores,& reſina,acorus,amaracus, amomum,ammi,anethum uſtum,aniſum,iuniperus,aſſari radix,ſauina,elleborus uterq;,epithymum,mentha, ſatureia,calamenthũ, harundinis uallaris, quam phragmitin uocant,cortex uſtus, careon,caſia, cedrus utraq;, cnici ſemen, conyza,cyminum, thuris fuligo, fœniculum, arum, nigella, mei radix, moly, ſeu ruta agreſtis ſeu beſaſa , oleander , uinum antiquum, omnes origani ſpecies, opopanax,chamædrys.

Quæ quarto ordine caleſaciunt Cap. CXCIX

ADarce,ampelopraſum,ſeu porrum erraticum, oleum cedrinum, coſtus,cepe,lepidium,ſinapi,allium,ſtruthij,id eſt,herbæ lanariæ radix, tithymalorũ liquores,& omnia quæ cauſtica,id eſt,urentia appellantur.

Quæ refrigerant Cap. CC

GRamen moderate,muris auricula,abſq; adſtrictione, pyra illita mediocriter refrigerant,balauſtium,rubi folia, germina, acerbus fructus, & flores, bromus,glaucium,harundinis uallaris folia,parietaria ſeu perdicium,ſingula iſtorum moderate.Item muſcus marinus, lichen petris adnaſcẽs, pomi frondes & fructus, glans,oleum myrtinum & roſaceum, dorycnium,uehementer, omnes papaueris ſpecies,fungi,citri caro,uuæ acerbæ ſuccus,amylum mediocriter,patus palæſtrę, id eſt, ſudor pulueri admixtus, cicerbita uirens, tribuli utriq;, ramorum palmarũ ſuccus,ſamia terra,& cimolia,naxias,id eſt,ſcobs cotis.

Quæ primo ordine refrigerant Cap. CCI

ACacia illota,attriplex,ſine adſtrictione,acini uuæ, milium, hordeum,platanus,rhamnus,ſeris.

Quæ ſecundo ordine refrigerant Cap. CCIII

ACacia lota,plantago,beta,galla acerba, cucurbita, cucumis, pepon, ſolanũ hortenſe, lenticula paluſtris, alga uirens, quæ prope maris litora legitur, pſyllij ſemen.

Quæ infrigidant tertio gradu Cap. CCIIII

SEdum utrunq;,portulaca,mandragora,citri pars acida,polygonium,potamogiton,quam nonnulli fontinalem uocant, hyoſcyamus,ſiue apollinaris herba, cuius flos & ſemen candida ſunt.

Quæ quarto gradu refrigerant Cap. CCV

Papaueris lachryma,& cicuta.

Quæ

Quæ ſine eroſione exiccant Cap. CCVI

VRticæ ſemen,ac folia,amurca,anagallis utraq;,bromus,plantago, oleũ dulce ſine ſale lotum, fermentum euocat à profundo & diſcutit, lupini amari, hippuris,id eſt,cauda equina uehementer,iſatis,ſalicis frondes,& flores, cum aliqua adſtrictione. ſunt qui ſuccum ex his conficiant ut deſiccatorium medicamentum plurimis idoneũ poſſideant, aptior uero medicina eſt, quæ ſine eroſione exiccat, & adſtringit, iuglandis putamen uſtum, præterquam ꝙ tenuis quoq; ſubſtantiæ eſt. Præterea milium, centaurium minus, uehementer exiccat, ceraſorum gummi,lilium, faba extra appoſita, cupreſſi partes uniuerſæ, cyperi id eſt odorati iunci radix,pinei nuclei,in aqua madefacti,nympheę radix,polypodiũ,ſapa ſeu ſiræũ ualde deſiccat, quinquefolij radix,myrrha,ſarcocolla,ſtœbe,tragacãtha,terra uniuerſa cadmia,aſiæ petræ flos marceſcentes carnes areſacit,pompholyx,& calx utraq; ſæpius lota potenter exiccat,oui albumen, cuius naturæ etiam uitelli ſunt.

Quæ ſimpliciter deſiccant Cap. CCVII

VIticis frondes & fructus, graminis radix & ſemen, capillus ueneris, ſedum utrunq;,amarantus qui potus fluxiones exiccat,uitis albæ radix,anagyri folia arida, pyra illita mediocriter, ariſtolochia, corruda quem aſparagum myacanthinum uocant,aſpalathus,aſphodeli radix, magiſq; ipſius cinis, balauſtium efficaciter,ruborum albeſcens fructus,quercus & phagi partes uniuerſæ, bulbus illitus,peoniæ radix,lauri folia uehementer,ac bacca magis, liguſtrinum oleum,laurinum,tedinum,pannicum applicatũ, eringium,iſatis, corticis ſalicis cinis potenter,cannabis ſemen,cardamomum,caucalis, paſtinaca, lixiuium præſertim ex cinere ficulneæ,braſſica,cuius caules cinerem efficiunt ſumme deſiccatorium,crethmus,lilij folia & radix,acerba,platani cortex,& pilulæ moderate,polypodiũ,amylum,ſal,nitrum,gypſum præcipue uſtum,cadmiæ omnes,uniuerſaq; metalla,lapides & terræ,teſta clibani,coagulum omne, ſimus,anſerum tamen & accipitrũ nimia acrimonia inutilis,ſordes,uiperarum caro, ſalſarum mænularũ capita, cornu cerui,& capræ,caſtoreũ,oſſa cremata,cancrorũ cinis,garum uehementer,muria.

Quæ primo ordine deſiccant Cap. CCVIII

CHamæmalum,iuniperi baccæ,careon,hordeum,polenta,crocus,thus, fœniculum,oleander ſeu nerion,uinum nouum,cucumeris peponiſq; ſemen,fœnugræci ſemen.

Quæ ſecundo ordine deſiccant Cap. CCIX

LOlium,amaracus,bitumen,anethum,balſamum,acini uuæ, gingidium, elaphoboſcum, calamus aromaticus, libanotidis cortex, folia & ſemen,meum, maſticha,mel,ſpica nardi,nardus celtica,uinum,eruum,opopanax,pix,rhamnus, radicula,ſcandix,cardui radix,myrrha,iuncus,terebinthi fructus & folia,lentes,alga uirens,& humida,malobathri folium, chalbana.

Quæ tertio ordine deſiccant Cap. CCX

ABrotonum præcipue uſtum,acacia,acorus,aloe,anethum uſtum,anethi ſemen,iuniperus,aſarum,abſinthium, ſauina, elleborus, epithymũ, ſatureia, calamentũ, harundinis uallaris cortex uſtus, careon,caſia, cedrus,conyza,thuris fuligo,nigella,citri ſemen,uinum plane antiquum,acetum,origanum,quinquefolij radix,petroſelinum,myrrha,ruta hortenſis,marrubium,rhu obſoniorũ,ſampſucus,ſeriphium,hyſſopus,chamædriũ,chamæleontis utriuſq; radix,chamæpitys.

Quarto ordine exiccantia Cap. CCXI

Ampeloprasum,id eſt,porrũ agreſte,cedrinũ oleum,ſinapi,ruta agreſtis,allium.

Quæ humectando & exiccando ambigunt Cap. CCXII

Graminis radices illitæ,oleum dulciſſimum.

Quæ primo ordine humectant Cap. CCXIII

MVris auriculæ,bugloſſum,glycyrizæ ſuccus,lactuca,uiolæ folia moderate, perſicæ mali fructus,fungi,roſaceum,ſatyrium,ſtratiotes fluuiatilis.

Quæ ſecundo ordine humectant Cap. CCXIIII

SEcundo ordine humectant portulaca,attriplex,beta,cucurbita,armenicæ mali fructus,pepon,lenticula paluſtris.

Quæ ſint humiditatis aqueæ Cap. CCXV

AQueæ humiditatis ſunt acacia,muris auricula,portulaca,plantago,rubi folia,cucurbita,umbilicus ueneris,cicuta,picea,malua hortenſis,papauer,mala præcocia,fungi,platanus,polygoniũ,potamogiton,ſideritis, cucumer qui edendo eſt,cicerbita,oloſchœnus,lenticula paluſtris,pſyllij ſemen, plumbum.

Quæ tenuibus partibus conſtant Cap. CCXVI

ABrotonum uſtum,uitex,ſcandix,populi nigræ flores,urticæ folia & ſemen, chamæmalum,aparine,ariſtolochia,plantago arida,aſphodeli radix,præcipue uſta,balſamum,ſauina egregie,rubi radix, oleum antiquum, oleum ricininũ, elaphoboſcum,euphorbium,fermentum,ſalicis ſuccus,calamentum,calamus aromaticus, cannæ uallaris cortex uſtus,caſia, carpeſium,milium, oleum cedrinum, pruna,gummi,maſticha,nigella,cyrenaicus ſuccus,balſami lachryma.ruta,piſtacia,propolis,oleum roſaceum,ſagapenum,ſeſeli,ſampſucus,cucumeris ſemen,ficus recentes moderate,iunci odorati flos,terebinthus, cinis, calx, ſalis flos, hyſſopus,halcyonium,mileſium,nitrũ, auripigmentũ, gypſum uſtum, ſulphur uſtum, cadmia, pumex crematus, lixiuium, flos petræ,chryſocolla, ſandix, fucus, leonis adeps,pardi & hiænæ uehementer,caſtorium,ſepiæ teſta cremata,ſal,lana,utrumque uſtum.

Quæ craſſis partibus conſtant Cap. CCXVII

PLantaginis radix,balauſtium,acini uuæ, zingiber, cepe,cucumis, ſquammæ omnes,ſori,alumen.

Quæ corroborant Cap. CCXVIII

Caſia,galla acerba, ſtœcas,palmula,abſinthium, maſticha.

Quæ maturant Cap. CCXIX

AMomum,paſſulæ,cera,ladanum,gluten librariorum,crocus,thus, pix,maſticha Aegyptia, roſaceũ oleum,myrthinũ,ſtyrax,chalbana,chondrus,porcinus adeps, uitulinus,ſuillus,butyrum, œſypum.

Quæ ſuppurant Cap. CCXX

AQua temperata,fomento adhibita,hydrelæon, id eſt,oleum aquæ mediocriter admixtum,farina triticea,panis,chondrus,porcinus adeps,uitulinus,butyrum,thus,pix,reſina.

Quæ molliunt Cap. CCXXI

QVæcunque calefaciunt quidem,ſed non uehementer,ſimul cum deſiccatione moderata, ea ſunt quæ efficaciter molliunt,ueluti caprinus adeps, gallinaceus,anſerinus, taurinus, hircinus,medulla ceruina, uitulina,ammoniacũ thymiama,ſtyrax,chalbana, bdellium,oleum liliaceum, oleum dulciſſimum,chamæmalum,radix altheæ,agreſtis maluæ folia,maſticha chia,maſticha Aegyptia,reſina terebinthina, colophonia,opopanax, ſordes ſtatuarũ, ſordes luctatorũ, quam patum ſupra uocari diximus, butyrum,œſypum.

Quæ indurant Cap. CCXXII

SEdum,portulaca,pſyllium,lenticula paluſtris,ſolanum. membra uero indurata, uel ob ſiccitatem uel ob plenitudinẽ, uel ob concretionẽ indurantur . quod ſiccitate obduruerit,omni conatu humectari oportet:quod plenitudine,concretione exinaniri: quod moderato calore, diſſolui.euenit quidem à frigore concretio, ſed uehemens quoque caliditas eandem producit.

Quæ

Quæ abſtergunt Cap. CCXXIII

QVæcunque nitroſa inueneris, aut amara, cuncta meatus purgare poſſunt,
quæ uero tenuia dulciaq́ ſunt, hęc ſine eroſione ſordida ulcera, totamq́ cu
tim abſtergunt, ueluti erui, fabæ, hordeum, lupini, & huiuſmodi, ſimus caprinus
crematus, teſtę omnium teſtaceorum, herinacei terreſtris ac marini cinis, ſerum la
ctis, mel, uitis albæ radix, amygdala dulcia cum ſua arbore, utraq́ anagallis, ane-
monæ omnes, plantaginis folia, præſertim arida, ariſtolochia, arū, aſparagus, quē
corrudam uocant, uua taminia, aſphodeli radix, attriplicis ſemē, abſinthij ſuccus,
bulbus, elleborus uterq́, parietaria ſeu perdiciū, ſalicis ſuccus, harundinis uallaris
cortex moderate, fabæ caro, lapſana illita, lichen petris adnaſcens, uiolæ albæ par-
tes omnes, radicis platani cortex, marrubium, meum, propolis mediocriter, ulmi
folia cortex & radix, ptiſana, terebinthina efficacius, maſticha, ſagapenū modera
te, cucumeris, peponis, partes uniuerſæ, beta, tithymalus, phu, chamæpitys, halcyo
nij genus omne, terra chia, ſamia moderate, ſmiris efficaciter, cornu cerui, & ca-
præ uſtum, erui farina, narciſſi bulbus, tragacantha moderate, & oui albumen.

Quæ ora uaſorum aperiant Cap. CCXXIIII

EA uehementer calida ſunt, & craſſæ ſubſtantiæ ut etiam cruſtas inducant, ue
luti anemonę omnes, cepe, allium, taurinū ſel, irinū oleum, amaracini fex.

Quæ cutim rareſaciunt Cap. CCXXV

RAreſactoria ſunt, quæ moderate ac ſine moleſtia caleſaciunt, ac nihil prorſus
deſiccant, ut chamæmalum, althea, cucumeris agreſtis radix, coſtus, labanoti
des, nitrum, abrotonum, oleum antiquum.

Quæ denſant Cap. CCXXVI

AQua frigida, ſedum, portulaca, pinei nuclei recentes, pſyllium, lenticula pa-
luſtris, mandragoræ poma, & abſolute quæ frigefaciunt, & deſiccant.

Quæ putrefaciunt Cap. CCXXVII

AVri pigmentum, ſandaracha, chryſocolla, cantharides, pityocampæ, cedria,
elleborus niger.

Quæ eminentias reprimunt Cap. CCXXVIII

ELaterium, cucumeris agreſtis radix, ochra, mandragora, aſij lapidis flos, teſta
ceorū animaliū teſtæ, herinaceus ad pollinis formam tritus, faba, æris ſquam
ma, chryſocolla, & quæcunq́ adſtringunt, & deſiccant.

Quæ cicatricem ducunt Cap. CCXXIX

ALumen, galla acerba uſta, præcipue ſi abluatur, malicorium exiccatum, re-
crementum plumbi, ſpuma argenti, plumbum, teſtaceorum omnium teſtę,
uitrum, pumex pręſertim uſtus, ceruſſa, pompholyx, ſpodium lotum, chryſocolla,
ſtibium uſtum, diphryges, ſarcocolla. cicatricē uero erodendo inducunt atramen
tum ſutorium, cadmia uſta, æris & ferri ſquamma, & præcipue eius quod ſtomo-
ma uocatur, ærugo inextincta, calx uſta & lota.

Quæ ſuperficiem exulcerent Cap. CCXXX

CAnini rubi folia, betæ radix, allium, puleium, hyſſopum, origanum, ſepię te-
ſta, aſphodeli radix, ſemen lini, & ſalſa omnia, acria, & amara.

Cauſtica, id eſt, adurentia Cap. CCXXXI

CAntharides, diphryges, aceti fex uſta, anemona flore puniceo, allium, cinis
præſertim ficulneæ, nitrum exuſtum, æs uſtum, alumē, buccinarū teſtæ itidē
uſtæ, mænularum capita, auripigmentū, canchry, uua taminia, cnidium granum,
pirethrum

pirethrum,ſinapi.at calx uiua quidem exurit,extincta uero cruſtam inducit.

Quæ euocant Cap. CCXXXII

ANemonæ omnes, anagallis utraq;, dictamus,terebinthus, thapſia,ciclaminũ,narciſſi radix, propolis uehementer, fermentũ, fimus omnis, ſagapenũ, ſuccus cyrenẽſis & medus,laſeris liquor & radix, geniſta, qua uinciendis uitibus utimur,& ſemen,& frondium ſuccus efficaciter,terebinthina impenſius quàm reliquæ omnes reſinæ,ſulphur,bubulus fimus eorum pręſertim qui eruum comederint,calamenthum illitum,coſtus ex oleo tritus,uiſcus uehementer.

Quæ diſcutiunt Cap. CCXXXIII

ABrotonum,agaricum,capillus ueneris, ægilops,urticæ ſemen,ariſtolochiæ radix,item aſphodeli radix,& præcipue crematæ cinis,attriplex,bulbus,ſauina,muſcus, quem ſplachnũ & hypnum uocant, paſtinaca,althea, oleum dulce, oleum antiquum,raphaninũ, ricininum,thapſia, harundinis uallaris cortex uſtus uehementer diſcutit,braſſicæ & lilij folia, ladanũ,mercurialis,malua agreſtis,perſicæ mali germina,nerium, groſſi ficus agreſtis,ſuccus cyrenenſis,opobalſamum efficaciſſime,paliuri folia & radix,ruta,pix,porrum, terebinthina,oleum roſaceũ moderate, ſtatuarũ ſordes, ſampſucus, cucumeris agreſtis radix,caricæ acriores, præſertim à caprificu , beta ſine calefactione, ſed alba efficacior eſt,chalbana, ſal præſertim uſtum, ſalis flos, nitrũ,halcyonij omne genus,ſamia terra,hyoſcyamus, recens caſeus,ex acido lacte,butyrum,alumen omne,fimus omnis,uiperarum caro potenter,adeps maxime leoninus,oſſa uiperarum exuſta,& cinis.

Quæ adſtringunt. Cap. CCXXXIIII

OLeaſter,pyrus agreſtis,lentiſcus,apium,ſedũ,cytiſus,aloë,urtica,acini uuę, pyra,crocus,althea,terebinthus,glans,hyoſcyamus,nymphæa, palmulæ,luteum oui aſſatum,paliurus,caudæ equinæ radix,ſanguis concretus,cyperus,lambruſcæ flos,braſſica biſcocta,leporis coagulũ,ſpongia uſta,rhamnus,ſed alia quoque plurima ſunt, quæ adſtringunt omnibus nota.

Quæcunq; ſemen generant & uentrem excitant Cap. CCXXXV

EDulia quæ magis nutriunt flatuoſaq; ſunt.Item medicinæ omnes flatum gignentes,& calidæ.far igitur,cicer,pinei nuclei,fabæ,& ficus edulia ſunt feracia multi ſeminis,& quæ eis aſſimilantur.ſcincus uero & ſatyrium, & huiuſmodi medicinę irritantes uocari debent.at media inter cibum ac medicinam ſunt lini ſemen,eruca, orminum.

Quæ arcent ſemen Cap. CCXXXVI

EDulia & medicinę refrigerantes & quæ compingunt,craſſumq; humorẽ reddunt omnia ſemen cohibent,ueluti lactuca,cucumeres,blitũ, attriplex,cucurbita,mora,melopepones,& quæcunq; fontem humoris deſiccãt, & nihil generando ſemini cõferunt,quamuis calida fuerint,ſicuti ruta.ſi uero præter uim deſiccandi nihil etiam calefecerint,tunc multo magis ſeminis naturæ aduerſantur.

De alimentorum uiribus Cap. CCXXXVII

QVi ſanitatis curam ſuſcæperit oportet,ſi quid aliud,alimentorũ uires perdiſcere. quæ igitur attenuandi facultate pollent, anguſtos meatus aperiunt, lentores impactos exterendo,& craſſa incidendo,longus tamen eorum uſus feroſa bilioſaq; congerit excrementa, quæ ſi deinceps inedia cõſequatur in melancholicum ſanguinẽ permutantur. talia ergo parcius ſumenda ſunt, ab eis præſertim, qui bilioſæ temperaturæ fuerint: his enim tantum conueniunt, qui pituitam crudumq; & uiſcidum humorem collegerint.alimenta uero craſſioris ſucci ſi in uentriculo & hepate concoquantur ſanguinem quidem laudabilem generant,lienem tamen, & iecur obſtruunt. horum quædam craſſi tantum ſucci ſunt ſicuti lentes,

quædam

quædam uiſcidi, ut malua, quædam utriuſq; ſimul, ut piſces teſta contecti. attenuans uictus tutior quidē ad ſanitatē tuendam, quàm is qui craſſioris ſucci eſt, cū tamē exigúe alat, neq; tenorē neq; robur corpori præſtat, ita ut ſi res pro indigentię ratione pendatur, neceſſe interdū ſit offerri quæ plurimum nutriunt. præcipue uero craſſo uictu utentur exercitationibus addicti ſomnoq; pro arbitrio incumbentes. at omnes, qui ante cibū exerceri nō poſſunt, ſolidiora nutrimenta uitare oportet, ocium enim perpetuum ad ſanitatis tutelam maximo impedimento eſt, ſicuti contra motio cōmenſurata præſidium efficaciſſimum. quæ autē alimenta inter tenuitatem craſſitiemq; media ſunt, optima iudicari merito debēt & generando ſanguini aptiſſima. neq; minus ciborum uarietas tanquam omnino concoctioni rebellis uitanda eſt, præſertim ſi cibi oppoſitas habuerint facultates.

Alimenta quæ attenuant Cap. CCXXXVIII

ALlium, cepe, naſturtium, porrum, ſinapi, piper, ſmyrnium, pyrethrum, origanum, calamentum, hyſſopus, ſiſymbrium, pulcium, thymū, ſatureia uirens, namq; areſacta potius medicamentum eſt: hæc ſubſequuntur eruca, ſium, apium, petroſelinum, ocymum, raphanus, braſſica, beta, fœniculū, coriandrum, ruta, anethum, lyguſticum, cyminum, capparis, terebinthi fructus, carei, aniſi, paſtinacæ ſemen, atq; omnium odoratorum & acrium, & egregie calidorum: inter hæc uero quæ ualide attenuant, ſemen rutæ & canabis eſt, ut iam planè ad medicamenti naturam accedat. Cerealium ſeminū quæ ſine moleſtia attenuantis uictus rationem ſubeunt, primo hordeum eſt, inde triticeus panis in clibano coctus: ab cæteris omnino abſtinere oportet, niſi quis per quàm raro piſum, aut lentē, guſtare uelit. quæ uero è uictu attenuanti plurimum tibi uſum præſtare debent ſunt ſaxatiles piſces & montanæ auiculæ: omnino enim exercitatiſſima animalia ſiccioribusq; alimentis utentia puriſſimumq; aërem inſpirantia cæteris ex aduerſo degentibus antecellunt. præterea piſces mollioris tenuiorisq; carnis eligendi ſunt, duriores uiſcidioresq; recuſandi. deniq; uniuerſorum animalium carnes à mollitie & teneritate perpendes: quibus utrunq; inerit, tuto uſq; ad ſatietatem comedi poſſunt: quibus alterum tantum, ita comedendę, ut ſatietas caueatur. gallinis exercitijs deditos nō interdico, ſed & columbas turtureſq; concedo, præſertim campeſtres, & montana loca incolentes, non quidem nouiſſime interemptas, ſed ut nuperrime, ſaltem pridie: quod quidem haud tantum turturibus congruit, uerum & gallinis, & perdicibus, & omnibus quæ carnem moderate duram habuerint. Salſamenta etiam piſcium craſſos lentoſq; humores exquiſitiſſime attenuant, & incidunt: eligenda ex his quæ mollioris carnis ſint, cetaceum genus cauendum. condita aceto & oxymelite pleraq; opſoniorum offerri oportet, & prius ſale macerari quæcunq; poſſunt. è fructibus æſtiuis minime nocebunt ij qui uentrem molliunt, qui uero tarde tranſeunt reprobandi, præſertim ſi duri fuerint, qui ne guſtandi quidem ſunt, utiles tantū ſeruatu, ſicuti pyra, poma, & uuarum non pauca genera: uuas enim molliores non prohibeo, auſteræ autem & acerbæ huic uictus rationi minime accommodantur. præſtant omnibus caricæ, iuglandes, piſtacia, & amigdala ſubamarà, oliuas cur uel laudem, uel uituperem, non intelligo. è dulcibus haud edulijs tantū, ſed potionibus quoq; unicum propè mel tenuem ſuccum generat: è uinis, alba & tenuia, craſſos humores incidunt ac per urinas extrudunt: oxymeli præ cæteris attenuando aptiſſimum experimur.

Quæ craſſos ſuccos gignunt Cap. CCXXXIX.

SVbcinericius ſiligineuſq; panis, & qui rite cōfectus nō eſt, ſicut quæ pemmata & itria uocantur, ex paſſo & ſimila, & quodcunque ex triticea farina infermentatum conficit, placentæq; ex eadē materia elaboratæ, ſimila etiam & chon-

drus craſſi ſucci nō parum participes ſunt,ſicut amylum nō multum.lobis præte-rea,lupinis,& intrinſecæ lentium medullę ſuccus craſſus ineſt:nam cortex abſter ſorius eſt.fabę item frictę,& piſces qui molles uocantur,ſicuti ſepiæ,& loligines, polypi,& cetaceum genus, eiuſdem ordinis ſunt, pelamides tamen magis ad me-diocritatem uergunt.oſtrea inſuper purpuræ,buccinæ,chamæ,lopades,pectines, pinnæ,atq; abſolute teſtaceum genus elixatū.Item anguillæ, cochleæ,ceruina ca-ro,caprina,bubula,porcina,aprina,iecur,renes,teſticuli,lac decoctum,caſeus om-nis, quamuis recens & quem oxygalactinū uocant temperatiores ſint. Præterea lac acidum igne elixatum & quod protogala quaſi ſummum lactis appellatur, & oua quę uſq; ad exactam concretionem decoquuntur, præcipue aſſata, ac multo magis fricta,palmulę,caſtaneæ,bulbi,rapę,fungi,tubera,pinei nuclei,ficus imma turæ,citri caro,cucumeres præſertim uberius ſumpti, poma nondum matura, ui-na dulcia,hęc omnia craſſum ſanguinem gignunt, maxime tamen ſapa & uinum nouum aut craſſum,aut nigrum.

Quæ medium ſuccum inter craſſum ac tenuem gignunt. Cap. CCXL

PAnes optime elaborati,gallinarū,phaſianorū,perdicumq; carnes,columbi,at tagenes,auiculęq; puſillę, ac piſces ſaxatiles,& quę pelago degūt, gobiones, murenę,bugloſſi & huiuſmodi,& quicunq; neq; fetorē neq; lentorem edendo re ferant.Item ficus,& pepones,& inter agreſtia olera ſeris,quod quidem multis ole ribus nomen commune eſt,quæ deinde ſingula proprio nomine apud atticos nun cupantur,ut lactuca,chondrila,gingidium,infinitaq; alia erratica olera, quæ om-nia ſerides appellantur. huius generis corruda eſt, lauriq; terreſtris, ac uitis albæ aſparagi.Item luteum uinum dulce & ſplendidum,quale aruiſium,leſbium,pha-lernum dulce, & quod à Tmolo monte defertur, probū enim ſanguinem & craſ-ſitudine temperatum gignunt.

Quæcunq; uiſcidum ſuccum generant. Cap. CCXLI

TRiticum,quod graue,denſum,interius flaueſcēs, uiſcidū ſuccū gignit: quod uero leue rarū,candidumq; interius,lentoris minus particeps eſt.ſed & ſimi-la & chondrus inter uiſcida numerantur.Item chordæ, neruorum propagines,ro-ſtra,linguæ,porcina atq; agnina caro,ſeſami ſemen,palmulæ pingues.

Quæ crudum humorem gignunt. Cap. CCXLII

PAlmulæ recentes,ſi comedantur crudis humoribus replent.Itē rapa, teſtaceo-rum caro,quæ plurima elixatione ſalſedinem reliquerit, & piſces qui uocan-tur molles,ſicuti polypi,ſepię,& huiuſmodi,cetaceumq; genus in pelago degens, ideo illorū ſalſamenta potius uſui ſunt. iis præterea annumerantur inteſtina,uen-triculi,quadrupedum uuluæ,acidum lac,lupini,uua in uenticulo detenta.

Quæ frigidum ſuccum generant. Cap. CCXLIII

CVcumeres ad ſatietatem ingeſti,uentriculi,inteſtina,uuluæ quadrupedum, lac acidum,poma nondum matura.

Quæ ſuccum melancholicum gignunt. Cap. CCXLIIII

BVbulæ,caprinæ,taurinæ,& hircinæ carnes.Item ouium,leporum, aprorum, ac ſalſamenta quadrupedum animaliū:ē piſcibus,thunni,balenæ, & cetacea cuncta. Præterea cochleæ, braſſicæ, & arborum germina,muria ſeu ſale & aceto cōfecta,ut lentiſci,terebinthi, & cinaræ medulla.lens præ cæteris omnibus eduliū melancholicū eſt,quā ſequunt̄ ſurfuracei panes, deinde qui ex tipha,& uicia reli-quiſq; improbis ſeminib. cōficiunt̄.Itē caſei uetuſti,atq; ex uinis, craſſa & nigra.

Quæ excrementoſa ſunt Cap. CCXLV

PAlumbi,anſeres,piſces omnes præter ſaxatiles,uiſcera omnia, ſpinalis medul la,cerebrum,aues paluſtres,lacuſtres ue,cicer,faba uirens,faba Aegyptia,por corum

corum catuli,oues reliquaq́; animalia quæ ſegniter uiuunt.è piſcibus fluuiales & lacuſtres quiq́; limoſas aquas incolunt,& cetacea cuncta.

Quæ excrementis carent. Cap. CCXLVI

COlla,caudæ,alæ & agreſtiũ animaliũ caro,& quę ſiccis regionibus degunt.

Quæ plurimum nutriunt. Cap. CCXLVII

CIcurum porcorum caro,præ cæteris omnibus primas nutriendi partes obtinet. bubulum cerebrum, teſticuli,cor,ſpinalis medulla, & medullæ omnes, anſerum alæ,præcipue tamen gallinarũ.omnium animalium uentriculi,cochleę, præſertim ſi ter elixentur.è teſtaceis quæ duriores carnes habent,ſicuti purpuræ, buccinæ,& huiuſmodi. præterea aſtaci quos gammaros uocant, paguri, cancri, locuſtæ,ſquillæ.item qui molles uocantur,ut polypi,ſepiæ,lolligines: & è carthilagineis quos ſelachios appellant,torpedo,turtur moderate,rhina impenſius,muli & gobiones minus. lac eo magis alit, quo craſſius, quo uero humidius,minus. panis ſiligineus inter omnes maxime nutrit: deinde ſimilaceus, tertio impurus, quem ſyncomiſton uocãt. item triticum elixatum,ſimila,chondrus, fabæ carnem minime firmam ac ſolidam,ſed hiulcam potius laxamq́; generant. at cicer magis nutrit,ſicut phaſeli & ochri fœnugræco præſtant.dolichi quos lobos uocant,piſis non minus alunt.item caſtaneæ,lentes,palmulæ,paſſulæq́; dulces & pingues, rapæ,bulbi,egregie alunt,præſertim qui bis fuerint elixati.mel deſpumatum,diſtributioni nutritioniq́; idoneum redditur. uinum omne craſſitiei particeps,ſed magis quod rubrum craſſum adſtringensq́; fuerit.minus uero quod album, craſſum & auſterum,minime omnium tenue & album: deniq́; omnia craſſum ſuccum reddentia,ſi recte concoquuntur,plurimum nutriunt.

Quæ modice alunt. Cap. CCXLVIII

EXtrema animalium, uulua,uentriculus, inteſtina, caudæ, aures, pinguedo, adeps.omne auium genus quadrupedibus comparatum parum alit:caro etiam ueterũ minus alimenti quàm adoleſcentium affert,ſed & piſces tenuiorẽ ſanguinem reddunt,atque è teſtaceis qui molliores carnes habent,ſicut oſtrea,panes hordeacei & polenta.panes item furfuracei & ſordidi omnes & abluti.amylum, puls è farina hordei,bromus,milium,ſed præcipue pannicum, oriza,fabæ uirentes,papaueris ſemen, mora,amygdala,piſtacia,pruna, perſica,armeniaca, precocia,oliuæ,præſertim drupæ,ponticæ nuces, iuglandes,ſerica,ſeu ziziphæ,baccę, corneæ,mora rubi,prunula agreſtia,capparis,præcipue ſale macerata, terebinthi cymæ,braſſica,beta,raphanus,ſinapi,aſparagi omnes,paſtinaca,daucus,carus,cepe, allia,porri, crudi quidem nullum nutrimentum corpori præbent. elixati uero bis aut ter,pauciſſimum,mala punica,pyra,cucurbitæ,paſſulæ auſteræ & acidæ. ambigunt quodammodo inter hęc,quæ parum nutriunt,phaſeli,ochri,cicerculę. ficus autem pauci nutrimenti non ſunt, ſicut reliqui æſtiui fructus; tumidam tamen inanemq́; carnem generant,ſed uuæ ficubus alendo cedunt tumidiorem inanioremq́; carnem ſuggerentes.

Quæ boni ſucci ſunt. Cap. CCXLIX

PRæſtantiſſimũ ſuccum generat optimum lac præ cunctis ferè omnibus quæ offeruntur.optimum uero lac eſt,quod à bene habentibus animalibus nuperrime mulctum potatur, dum adhuc innatum calorem conſeruat. deinde trementia oua & ſorbilia gallinarum aut phaſianorũ, pulli gallinacei. piſces penè omnes laudabilem ſuccum generant, præter paluſtres & lacuſtres, & qui limoſos turbidosq́; incolunt amnes:odore uero & guſtu piſcium natura dignoſcenda eſt.nam qui in deprauatis aquis morantur,fœtidi,guſtu ingrati ac uiſcidi fiunt. quadrupedum carnes ſi bene concoquunt̃,laudabilem ſanguinem gignunt:præſertim quæ

boni ſucci fuerint,quale porcorum genus eſt.roſtra præterea & extremitates omnes,& uolucrum alæ.inteſtina uero uuluæ & caudæ,ſucci bonitate carni nõ adæquantur,ſed glandulę,ſi recte concoquantur,carni non cedunt.cor mali ſucci non eſt.porcorum pedes roſtro & auribus præſtant,& agreſtium animaliũ carnes meliores ſunt quàm domeſticorum.item panis optime elaboratus,chondrus,ptiſana rite confecta,fabæ,caſtaneæ nõ improbandæ,ficus & uuæ quæ maturuerint:uuę penſiles probantur,caricę,ſi bene diſtribuant̃ laudabilis ſucci ſunt,ſed ſi in uentriculo morantur,uitioſæ fiunt & pediculos gignunt.Quod ſi cum iuglandibus comedantur,optimæ efficiuntur..qui tamen ficubus & caricis aſſidue utuntur, nocumento non leui ſubiacent.lactuca pro olerum ratione probum ſanguinem reddit,quam deinde ſequuntur intyba.uina odorata,optimi ſucci ſunt,quale phalernum dulce eſt,& quod à Tmolo defertur.

Quæ mali ſucci ſint. Cap. CCL

AB omnibus edulijs mali ſucci quamuis bene concoquantur, omnino abſtinendũ cõſulo.ſenſim enim ex his temporis progreſſu irrepit depravatus humor intra uenas collectus,qui qualibet leui occaſiõe putrefactus maleficas febres accendit.peſſimi ſucci ouina, caprina, ac potiſſimum hircina caro eſt.inde arietina,mox taurina,quorum omnium caſtrata ſalubriora ſunt,uetera infeſtiſſima.ſcrofina caro craſſiorem quidem ſanguinem gignit, bono tamen ſucco aptiorem quàm bubula & ouina,ſed nihilominus ipſa quoq; mali ſucci cenſenda eſt,quemadmodum & ceruina.renes præterea & perfectorũ animalium teſtes,præter gallorum,cerebrum,ſpinalis medulla,lien, oua fricta,caſei recentes,boleti,amanitæ,fœnogræcum,lentes,auenę.cicer boni ſucci non eſt:olyra autem tanto tritico cedit,quãto tiphæ & auenę præſtat.miliũ noſtrate & indicum,& reliqua huiuſmodi probanda non ſunt.è piſcibus dracones, callionymi,ſcorpiones, trachuri,muli, orphi, glauci, zygęnæ,congri, phagri, & quæcunq; in mari cetacea degunt animalia, omnia mali ſucci ſunt . item fructus omnes æſtiui, poma immatura, pyra, perſica,mala punica,meſpila, corna,pruna ſyluestria, ſiliquæ, terebinthi fructus, cynara præcipue quando induruerit.cucumeres,pepones,cucurbita, his quidem incolumior,ſed & ipſa in uentriculo corrupta peſſima efficitur.ficus & caricæ inter æſtiuos fructus minus quidem uitioſi ſunt,uberius tamen ſumpti ſanguinem non adeo laudabilem gignunt.Propterea pediculorum copiam ſuggerunt. olerũ uero nullum boni ſucci eſt.Ambigunt inter utrunq; lactuca,intybum,malua,blitum,attriplex.olerum radices guſtu quidem acres uitioſi ſucci ſunt,ut cepæ,porri,allia,raphanus,paſtinaca.utriuſque uero extremi participes,rapa & quæ carus uocatur.ocymum peſſimi ſucci eſt,rapa quæ crudior fuerit,braſſica,bulbi,niſi exquiſite elixentur.cepe uero, allia, & porrum ſi bis coquantur, ſucci malitiam deponunt.deterrima omnino olera ſunt,quæcunq; agreſtia uocãtur.item uina craſſa guſtu & odore ingrata & auſtera,quemadmodum uile bithynum,quod in magnis dolijs defertur . nam quod in paruis continetur , neque planè boni ſucci neque mali eſt.

Quæ bene concoquuntur. Cap. CCLI

PAnes optime confecti, petrini piſces, gobio, torpedo, turtur ſi auium generi comparetur . uolucrum uero caro quadrupedum generi collata facilius concoquitur præcipue perdicis,attagenis,columbæ,phaſiani,anſerum, alæ,& magis gallinarum,omninoq; alæ omnes pullorum bene educatorum: peſſime uero macilentorum & ſeneſcentium:iecur anſerum ſero lactis ſaginatorum,& teſtes gallorum ſimili modo nutritorũ,concoctu facilimi. porcorum carnes concoctioni accommodãtur,uigentibusq; ętate,& laborantibus uigentiũ carnes offerri debent.

reliquis autem porcellorum qui adhuc adoleſcant. uituli perfectis bobus coctioni aptiores ſunt, ſicut hædi capris, ſemperq; adoleſcentium animalium caro & arida loca incolentium reliquis præferēda eſt. præterea iuglans magis quàm auellana concoquitur: bulbiq; bis elixati concoctu faciles fiunt. item oua trementia & ſorbilia, lactuca, intyba, malua, cucurbita elixata, niſi putreſcat in ſtomacho facilem coctionem ſuſcipiunt. uina uero dulcia auſteris præferūtur. Quicquid enim dulce eſt maiori iocunditate conficitur.

Quæ difficulter concoquuntur, Cap. CCLII

CAro quidem bubula, ceruina & hircina concoctu difficiles ſunt, ſed hircina peſſima omniū eſt: deinceps arietina, poſtea taurina, omninoq; uetuſta animalia deterrima habentur. antiqui uero ſues cum fibroſi & aridi ſint, propterea confectioni reſiſtunt. uentriculus, inteſtina, uuluæ, cor, iecur, aures, caudæ, renes, cerebrum, ſpinalis medulla, perfectorum animalium teſtes, anſeres, exceptis alis, ægre omnia concoquuntur. palumborum autem, turdorum, merularum, puſillarumq; auium caro durior eſt: præcipue turturis antiqui & anatis, quibus tamen duritie & fibroſitate pauones & otides præſtant. uentres etiam uolucrū uniuerſi concoctu difficiles ſunt ob ſubſtantiæ ſoliditatem, falluntur enim qui ſtruthionis & mergi uentriculos probant, cochleæ præterea. lac acidum, caſeus uetuſtus. nam recens præſertim qui oxygalactinus dicitur, præſtantior eſt. purpurarū, buccinarum aliorumq; teſta intectorum caro, quæcunq; ſolidioris corporis ſunt, aſtaci, locuſtæ, cancri, paguri, ſquillæ & huiuſmodi. polypi, ſepiæ, loligines & omnia quæ molliori carne conſtant: bati, liobati, rhinæ, dracones, cuculi, callionymi, ſcorpiones, trachuri, oua elixata & fricta, triticum elixatum, tipha, bromus, faba, dolichi, phaſeli, cicer, oryza, lupini, milium utrunq; indicum & noſtrate, lentes, ſeſamum, caſtaneæ, poma, pyra, palmulæ omnes: ſiliquæ, ocymum, rapæ, bulbi crudiores, paſtinaca, daucus, nuces. omnes olerum radices, ipſaq; olera, præter lactucam & intyba. è uinis craſſa & noua, concoctu difficilia ſunt: aqua tamen longe difficilius concoquitur.

Quæcunq; ſtomachum roborant firmantq;. Cap. CCLIII

PAlmulæ auſteræ, poma cydonia, oliuæ ſalſæ: utiliores tamen quæ aceto confectæ ſunt. paſſulæ auſteræ, uuæ in uinaceis ſeruatæ, iuglans potior auellana, præſertim cum caricis. gingidium ſicut ſcandix comeſtū ſtomacho ualde cōfert, crudum & elixatum, prolixiorem tamen decoctionem non tolerat. cinara egregie, raphanus, rapa, cardamomum, paluſtris aſparagus, cimæ, chamædaphnæ, oxyacanthæ & uitis albæ. bulbi uero appetendi uim excitant, & ſalſamenta omnia. citri pars extima, medicamenti ratione ſumpta ſtomachum firmat, auſterum uinum os uentriculi roborat, ipſumq́ue uentriculum, qui intemperiem calidam patitur.

Quæ ſtomacho infeſta ſint. Cap. CCLIIII

BEta ita ut ſingultum excitet, ſi uberius comedatur, ocymum, rapa crudior. blitum attriplex, niſi aceto oleo & garo condiatur, fœnugræcum & ſeſamum ſtomachum euertūt. lac in frigidioribus uentriculis aceſcit, in calidis ad nidorem mutatur: iure ergo febrientibus nocet, ac ſi quis cum melle ſumpſerit uomitū cit. Pepon immaturus cholericos affectus inducit. omne item cerebrum ſtomacho infeſtum eſt, & nauſeam excitat, quemadmodum & oſſium medulla. uinum auſterum quidem & nigrum facile aceſcit, craſſum uero & nouum uomitū mouet.

Quæ flatum diſcutiant. Cap. CCLV

CYminum, liguſticum, uiticis & cannabis ſemina, fabæ frictæ, bulbi bis elixati & ex aceto oleoq; comeſti, mel decoctum & expumatum, panes hor

deacei, hæc omnia flatu carent. media uero ſunt inter flatuoſa & flatu carentia, piſi, phaſeli, ochri, cicerculæ.

Quæ flatuoſa ſint. Cap. CCLVI

Cicer, lupini, milium indicum & noſtrate, fabæ, lobi, non æque tamen ac fabę, maza ex polenta, ſucci omnes, præcipue cyrenenſis, & laſeris liquor radicesq;. flatus uero ficuum ob celerem deiectionem perbreuis eſt: & ſi exquiſite maturuerint, prope inſontes euadunt. palmulæ uirentes caricis generando flatu aſſimilantur. Lac quoq; & rapa crudior facile in uentriculo ſpiritum gignunt. bulbi item crudiores. mel ſemicoctum, uina dulcia, & quæ dulcia ſimul auſteraq; ſunt, flatum tarde ſecedentem inducunt. paſſum autem muſto ſimile eſt.

Quæcunq; abſtergunt, incidunt, aperiunt. Cap. CCLVII

Ptiſana abſtergit, fœnugræcum, melopepon, paſſulæ dulces, fabæ, cicer, præcipue nigrum. capparis egregie attenuat, abſtergit, purgat & aperit, præſertim ex oxymelite aut aceto, & oleo, ante reliquos cibos comeſta: betæ etiam ſuccus abſtergit, maxime ſi cum ſinapi & aceto comedatur. bulbi attenuãdi aperiendiq; uires habent. cepe, allia, porri, craſſos lentosq; humores attenuant & incidũt. ſerum item lactis humorum craſſitiem extenuat. ficus abſtergunt, ut multa arenoſa è renibus pellant. caricæ attenuant, inciduntq; & renes expurgant. amygdala exterunt ſubtiliantq;, & uiſcera mundificant, excreationesq; pectoris ac pulmonis magis paratas reddunt. piſtacia ad iocinoris robur utilia, ad humoresq; exterendos qui in uaſis eius impacti fuerint. raphanus extenuandi uirtute pollet, ſed nihil melle ad extenuandum præſtantius, præcipue quod à calidis ſiccisq; floribus collectum ſit, ideo mulſa & oxymeli ad ſputa educenda utiliter exhibentur: quæ ſi liquida fuerint, & lentore carentia, uiſcera etiam feliciter purgãt, præcipue tamen thoraci & pulmoni conferunt qui craſſum humorem collegerint: idem uina antiqua & tenuia cum quodam acumine efficiunt. At uinum aquoſum quod eſt album & perquam tenue ad excrementa è pulmone euocanda efficaciſſimum eſt: corroborat enim ſuccosq; humectat, ac moderate incidit. uinum dulce in acutis ægritudinibus refectioni idoneum, ueluti in peripneumonia & pleuritide, ubi iam facta fuerit maturatio.

Quæ obſtruunt. Cap. CCLVIII

Lac cui minimum ſeri, plurimum inſit caſei, tutum non eſt ſi uberius ſumatur: renes enim lædit, qui ad calculos generandos parati ſint, iocinorisq; obſtructiones efficit in his qui ad id morbi genus perpetiendum natura inclinentur. caricæ quoque iocinori & lieni inflammatis officiunt, quemadmodũ & ficus dulciaq; uniuerſa utrique uiſceri ſemper infeſta ſunt. Mulſa quoque aduerſatur his quibus uiſcera ſcirrho uel œdemate, uel alia inflammatione intumeſcunt: ſed & palmulæ obſtruunt, præcipue immaturæ, omniaq; liborum genera, & quæ ex ſimilagine præparantur opplent, craſſioremq; reddunt lienem, ac calculos renum generant. eodem pacto triticea farina cum lacte & condrus iocinori imbecillo aduerſantur. præterea uinũ dulce renibus nocet calculo generando idoneis, idemq; auget uiſcera, & flatu replet.

Quæ tardi tranſitus ſint. Cap. CCLIX

Omnia liba & quæ ex ſimila fiunt tarde pertranſeunt, & fabæ frictæ, panes ſinceri, lentes decorticatę, cerebrum, ſpinalis medulla, iecur, cor, triticum elixatum, oua aſſata & fricta, lupini, phaſeli, piſum, ſeſamum, poma, pyra nondum matura, ſiliquæ, uina dulcia, ſed multo magis auſtera & nigra ſine dulcedine, & quod craſſum nouumq; fuerit: aqua uero tardioris tranſitus eſt.

Quæ facile corrumpuntur Cap.CCLX

PErſica, armeniaca, præcocia, & è fructibus æſtiuis quicunque temperamento humidiores ſunt, in uentriculo facile putreſcunt, ſi propera deiectio non præuenerit. omnia uero è uitioſo ſucco conſtantia, humida, lubrica, & deiectioni parata, ante reliquas dapes offerenda ſunt. ita enim cito ſecedunt, ac cæteris iter præſtant. Quod ſi poſtrema ſumantur, alijs quoq; impartiuntur putredinem.

Quæ difficulter putreſcunt. Cap.CCLXI

CHamulas paruas, purpuras buccinas, & quæ in teſtaceo genere duriori carne conſtant, his exhibemus, quibus ob uitioſorũ humorum copiam in uentriculo alimentum corrumpitur, bis aut ter in optima aqua elixãtes, inde in aliam feruentem transferentes, donec ſalſedinem omnem exuerint. ſimiliq; modo aſtacos, paguros, cancros, locuſtas, & ſquillas & quæcunq; carnem habuerint corruptioni renitentem, ſicut habent teſtacea cuncta quæ ſolidioris corporis ſunt.

Quæ aluum citant. Cap. CCLXII

LEns, braſſica & marinorũ piſcium omnes teſta intecti, ac cochleæ mixta natura conſtant: ſingulorum enim ipſum quidem ſolidum corpus uẽtrem ſiſtit: humiditas uero deijcit. ſi quis ergo lentẽ, aut braſſicã, aut quippiã eorũ quæ dicta ſunt elixauerit, inde oleo garo & pipere decoctũ condiuerit, & alicui potandũ dederit, conſpiciet aluum à tali potione citari. Marinorum etiam herinaceorum & conchularum, uetuſtorumq́ue gallorum iura uentrem deijciunt. Braſſicam uero ubi aluum mollire uelimus, oleo & garo condimus: neque multum decoqui ſinimus. panes præterea furfuracei uentrẽ ducunt. fœnugræci cremor cum melle decoctus omnes deprauatos humores ab inteſtinis expellit. modicum eſſe oportet mel quod illi admiſcetur, ne ſtomachum erodat. Item oliuæ ſalſæ ante cibum comeſtæ. lac liquidius magis deijcit, craſſius uero minus, ſed ſerum efficax eſt: miſcendum illi tantum mellis quantum ſatis ſit ad dulcedinem, ne ſtomachus euertatur. qua ratione etiam ſal addendum, ne guſtus abhorreat. caro animalium, quàm maxime iuuenculorum facilius aluum ducit. ſimili modo è piſcibus chartilagineis torpedo & turtur moderate laxant. idem faciunt malua, beta, caſeus nuperrime coagulatus cum melle, attriplex, cucurbita, pepones, melopepones, ficus, caricæ, uuæ dulces, præcipue ubi humidæ ſint. mora ante cibum ſumpta, iuglans adhuc uirens, uel etiam arida, ſi modo aqua præmaduerit. pruna recentia, aut ſicca, quæ mulſa prius madefeceris: ubi tamen mulſæ pluſculum mellis inerit, tunc pruna efficaciſſime uentrem mollient, ſi ea ſolum comederis: ſed multo magis ſi mulſam ſimul potaueris. Aſſumptis mollientibus uini dulcis quippiam bibere oportet, inde interiecto pauco temporis interuallo prandere. Mora uero, ceraſa, præcocia, perſica, uniuerſaq; aquoſa & humida, & omnino quæcunq; guſtantibus odorantibus ue nullam eminentem afferunt qualitatem, mediæ quodammodo facultatis ſunt deijciendo aut ſiſtendo. mel tantum ſi quis incoctum lambat, egregie aluum ducit. uinũ dulce cõfert eductioni quæ inferius fit, ſed paſſum aperte mollit.

Quæ uentrem detinent. Cap.CCLXIII

PAlmulæ auſteræ, paſſulæ auſteræ, mora rubi, prunula agreſtia, poma adſtringentia, pyra, mala punica. aſtaci ſeu gammari, paguri, cancri, locuſtæ, ſquillæ, & reliqua cruſtacea, minus quidem uentrem ducunt quàm teſtacea: habẽt tamen & ipſa ſuccum quendã ſalſum excitatorium, quem ſi elixatione depoſuerint, ueluti oſtreorum cæterorumq; teſtaceorum caro aluum detinent. idem faciunt lentes & braſſicæ bis coctæ. ubi enim ſiſtere aluum cogitauerimus, ſuper braſſicam quæ ſemel ſatis decocta fuerit, priori aqua abiecta aliam feruentem infundimus,

ruſſusq́ elixamus donec flacceſcat.oportet bis coctam neq; aerem neq; frigidam aquam attingere, alioqui nunquam ſuperueniet flacciditas, etiam ſi deinceps q́ diutiſſime elixaueris. lens excorticata adſtringendi efficaciam amittit, neque ita uentrem deſiccat.ſi tamē eam quoq; bis decoxeris,inde cum modico ſale,aut garo condieris,addito quopiam eorum quæ uentrem ſiſtunt,ita ut guſtus non offendatur,fiet ſimul & medicamentum utiliſſimum,& edulium ſuauiſſimum.Præterea polenta è uino auſtero bibita,oryza,pannicū,milium tam indicum quàm noſtrate,leporina caro, uinum auſterum, & nigrum ſine dulcedine, albumq́; & flauum utrunq; auſterum uentrem compeſcunt.

Quæ calefaciunt. Cap.CCLXIIII

TRiticum elixatum,& panis qui ex ipſo conficitur,tipha,bromus,fœnogræcum,palmulæ dulces, poma dulcia,& medij ſaporis, ſeſamum, paſſulæ dulces,propterea & reliquis magis ſiticuloſæ ſunt, apium, ſmyrnium, eruca, raphanus,rapa,ſinapi,naſturtium,pyrethrum,paſtinaca,carus,allium,cepe,porrum, caſeus uetus,uinum dulce moderate calidum eſt,ideo ſiticuloſum,fuluum tamē nigro calidius, ruffum omnium calidiſſimum, deinde fuluum,deinde rubeum, poſtea album quod minime omnium calefacit, antiquiſſimū uero calidiſſimum eſt.

Quæ frigefaciunt. Cap.CCLXV

HOrdeum quomodocunq; utaris,milium,pannicum,tubera,cucurbita,melones,melopepones,ficus,pruna,mora, uuæ auſteræ & acidæ, paſſulæ auſteræ,poma adſtringentia acida & inſipida,pyraq́; eiuſdem generis,punica adſtringentia,palmulæ ſaporis ſucciq́; frigidi ſunt.lactuca,intyba,lenius tamen,portulaca,papaueris ſemen,aqua.uinum aquoſum manifeſte non calefacit, ideo febrientibus exhibet̄.uinū album & auſterū minime pro uini ratione calidū eſt.albū uero auſterum & nouum aperte infrigidat.acetum etiam tenuis ſubſtantiæ eſt & refrigerat,ideo præ cæteris frigidis neruos tentat.ambigūt inter calefacientia & refrigerantia panes loti,amylum,uuæ uinoſæ.

Quæ exiccant. Cap.CCLXVI

LEns,braſſica,polenta,uiticis ſemen,orobi bis cocti & ſæpius aqua dulcorati, præſtant reliquis albi & qui aſſi aut fricti comeduntur.aridum alimentū corpori præbent:aridius etiam præbebunt quibus plus gari & uini ſit iniectum. plurimum enim intereſt quomodo condiant̄ ſemina,olera & plantæ,nam condimenti ratione magis aut minus ſiccare poſſunt.

Quæ humectant. Cap.CCLXVII

PTiſana,cucurbita elixata,pepones,melopepones,cucumeres,iuglandes uirides,pruna,mora,ſycomora.lactucæ uero,intuba,malua,blitum,attriplex olerum humidiſſima ſunt.Fabæ etiam uirides & cicer humectant. at calida aqua calefacit quidem & humectat,frigida autem refrigerat.

Quæ caput tentant. Cap.CCLXVIII

PAlmulæ omnes,eruca,fœnugræcum,mora rubi. præterea uinum fuluum & auſterum dolorem capitis excitat,& mentem lædit.aquoſum uero neq; capiti dolorem affert,neque neruis officit,nam pauciferū etiam dolores ſedat, qui humorum in ſtomacho contentorum cauſa contigerint.lac quoque capiti nocet,niſi ualde robuſtum fuerit, & aqua in qua uuæ madefactæ ſint, quam tryga quaſi feculam uocant,uuaq́; in uinaceis ſeruata.

De electione ſimplicium medicamentorum. Cap. CCLXIX

AGaricum præſtantius eſt quod pectines rectos habet. acaciam eligito leniter fuluam & odoratā.aloe optima quæ pinguis ſine calculis æqualis, ſplendida

dida, denſa, ſubfulua, friabilis, iocinoris colore, facile humeſcens, odorata, amariſſima: nigram & duriſſimam reijcito. amomum eligito, recens, album, ſubrubrum, non compactum, ſed ſolutum diffuſumq́, ſemine refertum racemulis ſimili, grauiſſimum, odoratum, minime ſitum redolens, guſtu acre, colore ſimplex & nullatenus uarium: adulteratur amomide perquàm ſimili herba: fruſtula ſemper abijcito, electis ab una radice ramis. amoniacum eligito, ſine lignis thus redolens, granulis liberum, denſum, minime ſordidum, odorem ueluti caſtorei referens, guſtu amarum. aſpalathũ grauem eſſe oportet, colore igneo ſubrubro, aut purpuraſcente, denſum, odoratum, guſtu amarum. abſinthium melius eſt quod in ponto & cappadocia naſcitur. bitumen optimum eſt purpureo colore ſplendidum, grauiſſimum odore, nigrum reprobandum. adulteratur enim admixta pice. Elleborum nigrum eligito adultiſſimum, tenui medulla, guſtu acrem & igneum: talis in helicone & parnaſo & anticyra naſcitur. album uero ne eligito. euphorbiũ eligito acre & ſplendidum. uiſcum optimum lenis marrubij colorem referens, interius ſubflauum, nihil habens aſperi aut furfuracei: colligitur à quercu, fraxino, pyris, & alijs arboribus. glutẽ piſcium quod ichthyocollam uocãt, probatur glaucum, ſubcraſſum, tanquam ſcabioſum, celerrime liqueſcẽs. calamus aromaticus probatur denſis geniculis, & qui fractus in multa fruſta diſſiliat, plenis aranearum fiſtulis, ſubalbidus, mandendo uiſcidus, adſtringens, ſubacris. cardamomum optimum eſt quod ab armenia defertur. eligito terenti contumax, farctũ, occluſum. caſſia probatur ruffa, coralliq́ ſpeciem reddens, foramine anguſto, æqualis, longa, fiſtulis craſſis, guſtu mordax & adſtringens, odorata, uinum redolens. purpurea uero & craſſa quam zegir uocant, roſam olet. cera præfertur pontica, ſubpinguis, odorata, pura. ladanum optimum eſt odoratum ſubuiride, molle, pingue, ſine arenulis, tale à cypro defertur. gluten probatur rhodium album ſplendidum, nigrum deterrimum eſt. gummi eligito uermiculatũ, uitri ſplendore, minime lignoſum, candidum: reſinoſum uero ac ſordidũ reprobato. coſtus optimus arabicus, candidus & leuis, ſed neq́ ſyriacus reprobandus, colore buxeo, nares odore percutiens, præſtantiſſimus recens, farctus undecũq́ denſus, aridus minime carioſus, guſtu mordax & igneus, adulteratur helenij radice, ſed facile deprehenditur. neq́ enim guſtu feruet heleniũ, neq́ ualidũ odorem & ferientem poſſidet. crocus optimus eſt coricius, recens, coloratus, parum candoris in capreolo retinẽs, procerus, integer, bene educatus, farctus, frangenti cõtumax, digitos attritu inficiens, colore iucundo, minime ſitum redolens, ualido odore & acri: qui talis non fuerit uel antiquus, uel dilutus eſt, ut facilius teratur. oportet prius ſub ſole in fictili nouo cõtineri. crocomagma ita conficitur: croci drach. c. amyli, myrrhæ troglodyticæ, gummi, ſing. drach. l. tere cum uino odorato & confice paſtillos, atque in umbra ſiccato & utere. cyperi radix optima eſt grauiſſima, denſa, ſolida, frangẽti cõtumax, craſſa, odorata, cũ aliqua acrimonia. thus maſculũ eligito rotundũ, integrũ, cãdidũ fractũ interius, pingue. adulterat̃ reſina pini aut gũmi, ſed facile deprehendit̃. thuris corticem craſſum eſſe oportet, pinguẽ, odoratũ, ſquãmoſum, mẽbranoſum; adulterat̃ mixto cortice pinus aut piceę, ſed igne deprehendit̃: reliqui enim ſuffiti fumũ reddũt, ſed iſte cũ odoris iocũditate ſicuti thus ardet. medulla optima ceruina eſt, deinde uitulina, deinde taurina: colligẽda eſt in fine æſtatis appropinquãte autũno, nã reliquis tẽporibus ſanguini admiſcet̃. præparat̃ repoſitioni quę recens eſt ſubacta et aqua diluta, mox ſetaceo cribro excolata ac rurſus deinde lota, donec aqua reddat̃ pura, poſtea ſartagine liquefit, & fluitãtes ſordes penna auferunt̃. demũ ubi concreuerit, in fictili nouo reponitur, deraſa prius diligenter fece quæ ſub-

ſederit,poſtquam liquefacta excolataq́ʒ fuerit. panaceæ radix melior arida eſt & candida ſitu carens, guſtu feruida, odorata. eiuſdem plantæ liquor optimus eſt, guſtu amarus,exterius uirens,interius candicans,æqualis,pinguis qui citò ſoluatur,graui odore,guſtu ſeruens.myrrha troglodytica excellit,ſubuirens,ſplendida. quæ uero picis colore eſt reprobatur. myrrha quam ſtacten uocãt, probatur odorata æqualis,& cui oleum admixtũ non ſit. ſtyrax præſtat qui ſuluus eſt,pinguis, reſinoſus,grumis refertus,ſubcandidus,odoratiſſimus,& qui dum tractatur melleam humiditatem refert.tragacantha optima eſt ſplendida,lenis, tenuiſſima,pura,ſubalbida. hyoſcyamum eligito qui candidum florem emittit. chalbana excellit, quæ thuri ſimilis eſt & gleboſa, pura, ſine lignis, habens etiam quidpiam ſeminis admixtum, odore graui, neque extreme humida, neque ualde ſicca. gagates lapis eligendus qui facile incenditur, odore bituminis. melanteria optima eſt,ſulphureo colore lenis, pura, attractu ſtatim nigreſcens. Pompholyx cypria excellit: quæ ſi aceto irrigetur, æris odorem reddit colore quadamtenus æruginoſo, guſtu fœtida, & accenſa æruginoſi coloris efficitur.

AETII AMIDENI LIBRI SECVNDI FINIS
IOANNE BAPTISTA MONTANO
MEDICO VERONENSE
INTERPRETE.

QVAE IN LIBRO TERTIO AETII AMIDENI CONTINENTVR.

De præparatiua frictione Cap. i
De exercitijs Cap.ij
De exercitijs particularibus Cap.iij
De frictionibus particularibus Cap.iiij
De uociferatione Cap.v
De geſtatione Cap.vi
De equitatione Cap.vij
De uenereis ex Ruffo Cap.viij
De operimento arenæ alijsq́ʒ fomentis ex Antylo Cap.ix
De inciſione uenæ ex Galeno Cap.x
De menſura euacuationis Cap.xi
Quomodo uenæ incidendæ Cap.xij
Quomodo uena incidenda ex Antylo Cap.xiij
De inciſionis magnitudine ex eodem Cap.xiiij
De figura diuiſionis ex eodem Cap.xv
De eligendo tempore ad uenæ ſectionẽ ex Galeno Cap.xvi
De iteratione ex eodem Cap.xvij
De arteriarum ſectione ex eodem Cap. xviij
Ad ſanguinem retinendum Cap. xix
De cucurbitulis ex Antylo Cap. xx
De ſcariſicatione ex Galeno Cap.xxi
De irudinibus ex Galeno Cap. xxij
De purgatione ex Antylo Cap.xxiij
De bilem flauam purgantibus, & primo de aloe Cap.xxiiij
De ſcammonia Cap. xxv
De peplio Cap. xxvi
De elleboro nigro Cap.xxvij
De bilim atrã educentibus Cap.xxviij
De epithymo Cap. xxix
De polypodio Cap. xxx
De puleio Cap.xxxi

De ar-

De armenico Cap. xxxij
De centaurio minore Cap. xxxiij
De pituitam purgantibus Cap. xxxiiij
De colocynthide Cap. xxxv
De tithymalo Cap. xxxvi
De iſio Cap. xxxvij
De elaterio Cap. xxxviij
De cnidio cocco Cap. xxxix
De agarico Cap. xl
De cnici ſemine Cap. xli
De lathyri Cap. xlij
De ariſtolochia ſurculoſa Cap. xliij
De mercuriali Cap. xliiij
De cucumere agreſti Cap. xlv
De ſtyrace Cap. xlvi
De thymo Cap. xlvij
De cyclamino Cap. xlviij
De ſcordio Cap. xlix
Chamæpitys Cap. l
Bdellium Cap. li
De aquam ducentibus Cap. lij
De ſquamma æris Cap. liij
De euphorbio Cap. liiij
Chamelæa lv
Sanguinem purgantia Cap. lvi
Methodus componendarũ medicinarũ quæ purgant Cap. lvij
Ex theone uini bilim purgantis præparatio Cap. lviij
Pituitam ducens Cap. lix
Ad melancholicos aliud Cap. lx
Aliud uinum polypodites Cap. lxi
Vinum mulſum fimũ educens Cap. lxij
Vinum mulſum bilem flauam educens Cap. lxiij
Vinum mulſum quod pituitam ducit Cap. lxiiij
Vinum mulſum ad melancholicos Cap. lxv
Conditum ad flauam bilim Cap. lxvi
Conditum ad pituitam Cap. lxvij
Conditum ad melancholiã Cap. lxviij
Abſinthatũ ad flatus & fimum educendum Cap. lxix
Abſinthatũ amaram bilim flauam educens Cap. lxx
Abſinthatum ad pituitam Cap. lxxi
Roſatum flauam bilem euacuans Cap. lxxij
Roſatum pituitam, aquoſa, melancholiam & bilim educens Cap. lxxiij
Mellis roſati cathartici præparatio Cap. lxxiiij
Aceti cathartici præparatio Cap. lxxv
Oxymelitis purgantis præparatio Cap. lxxvi
Oxymeli uniuerſam cacochymiam expurgans Cap. lxxvij
Oxymeli colicis per clyſterem inijciendum Cap. lxxviij
Oxymeli amarum Cap. lxxix
Fuſca uentrem molliens Cap. lxxx
Gari cathartici compoſitio Cap. lxxxi
Laxantis mellis cõpoſitio Cap. lxxxij
Oxymeli laxatorium proſimelitæ Cap. lxxxiij
Hydrogaron laxatorium Cap. lxxxiiij
Oenogarum purgans Cap. lxxxv
Iura purgantia Cap. lxxxvi
Lac purgans Cap. lxxxvij
Oliuæ purgantes Cap. lxxxviij
Oxyporia purgantia Cap. lxxxix
Oxyporion diaphenicon, id eſt è palmulis Cap. xc
Catharticum ex citonijs malis Cap. xci
Catharticum ex citrijs Cap. xcij
Catharticum per fœniculũ multum inſigne Cap. xciij
Diamarathrum, id eſt per fœniculum quod quotidie præparatur Cap. xciiij
Catharticum nigræ bilis ex Oribaſio Cap. xcv
Aliud bilem nigram & flauam purgans Cap. xcvi
Paſtillus bilem purgans Cap. xcvij
Buccella cathartica Cap. xcviij
Catharticum pituitæ ex Oribaſio Cap. xcix
Humorem melancholicum purgans philagrij Cap. c
Bilim nigram & pituitam euacuans Cap. ci
Bilis utriuſq; & pituitæ & reliquorum humorum catharticum Cap. cij
Aloetica mollientia ex melle roſaceo Cap. ciij

Quod

Quod bilim & pituitam ducit Cap. ciiij
Aloetica philagrij bilem & pituitam ducentia Cap. cv
Aliud ualde expertum treiſq; ſimul humores purgans Cap. cvi
Aliud probatū quod in Tyro urbe conficitur Cap. cvij
Aloeticum Oribaſij ad lippientes præcipue bilim flauam & melancholiā purgans Cap. cviij
Sal catharticum Cap. cix
Aliud acerrimum ad bilim ducendam expertum Cap. cx
Aliud optimum expertum Cap. cxi
Pituitæ catharticum ex Diogene Cap. cxij
Aliud bilim purgans Cap. cxiij
Aliud humorem melancholicum purgans Cap. cxiiij
Hydragagon Oribaſij pituitam & aquā ducens Cap. cxv
De hieris. Hiera Logadij Cap. cxvi
Hiera Galeni Cap. cxvij
Hiera Archigenis ex epiſtola ad Marſum de melancholia Cap. cxviij
Hiera Ruffi de melancholia Cap. cxix
Hiera Iuſti faciens ad quæcunq; præcedens facit Cap. cxx
Quomodo adeſſe oporteat his qui medicamento ſumpto non purgantur Cap. cxxi
Ex Oribaſio curatio eorū qui plus æquo purgantur Cap. cxxij
Ex Ruffo de uomitu Cap. cxxiij
Raphani præparatio cum elleboro albo Cap. cxxiiij
Quibus dandus elleborus quibus non Cap. cxxv
Quid efficere poſſit elleborus Ca. cxxvi
Quod nōnulli cum elleborum ſumpſerint ipſum concoxerunt Cap. cxxvij
Qui ſint ad elleborum commodiores Cap. cxxviij
Tempora uniuerſalia & particularia ad elleborum ſumendum Cap. cxxix
De elleboro probando Cap. cxxx
Qua uictus ratione uti debeant qui elleborum ſumpturi ſint Cap. cxxxi
Quot modis exhibeatur elleborus Cap. cxxxij
De madefactione ellebori Cap. cxxxiij
De ellebori decocto Cap. cxxxiiij
De ramentis et de eo qui in puluerem redactum eſt Cap. cxxxv
Quænam præparanda aduerſus ſumpti ellebori ſymptomata Cap. cxxxvi
Quomodo à potione curandi ſint Cap. cxxxvij
De exuberāti purgatione cap. cxxxviij
Epithemata purgantia Cap. cxxxix
Emplaſtrum quod uocatur chezancha Cap. cxl
Epomphalion, id eſt umbilicale Cap. cxli
Aliud quod colicis confert Cap. cxlij
Compoſitio olei aut unguenti purgantis Cap. cxliij
Epithema umbilico appoſitum ſplenem purgans Cap. cxliiij
Epithema ducens ſanguinem hemorroidas & à mulieribus menſes trahens Cap. cxlv
De localibus euacuationibus Cap. cxlvi
Quæcūq; oculos purgant lachrymaſq; prouocant Cap. cxlvij
Aures purgantia Cap. cxlviij
Per nares purgantia Cap. cxlix
Quæ ex ore humiditates trahant Cap. cl
Quæcunq; lac generent moueantq; Cap. cli
Pulmonem & thoracem purgantia Cap. clij
De ſuffumigationibus Cap cliij
Quæ inteſtinum gracile euacuent cliiij
Quæ ſimam hepatis partem purgent Cap. clv
Euacuantia gibbum & hepar Cap. clvi
Splenem euacuantia Cap. clvij
Renes purgantia Cap. clviij
Veſicam purgantia Cap. clix
Quæ nam glandi imponantur ad urinā ciendam Cap. clx
Euacuantia calculos qui ſunt in renibus & ueſica Cap. clxi

Vterum

Vterum euacuantia Cap. clxij
Quæcunq; bibita menſes ducunt Cap. clxiij
Excrementum durum euacuantia Cap. clxiiij
Lumbricos educentia Cap. clxv
Sudorem prouocantia Cap. clxvi
Euacuantia & corrumpentia pediculorum omne genus quæcunq; ſuperficiẽ corporis occupauerint Ca. clxvij
De inteſtinorum ablutionibus Cap. clxviij
De glandibus Cap. clxix
De linamentis quæ crocidas appellant Cap. clxx
De aere ex Galeno Cap. clxxi
Adamantini ſophiſtæ de uentis Cap. clxxij
De ſtellarum indicatura Cap. clxxiij
De diebus quibus oriuntur in cœlo ſtellæ atq; occidunt aerem immutantes Cap. clxxiiij
De aquis ex Ruffo Cap. clxxv
De balneis ex Galeno Cap. clxxvi
De balneis naturalibus Archigenis Cap. clxxvij
De frigida lotione ex Galeno libro de ſanitate tuenda Cap. clxxviij
De olei ingreſſu Cap. clxxix
De applicatione ſpongiæ Archigenis Cap. clxxx
De aſperſionibus Cap. clxxxi
De irrigationibus Cap. clxxxij
De inſeſſionibus Cap. clxxxiij
De madefactione Cap. clxxxiiij
Ex Galeno de fomentationibus irrigationibus cataplaſmatis & cucurbitulis Cap. clxxxv
Ex Lyco de cataplaſmatis, & de eo cataplaſmate quod e fermento fit Cap. clxxxvi
De cataplaſmate ex pane Cap. clxxxvij
De ſurfurũ cataplaſmate Cap. clxxxviij
De cataplaſmate ex ficubus ca. clxxxix
De dropacibus & picatione Cap. cxc
De ſinapiſmo ex Archigene Cap. cxci
Quod caprarum fimus cum aceto illitus ſeorſum coxendicibus congruit Cap. cxcij
Quænam ſint alia rubicantia Cap. cxciij
De iberitide ſiue cardamina herba Cap. cxciiij
De remedijs metaſyncriticis, quæ recorporatiua nonnulli uocant Cap. cxcv

AETII AMIDENI MEDICI CLARISSIMI LIBER TERTIUS IOANNE Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete

De præparatiua frictione — Caput primum

ANTE exercitia excalefacere corpus oportet, frictioneq; tum per lintea, tum per oleum, quæ nudis manibus fit utendum, donec ſatis corpus calfactũ, mollitiemq; nactum fuerit, iucundusq; rubor effloruerit, & membrum frictione intumuerit.

De exercitijs. Cap. II

EXercitiũ uehemens motus eſt, uehementiam reſpiratio ſeipſa frequentior terminat. exercitij uſus, ut inſtrumentalia membra & paſſionibus magis renitentia, & actionibus promptiora reddantur: ſintq; ad nutrimenti attractionem ualidiora, & ob ca/

ob calorem corpori acquiſitum nutritioni aptiora, utq́ à uehementi ſpiritus motione meatus tum ſenſibiles, tum occulti expurgent. At quoniã diſtributioni alimenti conſulendum eſt, non oportet ciborum crudorum ſemicoctorumq́, uel omnino aliquam humorum multitudinem, neq; in uentriculo, neq; in inteſtinis contineri, alioqui periculum immineret, ne ad cuncta animalis membra deferrentur, priuſquam ſicut decet, concocta forent. conſtat igitur ciborum aſſumptioni exercitium præferendum: intempeſtiuum uero tempus indicat urinæ color. ubi enim aquoſa fuerit, ſuccum à uentre delatum adhuc incoctum ſignificat. at ſi fulua bilioſaq́ ſit, iam plus æquo confectum eſſe. ſin mediocriter flaueat palleatq́, coctionem nuperrime factam demonſtrat: tunc igitur ueſica prius ac uentre exonerato, exercitatio inchoanda eſt.

De exercitijs particularibus. Cap. III

OMnium quidem exercitiorum commune eſt, ut corporis calor augeatur: ſi uero ſeparatim conſiderentur, ualidum exercitium eſt quod muſculis neruisq́ robur præſtare poteſt, qualia ſunt fodere, aut maximum onus geſtādo uno in ſitu permanere, uel paululum progredi, et ueluti deambulare. huius generis eſt cum quis manibus innixus funē aſcendit, multaq́ alia huiuſcemodi. porrò uelocia exercitia abſq; robore & uiolētia ſunt: curſus, mutuaq́ duorum inter ſe extremarum manuum complicatio, quam ἀκροχειρισμόν uocant, luduſq; paruæ pilæ. ualida uero exercitia etiam uehementia fiunt, ſi quis feſtinas motiones addiderit. Præterea exercitiorum quædam lumbos aūt manus aut crura defatigant, quædã ſpinam, aut thoracem, aut pulmonem. exercendum autem quouſq; in tumorem eleuet, rubore q́ efflorefcat corpus, motionesq́ expeditæ, æquales & ualidæ ſint, ac donec ſudorem conſpexeris uapori commixtum. ubi uero aliquid eorum quæ dicta ſunt immutetur, illico quieſcendum, ut ſi tumorem corporis contrahi uideris, aut floridum colorem tabeſcere, aut motionum uigorem remitti, aut ſudorem multitudine, uel qualitate uariari. ſi enim paucior uel frigidior fiat, tunc admiſſa quiete oleo inungas, frictioneq́ recuratiua quam ἀποθεραπευτικὴν uocāt utitor, ueluti pędotribæ, id eſt, puerorum exercitatores facere conſueuerunt.

De frictionibus particularibus. Cap. IIII

FRictionū quæ dura eſt corpora adſtringit, mollis ſoluit: ergo quæ plus ęquo ſoluta ſunt, durius fricanda: quæ contra indurruerint mollius, quæ uero æqualia fuerint, cōſtat neq; dure, neq; molliter, ſed intra utrunq; exceſſum fricari oportere. nimia autem frictio gracilitatem præbet, media æqualitatem.

De uociferatione. Cap. V

THoracis & uocalium inſtrumentorum exercitium eſt uociferatio, immo & naturalem calorem expurgat, ſubtiliat, firmat, corporisq́ membra ſolida, robuſta renitentiaq́ affectibus reddit. uociferatione uero utendum in ſuſpirioſis, in non niſi recta ceruice ſpirantibus, in tabidis, in doloribus diuturnis, qui circa pectus aut ſcapulas fiunt, in diſruptis thoracis abſceſſibus, in raucedine uocis, ob nimiam humiditatem factam: quartanarijs febribus maxime congruit, humorē impactū excutit: immo & humiditatem ſtomachi, quam proprie quartanarius ipſe typus afferre ſolet, abſumit. Præterea ſtomachi uitio laborātes iuuat, quos ſtomachicos uocant, præſertim eos qui continue euomunt uel acidum eructant. conuenit & capitis affectibus. qui uero ad uocem exercēdam acceſſurus eſt, ubi aluum ſubduxerit, inferioraq́ mēbra ſenſim fricuerit, ac faciem ſuauiter lauerit, ſubmiſſius proloquatur & deambulando cantillet, ac tum demum uociferationem inciplat. illud ſciendum in exercenda uoce, modulationem & uocularum concinnitatem nihil ad ſanitatem conferre, ſed grauiori impetu intonandum, quoniam inde

plurimus

plurimus aer per inſpirationem attractus thoracem & uetriculum extendit, atq; totius corporis meatus ampliores reddit. expelluntur enim in clais clamoribus, lectionibusq; ſonoris exuberãtes humores. ubi quidem lectio robuſtior fuerit, per ſudores: ubi uero mitior, per occultas tranſpirationes. nam tota corporis moles legendo declamando q; extenditur, ita ut ſubinde ob attenuationem à motionibus factam ſcreatus, muci & diuerſæ pituitæ excretiones fiant: certe calore indigentibus ob exuberãtem frigiditatem, quod tandem promptius auxilium q̃ id quod à uehementia reſpirationis acquiritur? Oportet igitur ſæpius legere, qui languidioris corporis laxiorisq; carnis fuerint, aſperam arteriam atq; alios ſpiritus tranſitus ſtudioſe extendendo, quod quidem fiet, ſi aliquo conatu grauiſſimas uoces inſonuerint. hoc tamen uocis auxilio neq; temere, neq; paſſim utendum: ſed quicunque malis aut corruptis humoribus abundauerint, uel qui magnis manifeſtisq; cruditatibus laborauerint, hos ego ab exercenda uoce abſiſtendum puto, ne per totum corpus plures corrupti ſucci, aut uapores diſtribuantur.

De geſtatione Cap. VI

ALia quidem exercitiorum genera in motione corporis conſtant: geſtatio uero ex motu & quiete commixta eſt, cum plurimæ corporis partes quieſcere uideãtur, atq; interim omnes latione moueantur: propterea utiliſſimum ſimul & iucundiſſimũ exercitium eſt geſtatio, cum nec laborem corpori præſtet, & moueat prope quemadmodum magna ſolent exercitia, qua motione calorem innatum euentare excitareq; poteſt, ac multitudinem materię diſcutere, corporeumq; habitum firmare, torpentesq; actiones erigere. geſtationis differentiæ plurimæ, hæ tamen magis propriæ, aliqua lecto, qui quidẽ duplex eſt, uel penſilis uel in angulorum pedibus ſeſſilis. aliqua in lectica quæ adhuc duplex, uel ubi ſedetur, uel ubi recumbitur. quædam in curru, quædam in naui, ponenda tamẽ & inter geſtationis ſpecies equitatio. lecti igitur geſtatione his utendum, qui uel febriunt, uel diuturno morbo laborant: ob quem tabeſcentia corpora haud facile refici ſolent. iuuat item eos qui à malo quopiam febrili affectu nuper incipiunt reualeſcere. Item phreniticos & qui elleborum ſumpſerint. ſpiritus enim turbulẽtias ſuauiter ſedat & ſomnum prouocat. uti etiam poſſumus in lethargicis & in his qui non appetunt. lectica recumbentes geſtamus eos qui lethargica febri detinẽtur, uel ſemitertiana uel quotidiana. Item attonitos, reſolutos, renum uitio laborãtes, podagricos: inſidentes uero qui ad integram febrium remiſſionem deuenerint. at geſtatio curulis excuſſorium quid habet, & quod diuturnos morbos oppugnet. huius tamen quædam uehemens, quædam mitior eſt. mitiori utendum in ægritudinibus capitis, & ubi materiæ ad inteſtina defluxerint: uehementi in thoracis & ſtomachi affectibus, in œdematibus, hydropicis, attonitis. tenebras autem imaginantes quos ſcotomaticos uocant, & hemicrania laborantes, auerſos ab itineris progreſſu in curru ſedere oportet, & ſuauiter moueri. multos enim nouimus abſque ope alia tali modo curatos, ſedem uero ſupiniorem collocare oportet. nauigatio ſi prope terram fiat, inq; ſedato mari congruit hydropicis, elephantiaſi laborantibus, attonitis, delirantibus. ſtomachus primo quidem euertitur, poſtea tamen aſſueſcit. porrò per fluctuoſum mare geſtari uiolentum eſt, plurimosq; ac maximos animi affectus inducit: tum ſpei, tum timoris, tum ignauiæ, tum obeundi diſcriminis: quandoq; enim geſtiunt, quandoq; anguntur, quandoq; ocioſe degunt nauigantes. talia uero uniuerſa, ubi commixta fuerint excutere è corpore atque expellere omnem diuturnam ægritudinẽ poſſunt. quin quod ex quiete & motione commiſcetur, ſi quid uſquã alibi eſt quod faciat, hoc maxime ad corpus optime alendum facit.

De equitatione. Cap. VII

VSus equitationis uniuerſus ægris non multum cõfert, ſi tamen ſuauiter gradiatur equus, nihil ultra facit quàm femorum laſſitudinẽ, eiusq́; partis ubi crura plicantur & ſuſpenduntur: at ſi impellatur, perturbat uniuerſum corpus & defatigat. habet tamen etiam modus iſte quidpiam utilitatis in ualentioribus, roborat enim præ cunctis alijs exercitijs ſpiritum, reliquumq; corpus, ſed ſtomachũ maxime. purgat etiam ſenſus, acutioresq; reddit, thoraci tamen peſſimus eſt hic exercendi modus. illud aduertendum, in ſana regione, depuratoq; aere perficienda non tantum cætera uniuerſa exercitia, ſed etiam nauigationem.

De uenereis ex Ruffo. Cap. VIII

OPus quidem naturæ concubitus eſt, è naturalibus aũt nihil noxium. at quæ immoderato continuoq; uſu atq; importune admittũtur, iam noxia fiunt: longe tamen magis ueneris aſſiduus uſus nocebit his qui neruoſas partes habuerint imbecillas, aut thoracem, aut renes, aut lumbos, aut coxendices, aut pedes, quod ita eſſe apparet, cum uniuerſum hominis robur tali uſu deterius fiat. robur uero in nobis calor eſt ipſe naturalis qui decoquit alimenta: ergo coctiones coeunti non bonæ & languentes fiunt, non ut oportet cernitur, non auditur, non alius quiuis ſenſus ualide poſſidet. ſunt etiam huiuſcemodi homines obliuioſi, tremuli, articulorum doloribus, & maxime coxendicum & renum ueſicæq; uitijs laborantes. oris præterea fœtor, dentium dolores, faucium inflammationes nonnullos corripiunt: immo etiam plures nimio concubitu ſanguinem expuerunt, partim ob uiolentam delationẽ extenſionemq; ſpiritus, partim ob cõſenſum thoracis ad teſticulos uenarum arteriarumq; ductu: minime tamen mulier ob coitum ſanguinem expuit, tum propter totius corporis humiditatem, tum quia in congreſſu minus laborat, tum etiam quia inferius purgationes deferuntur: propterea ſi ad ſputum quoque ſanguinis uenerit, magnum ſibi à tali purgatione præſidium parat. ob hæc igitur quæ dicta ſunt, iubent medicorum optimi, ſiue adfuerit dictarum ægritudinum aliqua, ſiue ob naturalem hominis imbecillitatem ſuſpecta ſit, à concubitu abſtinendum. hactenus nocumenta & affectuum cõſenſus quantum compendio colligi potuit explicuimus. nunc uero dicendæ utilitates: neque enim omnino damnoſa uenus eſt, ſi & ad uſus occaſionem & ad ſanam utentis conſtitutionem intenderis. uenus igitur & plenitudinem euacuat, & corpus agilius reddit, augmentum procurat, uiriliorem animum facit, durum etiam corporis habitum ex interuallis recepta emendat: mollit enim inſtrumenta, meatus dilatat, atq; à pituita expurgat. præterea delyrantibus, iracundis, melancholicis, triſtibus, homines odio habentibus (quos μισανθρώπους uocant) coire, maximum præſidium eſt, immo ſapientiores omnino reddit, quicunque aliquo morum genere aberrauerint. iuuat etiam comitiali morbo laborantes, & qui capitis uel grauitatem uel dolorem patiuntur. Hippocrates autem unico uerbo complexus, uenerem inquit optimam eſſe omnibus morbis qui à pituita pendent. multi certe qui poſt ægrũ udinem non alebantur ueneris uſu curati ſunt. quidam etiam cum prius anhelarẽt, bene ſpirãtes euaſerũt: quidã cũ prius à cibo abhorrerẽt, appetendi uim excitarũt, multi prçterea à cõtinua pollutiõe quç fit in ſomnis ſunt liberati. aptç uero ad uenerem naturæ ſunt calidæ & humidæ, & plus alijs ad uſum paratæ, minime frigidæ & ſiccæ. ætatum ea quæ in uigore maxime eligenda, ſenum nequaquã. è temporibus uer optimum, autumnus minime, deinde æſtas, ſed neq; hyems ob frigus laudabilis. è uictus rationibus quæ calida eſt & humida ueneri aptiſſima, frigida & ſicca inutilis, humectans enim regimen maxime confert his qui coire non poſſunt. ſint autem labores moderati, cibi qui boni ſint ſucci, uinum colore fla-

uum, ſubſtantia ſubtile, panes puri, recentes clibano decocti, carnes hædorũ, agnorum, porcorum, auium, gallinæ, attagenes, perdices, anſeres & anates. piſcium, polypodes, & quicunque molles habent carnes. olerum, orminum, eryſimon, eruca, rapa diſcocta & iam flacceſcens, hęc enim tanquam medicinæ exhibentur. Porrò è leguminibus, fabæ, cicer, ochri, phaſeli, piſi, lobi & flatu implent, & ualidũ præbent alimentum. placet autem ſummopere ad hanc uictus rationem, & uua quæ optima fuerit: humectat enim corpusq́ replet flatu & ſanguine. qui uero ad uenerem acceſſurus eſt, recẽtes ſatietates uitare oportet, & cruditates, & ebrietatem, et famem: coire enim cum excrementis malum eſt, & exercitiorũ balneorumq́ tempore. labores etiam uitandi & uomitus qui proxime præceſſerint, & alui profluuia recentia: nam diuturna quandoq́ uenus exiccat. optimum uero eſt cõcumbere uolentem poſt cibum commiſceri, qui tamen ad ſatietatem non ſit ingeſtus: id enim ad robur confert, & frigiditas quæ fieri aſſolet minus ſit. quod ſi quis à prandio prurire inceperit, ceſſare tantiſper oportet, quoad alimentum conſtiterit. ſi uero à cœna, paululum prædormire oportet: uehementes enim cupiditates non laudo, immo continendas iubeo, atque his præſertim qui ex uſu ueneris ad aliquem morbum procliues ſunt.

De inſolatione, operimento arenæ, alijsq́ fomentis ex Antylo. Cap. IX

SOlis radijs ſe exponunt quidam non uncti, quidam peruncti prius. Item quidam ſedentes, quidam ſtantes, quidam recumbentes, nonnulli deambulantes, aut currentes: ac recumbentium quidam ſtrato recumbunt, quidam ſuper corio, aliqui in arena, aut ſale. ea igitur quæ fit abſque unctione calefactio, ſi moderata fuerit, occultam tranſpirationẽ adauget, ſudores prouocat & uẽtrem ſiſtit: ac carnem quidem conſeruat, ſed pinguedinem aufert, œdemata ſuiq́ generis alia, præcipue aquam intercutem ſummopere exiccat: ſpiritum frequentiorem uelocioremq́ reddit: ideo ſuſpirioſos & non niſi recta ceruice ſpirantes lædit. capiti uero iam dudum refrigerato confert, pariter enim & intemperiem emendat, & membrum robuſtum facit. in his tamen prius aluus ſubducenda eſt: nam niſi euacuatio præceſſerit, inſolatio nocebit: at peruncto corpore præter hæc quæ numerauimus, alia quoq́ plurima poteſt. corpus enim eo pingui illitum, à ſolis feruore magis deſiccatur, & ueluti aſſatur, qua de cauſa etiam ſuperficies extima uehementius denigratur: per occultam tamen tranſpirationem minor diſſolutio fit, carne ſcilicet ob aduſtionem conſtipata. ſedentes uero aut ſtantes, deambulantibus atque adhuc magis currentibus incenduntur. at ſtrato recumbentes præterq́ quod parum iuuantur, caput etiam uaporibus replent. ſuper corio inſolati ſummopere proficiunt, qui aqua intercute & qui renum, uel coxendicis uitio laborant. Item febres, elephantiaſis, delyria, uentris affectus, quos cœliacos uocant, & ueſicæ diuturnus morbus, apoplexia, uteri præfocationes, atque alba mulierũ profluuia curantur. oportet autem magnum eſſe corium, & oleo perunctum ſtratumq́ in arena tenui & cribro excuſſa. deinde ægrum, cum in lecto prius calefactus fuerit, nouo linteo caput tuente, eodem iacẽdi ſitu diutius ſub ſole perſiſtere, poſtea in contrarium latus deuolutum quieſcere, inde ad priſtinum ſitum reuerti idem ſæpius repetendo, qui omnino modus in arenæ decubitu ſeruandus eſt loco ſæpius alterne commutato. oportet autem miniſtrum adeſſe, qui collecta calidiſſima arena in obrutum corpus ſubinde iaciat. ſi igitur propè affuerit mare, arenam eligito, nam fomentatio quæ ab arena fit, & mitior eſt & magis exiccat, ea quæ fit à corio: at ſi arena tantum fluuialis ſit, corium præferendum eſt, neque enim tantum arena fluuiatilis, ſed etiam aer ob uaporationem humidior eſt. ubi uero ſalis co-

pia fuerit, nihil præſtantius. lectus ergo ſternatur ſubtiliſſimo ſale, altitudine nihilo duodecim digitis minore: nam niſi craſſum fuerit, leuis admodum & ueluti excuſſorius calor ab ipſo fit, qui neq; diſtribuitur, neq; profundum petit.

De inciſione uenæ ex Galeno. Cap. X.

A Similaribus quidem corporis partibus alibi oſtenſum eſt primas functiones perfici, ſicut ab inſtrumentalibus ſecundas. collectis ergo in corpore humoribus, conſiderandum quodnam iuuamentum, aut nocumentum partibus afferant à quibus functiones fiunt: noſcendumq; multitudinem biſariam dici, aut pro uirtutis ratione, aut pro uaſorũ concauitate humores ipſos continente. quemadmodum enim oneris geſtator, non ſtatim ut angitur & laborat, iam etiam cadit & obruitur: ita prorſus quando uirtus præ multitudine grauatur, fieri poteſt ut diutius renitatur, neque interim ægrotet homo, ſed deinceps neglecta delabatur & cõcidat. in his igitur anteq̃ uirtus ſuperet, maxime confert inciſio uenæ, ſæpe etiã quãuis in corpore multitudo ſanguinis non affuerit, uena incidẽda eſt: ubi ſcilicet inceperit inflãmatio, humorib9 à toto corpore ad locũ cõfercTim defluẽtibus, uel ob p̃cedentẽ p̃cuſſionẽ, uel ob membri imbecillitatẽ. interdũ enim ſanguis repente in membro collectus ita ipſum obtundit, ut actio corrumpatur, aut aliquod aliud inſigne incidat nocumentum, ſicut fieri uidemus in apoplexia. ſæpe etiam perfringit uaſa, ut in ſputo ſanguinis euenit. ubi igit̃ ſanguis exuberet, enitendũ ut quàmcelerrime euacuetur, priuſquam ingens diſpendium quandam corporis partem occupet. uena etiam incidẽda eſt, ubi aliquis magnus morbus immineat. ego ſanè podagricos multos, qui iam tres aut quatuor annos ſtatis tẽporibus uexabantur, unctionibus per interualla adhibitis curaui, facta prius in principio ueris, uel exuberantium humorum euacuatione, uel ſanguinis miſſione. etenim podagricis, articulorum morbo laborantibus, epilepticis, melancholicis, aut ſanguinem reiectare ſolitis, aut tenebroſas imaginationes patientibus, quos ſcotomaticos uocant, aut his qui iugiter ab anginis uexant̃, aut peripneumonicis, aut pleuriticis, aut lippientibus, utq; ſummatim dicam, his qui ad magnum aliquem & uehementem morbũ propenſi ſunt, uenæ inciſionem præ cunctis alijs longe magis neceſſariã cenſeo. attẽdenda uero in quacunq; uenæ inciſione multitudinis tum qualitas, tũ quãtitas, & morbi magnitudo, ſiue adſit ſiue expectet̃, & uigens ætas, & ad hæc uirtutis robur aut imbecillitas. Præterea & habitus totius corporis naturalis, tum anni tempus, regio, præſens aeris conſtitutio, uita præcedens, uictus ratio, an ſcilicet cibi potusq; multitudinem, eorum præſertim quæ plurimum nutriunt, homo congeſſerit, & an conſueta exercitia reliquerit, an ſolitæ quæpiam euacuationes detentæ fuerint. cæterum aggrauante uexanteq; multitudine non ſtatim ſanguis auferendus, ſæpe enim in corpore crudus humor collectus eſt. Propterea diligenter animaduertere oportet, & quantum ſit uirtutis robur & quantũ humor ipſe frigeſcat, quod quidem ex urina & alijs ſignis deprehenditur. oppreſſa enim in huiuſcemodi affectibus uirtus, conſueuit in ſanguinis miſſione extreme concidere, ut non amplius refici poſſit: quod ſi euenerit, inſigne periculum ſequitur, ac præſertim ubi febris interuenerit, in æſtiua conſtitutione, ſtomacho male affecto, & cum corpus molle fuerit, & natura humidi temperamenti: exoluuntur enim tales, et celerrime in ſyncopã tranſeunt, etiam ſi illos uehemens febris nõ occupauerit. neq; uero ſi hyems fuerit, aut regio frigida, frigidiorq; hominis natura, uena incidenda eſt: eos enim qui ita affecti ſunt frictionibus moderatis, unctionibusq; temperate calefacientibus, & inciſorijs potionibus curamus.

De men-

De menſura euacuationis. Cap. XI

AEgritudinis magnitudo & uirtutis robur potiſſime ſunt intētiones uenæ in cidendæ, quæ ſi augeantur, uberiorem euacuationē neceſſariā eſſe demonſtrant: ſi minuantur, tantum de euacuationis quantitate auferendum, quantum uel uirtus, uel morbi magnitudo fuerit diminuta. attendere tamen oportet, qualis nam hominis natura ſit: nam ſi corpus quidem gracile fuerit, ſed amplas uenas habuerit & ſanguine plenas, uberius euacuandum. at cōtra ſi uenæ ſint graciles, corpus molle & candidum, parcius inaniri oportet. tales enim modici ſanguinis ſunt, facileq́ exoluuntur. eadem ratione pueris uenas non incides uſque ad quartumdecimum ætatis annum, à ſenibus quoque abſtinendum, præſertim quibus uirtus debilis fuerit. nam ſi uirtus robuſta ſit & neceſſitas urgeat, etiam ſeptuagenarijs uenam incides.

Quomodo uenæ incidendæ. Cap. XII

AVerſionis gratia quam antiſpaſin uocāt, in uenæ inciſione rectitudo ad eas partes ad quas materia defluit, utrinq; ſeruanda eſt: ueluti ſi è nare dextro defluat ſanguis, dexteræ manus uenam ſecabis. ſiniſtræ uero, ſi à ſiniſtro defluxerit. at liene affecto à uena, quæ eſt inter minimum annularemq; digitum ſiniſtræ manus, aut ab ea quæ eſt in interiori cubito ſanguinem mittes. Item in pleuritide uenam eiuſdem affecti lateris quæ interius eſt incides. uehementes præterea oculorum dolores mirum in modum ſedantur, ſi ſeruata affecti oculi rectitudine uena cubiti ſecetur, quæ humeralis uocatur. uenæ autem interiores inciſæ membris conferunt, quæ infra collum iacent. exteriores uero capiti & faciei, ſicut mediæ utriſque proſunt. quoniam uero in ſecanda uena nonnunquam delinquitur, aduertendum mediæ quidem neruum ſubſterni, interiori uero arteriam, ut utrobique non leue periculum ſit. neutra igitur harum, niſi magna urgente neceſſitate incidenda eſt, ſed humeralis tutius ſecatur: nam & ſi magna ſæpe fiat inciſio, neq; inflammationes ſequuntur neque dolores. cæterum ueluti ſuperioribus his quas diximus partibus uenæ cubiti ſectæ opitulantur, ita hæ quæ inferiores ſunt, ſicut coxa, uterus, ueſica, curantur inciſione earum quæ ſunt ſub poplite, aut prope malleolos: renes uero inter utrūq; ambigunt. pariter enim & ab his uenis quæ ſunt in cubito, & ab his quæ ſunt inferius ſubleuantur. ego autem noui coxendices una die ſanatas facta crurum inanitione, quæ ſcilicet non à frigiditate, ſed repletis multo ſanguine coxæ uaſis euenerant. oportet autem in omnium inflammationum principijs ab oppoſita parte ſanguinē mittere, ueluti ſi manus inflametur à pede. at ubi affectus diutius perdurauerint, tunc maxime ab eodem affecto membro, ſi fieri poteſt, ſin minus, ſaltem à propinquis ſanguis mittatur.

Quomodo uena incidenda ex Antylo. Cap. XIII

VEnam quæ profunda fuerit punctim perforamus, quæ uero extet & appareat, potius cæſim diſcindimus, iubemusq; ut antea brachium obnixe extendatur, his præſertim quos cōſuetos noueris, dum uulnerantur cubitum flectere: uas tamen totum diſſecandum non eſt, auerſis enim uulneris labijs non facilis eſt ſubinde curatio. Præterea partem uaſis inferiorē uerſus radium ne ſecato, ſed ſuperiorem quæ inclinat ad radicem lacerti: inciſa enim ſuperiori parte plaga decentior fit, atq; obiter maiorem commoditatem conſequimur, quoniam ibi punctione uenæ haud ita facile fruſtramur.

De inciſionis magnitudine ex eodem. Cap. XIIII

IN his quidem qui abundanti euacuatione indiguerint, & ubi ſanguinem craſſum contineri ſuſpicabimur, ampla inciſio facienda eſt. at ubi lationem ſanguinis ducere & auertere intendimus, ueluti contigit in ſputo ſanguinis & narium

defluxu, aut alterius cuiuſdam partis, anguſtiſſimam inciſionem facere oportet: neq; enim iſti ob talem affectum inanitione indigent, ſed retractione auerſioneq; propterea opus eſt, ut longo tempore è uena ſanguis emanet. parua item inciſione utendum in phreniticis, aut furentibus, aut alio modo deſipientibus, ut uulnus celerius conglutinetur. ſæpe enim accidit deſipientes brachij nexus clandeſtine exoluere, ut ampliori exiſtente uulnere ob nimium ſanguinis fluxum haud leue periculum ſubſequatur. quod ſi anguſta inciſio fuerit, ſanguinis grumus, uulneris oſculo inhærens fluorem facile ſiſtet. Præterea in paruis uaſis, paruas quoque ſectiones facere oportet: ſicut in magnis magnas. ſi enim ampla uaſa anguſtius inciдantur, neceſſario in orificijs ſanguis collectus cõcreſcet & fluxum intercipiet.

De figura diuiſionis ex eodem. Cap. XV.

TRes ſunt ſectionis figuræ, quædam tranſuerſa, quædam recta non pungens, ſed ſcindens uenam per rectitudinem, quædam inter has media quæ obliqua appellatur. tranſuerſa igitur utendum, ubi iterationem faciendam nullatenus arbitramur, curuato enim cubito labia ſectionis componuntur. aptiſſima uero hæc figura eſt, ubi amplam diuiſionẽ fieri uoluerimus. at obliqua confert, ubi ſit iterandi neceſſitas, & ubi ad ſectionem faciendam ægre uenam aſſequimur: ita enim ſe cabitur, immo & ipſa ſanguinis iaculatio per obliquam diuiſionem ſpectantibus ſpecioſior fit, conuerſo & ueluti reuoluto in ſaltu ſanguine. porrò figura longa & recta commoda eſt, ubi non eadem die tantum, ſed ſequenti & tertia quoq; iteratio futura ſit, nam curuato cubito à ſe inuicem diſtant ſectionis labia. utilis etiam ſectio recta his quibus labia diuiſionis auerti ſolent, ſed in hac figura ſanguinis iaculatio minus decora eſt.

De eligendo tempore ad uenæ ſectionem ex Galeno.
Caput XVI

IN quacunque diei uel noctis hora poſtulante neceſſitate uenam incides, attendens ſemper in febrientibus quidem exacerbationis declinationem. in ægritudinibus autem oculorum, aut alterius cuiuſdam partis, quæ ſine febre euenerint magnitudinem doloris, aut inflammationes caueto. quacunque enim hora mitеſcere dolorem deprehenderis uenam incidito. quod ſi libera detur optio, ſatius eſt matutinis horis ſanguinẽ ducere, non ſtatim quidem ac à ſomno ſurgitur, ſed ubi hora integra uigilatũ ſit, quibuſdam etiam prælauari & deambulare expedit. qui uero præſeruandæ tantum ſanitatis gratia ad ſanguinem mittendum ſit acceſſurus, nihil refert ſi peractis conſuetis negocijs acceſſerit.

De iteratione ex eodem. Cap. XVII

VBi euacuationi tantum ſtudemus, iteratio eodem die facienda eſt. ubi uero auerſioni tantum, ſatius eſt duos interponi dies. at qui inanitione quidem ſummopere indigent, ſed uiribus admodũ imbecilles ſunt, hos caute inaniri oportet, primamq; ſanguinis ductionem ita imperfectam relinquere, ut ſecunda ac tertia quoq; ſuppleat, ſi expedierit, quando autem ſeruentis ſanguinis multitudo febrim accendat acutiſſimam, ueluti ſynochum, ſubita & repentina inanitio uſque ad animi deliquiũ tentanda eſt, uirtutis robur à pulſibus perpendẽdo. noui enim quibus ſex libræ detractæ fuerint. ſanguine uero fluente pulſui ſemper attentiſſime inhærendũ eſt, ne forte te ignaro pro animi deliquio mors ſubſequatur.

De arteriarum ſectione ex eodem. Cap. XVIII

ARterias ſecãt medici, quaſdã in temporibus ob humores ad oculos defluentes, quando calidi flatuoſiq; fuerint. quaſdam poſt aures, in his qui tenebroſas imaginationes patiuntur, ſed præcipue in his quorum caput diuturnæ ægritudines calidæ & flatuoſæ infeſtauerint. ſunt tamen qui arteriarum ſectionẽ neglexerint

xerint, tum quia ſanguinis fluxus haud facile retinetur: tum quia ubi diuiſio ad cicatricem deuenerit, fit dilatatio illa quæ aneuriſma nuncupatur.

Ad ſanguinem retinendum. Cap. XIX

AB inciſa arteria ſi ſanguinis eruptio exceſſerit, eam uolſella ſublatam totam tranſuerſam ſecato, inde aloem, pollinem thuris, & molliuſculos leporis pilos terito: cumq; albumine oui ſubigito & uulneri apponito. de hoc autẽ uberius dicetur ubi de ſanguine à uulneribus erumpente tractabimus.

De cucurbitulis ex Antylo. Cap. XX

NEque in morborũ principio, neque in plethorico corpore cucurbitula utendum, ſed toto prius exinanito, ut nihil amplius mẽbro immineat, quod defluxum minetur, ſitq; opus agitãdi, trahendi excutiendiq; quicquid in eodẽ membro collectum fuerit: cauendum uero eſt ne mammillis cucurbitulæ applicentur, neque enim facile auelli poterunt mammillis in nimium tumorem excretis: quod ſi euenerit ſpõgijs ex calida expreſſis locum foueto. Ita enim remitti ſolent, ſin id parum ſucceſſerit cucurbitulam perforato. ſcire igitur oportet quemadmodum non ſolum localis phlebotomia per communem totius corporis euacuationem facienda eſt, quæ ab affectis partibus ſanguinem trahat, ſed etiam cucurbitula applicanda, quamuis uenæ inciſio minus fallat, pro ratione enim delatæ materiæ inanitionem perficit. cucurbitula uero nixu uiolento exugens, & multum loci ſpatium circumplectens, neque aliquod ſenſibile uas incidens, aggregat quidem materiam effatu dignam, pro aggregatæ tamen ratione non euacuat: eadem hypochondrijs importune applicata, præſertim ubi ſynochæ febres ſemitertianæ ue affuerint, quibus etiam rationis turbulentia, aut ſenſuum difficultas acceſſerit, ſuffocationes aut mortes agit: capiti etiam intempeſtiue appoſita lethargos & ſtupidos ſopores, & oculorum prolapſus affert. quod ſi bona fortuna euenerit, ut hæc mala euitentur, non euadetur omnino, quin diuturnus aliquis morbus capiti addatur.

De ſcarificatione ex Galeno. Cap. XXI

SAepius in anno uenam incidere non utile opinor, ſimul enim cum ſanguine plurimum uitalis auræ expiratur, qua exhauſta, & corpus totum frigidius redditur, & actiones naturales deteriores fiunt: potius ergo ignobiliores partes, qualia ſunt crura, ſcarificandas conſulo, quod quidem tum ad conſeruandam, tum ad reparandam ſanitatem præſidium efficaciſſimũ eſt. confert etiam ſcarificatio oculis antiqua deſtillatione laborãtibus, facitq; ad alios capitis thoracisq; affectus. in quocunq; autem membro ſanguis impactus fuerit, toto prius euacuato corpore, locali ſcarificatione affectum curabis.

De irudinibus ex Galeno. Cap. XXII

IRudines pridie captas eſſe oportet, paucoq; interim ſanguine alitas. atque ubi exegerit neceſſitas, partẽ cui ſunt applicandæ nitro fricari dulciſſimaq; lauari aqua, dein ſanguine illini. tum irudines in puram aquam proijcies, & ſpongia uirus ipſarum abſterges atq; applicabis, quæ tandiu intumeſcent exugendoq; perſiſtent, donec ſale aut nitro aut cinere earum ora inſpergantur. ubi uero exciderint, ſpongia locus fouendus eſt. quod ſi defluxus perſeueret, gallam exuſtam, aut linteum uſtum apponito, aut ſpongiam nigra pice imbibitam cremato & applicato, chartamq; exterius aceto madefactam illigato.

De purgatione ex Antylo. Cap. XXIII

COrpora ſana purgare perdifficile eſt, torquentur enim uentres anguntúrq;, & omnino moleſta purgatio efficitur, uiresq; inde faciliime reſoluuntur. eo-

rum uero quos purgari oportet, attenuandi prius incidendiq́ humores craſſi, & meatus aperiendi ſunt, per quos tranſeant excrementa, quæ purgante medicina attrahuntur. ſubtiles enim ſeroſiq́ humores in morbi ſtatim principio educendi ſunt. concoctio uero in craſſis & uiſcoſis expectanda, qualis eſt pituita & nigra bilis, omninoq́ in omnibus diuturnis morbis ante maturationem minime euacuabis. in acutis uero quando materię exuberauerint, in principio purgandum, quod tamen cautiſſime faciendum eſt: cum enim humores tunc agitentur, turgeant atque in præcipiti ſint, uereri oportet, ne aliquod uiſcerum quod natura imbecillũ ſit, materiã excipiat, ac thorax præſertim. ubi uero in aliquo membro firmati ſint, ut in uiſcerum inflammatione contingit, ante concoctionem à purgatione abſtinendum. quicũq; enim, inquit Hippocrates, inflammatas partes in principio purgationibus ſanare conatur, ab extenſo quidem & inflammato loco nihil adimit, neq; cedit crudus affectus. ſanas uero partes & quæ morbo reſiſtunt, colliquat: ita corpore reddito imbecilliori, morbus dominať, dominãte morbo pernicies adeſt. pro educenda igitur deprauata materia, cathartica medicamenta adhibemus, ad cephalæam, ad tenebroſas imaginationes, ad hemicraniam, morbum comitialem, ſuſpirioſos, non niſi recta ceruice ſpirantes, coxendices, articulorum morbo laborantes, podagras, renum uitia, ad uteri ueſicæq́ affectus, ſi modo hæc omnia fuerint diuturna. ſimiliter etiã ſi diſtillatio aures, aut nares, aut oculos, aut os, aut ſtomachum, aut totam ſuperficiem corporis infeſtauerit, neq; alio præſidio deſiccari aut omnino ſanari poſſit: conſueuit enim uentris purgatio diſtillationes ſiſtere. purgari etiam debent poſt ſanguinis tamen miſſionem, qui ſuccum melancholicum ob retentas hæmorrhoidas collegerunt. diuturni præterea affectus euacuatione frequentiſſime excutiuntur pelluntur q́, ueluti reſolutio, apoplexia, & quæ atrophia nuncupatur, totius corporis torpor, pertinaces ſopores, grauitas permanens, quæ ad certum corporis membrum decubuerit: nonnunquam ob uitioſam temperaturam remouendam purgationem eligimus, ut in diuturnis febribus, quales ſunt amphimerinæ & quartanę, in furore, in melancholia, in mentis exceſſu (quam extaſim uocant) in malo corporis habitu, quem cachexiam appellant, in nutrimenti abolitione quæ ob deprauatum humorem euenerit. Praterea in elephantiaſi, ſcabie, lepra, puſtulis quas uocant exanthemata, morbo pediculari, in multis ſpontinis ulceribus quæ difficulter curãtur, & ad quæ fluunt materiæ. In aqua intercute, in regio morbo. Ita enim adiacentem humorem excutimus expurgamusq́. his adiungenda etiam quædam uentris profluuia, in quibus purgatione utimur, ſæpe enim acres & inutiles quidam humores ſtomachi & inteſtinorum tunicis inſident, qui ueluti acriores glandes ualidioresq́ ſolent clyſteres, irritant inteſtina ſtimulãtq́, & ad excretionem cogunt, ſimulq́ humores alios attrahunt à membris quæ circumiacent, & à tota corporis mole. hos igitur merito purgamus, ut abactis è corpore humoribus purus reddatur uenter. omnino autem purgantibus medicinis utendum eſt, ubi uirtus fuerit potens atq; animus ad medicamẽta paratus, ſtomachus robuſtus plurimaq́ in corpore materia collecta ſit. purgationi inepti ſunt, qui uel nimium pingues uel graciles fuerint, & qui multo ſanguine abundant, aut qui iugiter à quacunq; cauſa deliquium animi patiuntur. Item pueri, ſenes, mulieres quibus menſes adſint: magis tamen qui pura habent corpora, & qui exquiſita uictus ratione utuntur, & quibus à natura uehementer aluus conſtipata eſt: & qui dyſenteria, & qui eo uentris affectu quem cœliacum uocant, facile corripiuntur. Item qui ad colicum dolorem parati ſunt, tales omnes à purgatione abſtinere oportet. incipiendum igitur ab his medicinis quæ bilim purgant.

De bilem

De bilem flauam purgantibus & primo de aloe.

Caput XXIIII

ALoe totum quidem corpus non purgat, bilem tamen quæ in ſtomacho & uentre & inteſtinis fuerit, unà cum duris excrementis quæ ſcybala uocant, quiete & ſuauiter educit. danda igitur eſt his quibus caput perturbatur, ob continuos uapores à ſtomacho ad ipſum eleuatos, reſcindit enim inutilium uaporum progreſſum. eadem cauſa etiam lippientibus exhibenda eſt. Item bilis ratione ſiticuloſis, & quibus os & lingua facile exiccantur, & ſtomachi inflammatione laborantibus, atque his qui nauſea uomitum excitante infeſtantur. danda eſt etiam præter rationem pallidioribus, & his quibus excrementa quidem educi neceſſe eſt, clyſterem autem ob aliquam cauſam non admittunt. exhibendæ ſunt aloes drachmæ duæ cum melicrato: quotidie etiam ſumpta ante cœnam, aut mane potius ante prandium non leuiter iuuat. Item tritam aloem citrij ſucco recipito, aut ſi is defuerit ſucco braſsicæ, fiantque pilulæ ad ciceris magnitudinem, è quibus tres aut quinque ubi opus fuerit exhibeto: poterit eadem uel cum terebinthina, uel cum decocto melle confici. ad pilulas uero commodius deglutiendas melicratum propinato.

De ſcammonia. Cap. XXV

SCammonia bilem flauam maxime expurgat, infert tamen dolorem cordis, eſtque inodora, inſuauis, ſiticuloſa. cumque omnes purgantes medicinæ præter aloem infeſtæ ſint ſtomacho, ſcammonia plane eſt omnium infeſtiſſima. arcenda igitur ab his qui ſtomachum habent imbecillum, & à febrientibus. cum enim leuiſſima ſit facile per corpus diffunditur, & concitat quidem in ipſo uniuerſam humorum colluuiem: concitata tamen à febris calore intercipitur, ut egeri nequeat. danda ergo eſt his qui non febriunt, quique robuſti ſtomachi ſunt, neque facile de liquium animi patiantur. doſis uero ſcrupuli duo, uel pro uirtutis ratione maior aut minor, immiſcendumque illi ſalis quidpiam thymiue coma, aut puleium. præſtat tamen aloem miſcere: ſola etiam datur cum melle aut ptiſanæ cremore, ubi furtim purgare uolumus.

De peplio. Cap. XXVI

PEplij ſemen additis interdum etiam ramuſculis in umbra exiccato, terito & cribrato. cuius ſcrupulos quatuor cum melicrato exhibeas, pauciſſimo aceto inſpergens. præterquam enim quod flauam nigramque bilim & pituitam ducit, flatus etiam expurgat, ueluti Hippocrates quoque atteſtatur. ſummopere igitur confert flatuoſis affectibus, qui in melancholia dominantur. item diuturnis lienis & uteri & coli flatibus, tumefactisque œdematibus in abdomine.

De elleboro nigro. Cap. XXVII

ELleborus niger atram flauamque bilem à corpore uniuerſo abſque multo labore per aluum ducit, propterea his qui uel periodice uel diuturne febriunt, tuto exhibemus. datur etiam furentibus & hemicranico capitis dolore laborãtibus, egregie uero uiſceribus & utero & ueſicæ confert: maximaque illi & propria uis eſt, totum illud corruptum educere quod ſanguini immiſcetur: propterea ad regium morbum antiquum utiliſſime exhibetur, & ad aſperitates quæ ſuperficiem corporis inficiunt, ut lepræ, impetigines, & huiuſmodi. facit & ad elephantiaſin. doſis eius ſcrupuli tres, pauloque maior aut minor. eligito circa radices graciles ramuſculos pauxillaque aqua madefacito: inde corticem ablatũ in umbra exiccato, terito & cribrato. propinatur è paſſo aut oxymelite. adhibendum uero illi iucunditatis gratia paulum uel petroſelini, uel dauci. quod ſi potentius purgare uolueris, etiam ſcammoniæ portiunculã admiſceto.

De bilim atram ducentibus. Cap. XXVIII

DAnda bilem atram educentia præmiſſo apparatu cõgruo, melancholicis, ſtomachicis, his qui facile indignanſ, homines odio habentibus, receſſum quæritantibus, & his qui inter conualeſcendum indigent purgatione. conuenit in ſicco, muſculoſo, paucique ſanguinis temperamento, autumni tempore præſertim calido.

De epithymo. Cap. XXIX

EPithymum atram bilem inferius ducit. dato uigentibus ętate triti & cribrati ſcrupulos duos, ex paſſo aut oxymelite, pauculo ſalis adiecto. confert flatuoſis & hypochondriacis, et quibus hepar ingraueſcit, ac difficulter ſpirantibus. ſimilis uis ei quoque epithymo eſt, qui ſtœbæ adnaſcitur. item qui thymbræ, ideo epithymbron dictum, niſi quod debilius utrunque eſt.

De polypodio. Cap. XXX

POlypodium bilem educit nigram & pituitam. dato expurgatę radicis ſcrupulos ſex, qui in aquoſa mulſa præferbuerint: poteſt & ſuper ſalſamento quopiam deradi & ante prandium exhiberi. moderate etiam purgat, ſi ex gallinæ aut ptiſanæ iure decoctum propinetur.

De puleio. Cap. XXXI

PVleium atram bilim educit acetabuli menſura potum ex melicrato. eadem uis & tragorigano & parthenio, quod à quibuſdam leucanthemon appellaſ, quantitas utriuſq; ſcrupulorũ ſex. idem poteſt & alyſſon, eoſdemq; humores purgat, danturq; ex eo pariter ſcrupuli ſex. præſtat autem cum modico aceto, ſale, & aqua exhiberi, exiccatum prius tritumq; ac potioni mixtum.

De armenico. Cap. XXXII

ARmenicum quo pictores utuntur, nigram bilim purgat, & quicquid craſſum uiſcoſumq; corpori adhæreat: propterea daſ melancholicis & elephantiaſi, ſimiliq; morborum genere laborantibus. item renum uitio affectis, & ſuſpirioſis dantur ferè ſcrupuli quatuor.

De centaurio minore. Cap. XXXIII

CEntaurium minus craſſiſſimam bilim mucosque expurgat, propterea congrue datur ſplenicis & coxendicum uitio laborantibus. bibitur eius decoctum ex aqua. ſũmito centaurij ſcrupulos ſex, aquæ heminam unam, bulliant ad dimidij conſumptionem.

De pituitam ducentibus. Cap. XXXIIII

PItuitam ducentibus uti oportet, ubi temperaturæ, ætates & ægritudines frigidiores fuerint: ueluti reſolutorum, attonitorum, dementium, eorumq; qui inflata œdemata patiuntur: quiq; craſſo muco exuberãt, quiq; coxendicibus, ob pituitam laborant: quiq; eo affectu quem Anaſarca uocant, infeſtantur.

De colocynthide. Cap. XXXV

COlocynthis pituitã ducit et quę mucoſa ſunt, unde neruos neruoſaq; purgat corpora. cõgrue igitur exhibetur in affectibus capitis, atq; his qui nõ niſi recta ceruice ſpirant, & coxendicum uitio laborantibus. facit & ad antiquas renum ueſicæq; ægritudines: atq; omnino ad inextirpabiles, & ueluti ad calli naturam accedentes affectus. datur illius medulla ex duobus mulſæ cyathis ſcrupulorũ duorum pondere, imbecillibus tamen ſcrupulus ſufficit. eligenda eſt medulla alba & mollis, ſiccior enim & nigricans mala, quę incidenda, diligenter terenda & ſępius cribranda eſt. at uſus tempore rurſus cum mulſa in mortario exquiſitiſſime ſubigenda, id enim illi peculiare eſt, ut trita anteq̃ madefiat, ſubtiliſſima appareat. ſed poſt mulſæ infuſionem ita intumeſcat, ut qui uideat cribratã minime putet. quoddam igitur fruſtulum eorum quæ intumuerint, ſæpe uentri aut ſtomacho inhæ-

ret, ſæ-

ret. ſæpius tamen inteſtinorum anfractibus implicatur, cumque ſit naturaliter acuta & mordax, ulcerat inteſtina, & ob conſenſum neruis affectum inducit; torminaque parit & contractiones, propterea exquiſitiſſima diligentia cum mulſa ad ultimam minutiem redigenda eſt. quod ſi mitius purgare uolueris, colocynthidis ſuperiori mucrone exciſo uniuerſum ſemen eximito. tum quicquid eius tomentoſum eſt abſque ſemine rurſus in ipſam conijcito, impletoque aut ſapa aut paſſo antiquo, tum diem ac noctem madefieri ſinito: deinde uinum excolans panno attrito calfactũ propinato: purgat egregie ictericos, & eos qui in corporis ſuperficie liuidas habent puſtulas.

De tithymalo. Cap. XXXVI

TIthymalus pituitam & bilim ducit, quem ita præparabis. ramuſculos eius uirides in teſta quapiam paululũ torrefacito, inde terito, & cum hordeacea farina ex aqua ſcrupulos ſex propinato. rami uero cum aruerint imbecilliores ſunt. item tithymali qui characias dicitur, radicem in umbra exiccato, & uſus tempore corticem ablatum incidito, terito & cribrato, & ſcrupulos quatuor in paſſum proiectos die ac nocte madefacito, deinde per linteum attritum colato, & calefactum medicamentum propinato: egregie enim purgat, ita ut aliqui hoc præ cæteris tanquam arcano utantur. ſuccus tithymali à nõnullis exhibetur cum ficubus, aut polenta, quatuor aut ſex guttarum quantitate: linguam tamen & loca ambientia uehementer ulcerat, & plurimum uentris ardorem facit.

De iſio. Cap. XXXVII

ISij corticem exiccato, terito & cribrato, cuius ſcrupuli quinque aut ſex in paſſo madefiunt, deinde excolantur paſſumque exhibetur, purgans præcipue pituitã. anus uero frigida lauandus non eſt, donec aluus ducenda ſit, ſed linteo ueteri abſtergendus: ubi ſiſtenda uidebitur, tunc anus frigida abluendus, in eademque manus, extremique pedes immergendi: ſtatim enim ſiſtetur.

De elaterio. Cap. XXXVIII

ELaterium pituitam & bilem trahit. dato obolos tris cum lactis recentis hemina una: habet autem obolus ceratia tria.

De cnidio cocco. Cap. XXXIX

CNidius coccus aquoſa quidem & ſeroſa magis detrahit, ſed nihilominus bilem pituitamque moderate ducit. herba prorſus igneæ acerrimæque naturæ: dantͤ illius grana circa triginta, aut uiginti, aut quindecim, ſi lenior purgatio quæratur. ſuntque cum polenta ſubigenda, & è uino propinãda, ſorbeatque poſtea qui biberit paululum roſacei aut melini olei, ne guttur exardeat: præſtat tamen grana trita cum decocto melle in pilulas redigere.

De agarico. Cap. XL

AGaricum pituitam et bilem purgat, ſed moderate dato drachmas duas cum melicrato aut oxymelite. eſt autem ob leuitatem fluitationemque ſtomacho infeſtum.

De cnici ſemine. Cap. XLI

CNici ſemen pituitam ducit, non uehementer tamen. huius ſeminis terito drach. v. atque iure gallinæ aut ptiſanæ cremore excolatas præbeto. quidã medullæ cnici drach. i. cum aniſo & amigdalis terunt, & cum melle cocto in pilulas redigunt, quas deinde arquatis exhibent. utile & hoc quidem, ſed lenius.

De lathyri. Cap. XLII

LAthyris pituitam præcipue ducit. danda ſi ampliora ſint, grana quindecim, ſi minora, uiginti, quæ maiorem euacuationem poſcenti potius mandenda ſunt: qui uero leniorẽ maluerit, integra deuorabit, præſertim ſi imbecilli ſtomachi fuerit.

De ari-

De ariſtolochia ſurculoſa. Cap. XLIII.

ARiſtolochię ſurculoſæ ſemen exiccatum terito, cuius drach. i. propinato: bilim ac pituitam purgat, & ſtomacho confert.

De mercuriali. Cap. XLIIII.

MErcurialis ſi tenera folia elixa comederis, ſimum egregie ducunt. idemq́ʒ poteſt eiuſdem decoctum cum uino mixtum.

De cucumere agreſti. Cap. XLV

COrticis radicis agreſtis cucumeris, obolos duos, id eſt, ceratia ſex è mulſa propinato, pituitamque egregie duces ſine moleſtia, neque iniuria ſtomachum afficies.

De ſtyrace. Cap. XLVI

STyracis flaui pinguis datur drach. i. cum æquo pondere terebinthinæ, pilularum forma, pituitamq́ʒ ducit abſq́ʒ moleſtia.

De thymo. Cap. XLVII.

COrymborum thymi tritorum & cribratorum tres, quatuor ue drach. è poſca modico ſale adiecto exhibeto: bilim enim & pituitā ſine moleſtia efficaciſſime purgant.

De cyclamino. Cap. XLVIII

CYclamini radicis cōtritiſſimæ drach. iij. aut iiij. pro uirtutis ratione è mulſa potæ pituitam & bilim ducunt: per ſudorem tamen præcipue purgāt, propterea qui biberit operto corpore decumbere oportet, & ita ſudoris excretionem iuuare.

De ſcordio. Cap. XLIX.

Scordij contritiſſimi drach. ij. cum mulſa potæ pituitam ducunt.

Chamæpitys. Cap. L

CAmæpityos contritiſſimæ drach. ij. cum ficubus aut melle cocto in pilulas redactæ & deuoratæ pituitam egregie ducunt.

Bdellium. Cap. LI

Bdellij arabici perlucidi ac flaui triti drach. ij. cum mulſa bibitæ pituitā purgant.

De aquam ducentibus. Cap. LII

VTendum medicinis aquam ducentibus, & ubi aſcites tumor affuerit, & ubi mulieres albo fluxu detinentur: & ubi ulcera infeſtent ad quæ plurimæ defluant humiditates.

De ſquamma æris. Cap. LIII

SQuamma æris aquam purgat, datur drach. i. s. cum melicrato: non tantum uero aquam ducit, ſed etiam pituitam. quædam tamen eorum quæ prædiximus, aquam nihilominus purgant, qualis eſt cnidius coccus & cnicus. radix uero ſylueſtris cucumeris commodiſſima hydropicis eſt, ab omni prorſus moleſtia immunis.

De euphorbio. Cap. LIIII

EVphorbium pituitam quidem, ſed aquam ualidius ducit. eſt autem acerrimum omnium quæ ego nouerim ardentiſſimumq́ʒ, propterea colicis exhibetur: frigidioresq́ʒ uentres habentibus datur. miſcetur illi odoratorum ſeminū quidpiam. detur triobolus cum melicrato, præſtat tamen cum melle cocto ipſum in pilulas redigi.

Chamelæa. Cap. LV

CHamelæa decocta in melicrato, & bibita aquoſos humores ducit: præcipue tamen pituitam & bilim. huius drach. circiter quinque in duabus heminis aquæ ad quartam partem coquantur, adiecto in fine coctionis mellis quod ſufficit, ac deinde decoctum excolatum propinetur. nonnulli tritæ chamelææ drach. duabus duplum comarum abſinthij commiſcentes cum melle decocto pilulas faciunt, deuorandasq́ʒ exhibent.

Sanguinem purgātia. Cap. LVI.

Sanguinē purgāt, porrorū capitatorū ſuccus, mercurialis ſylueſtris, malua, ſaluia.

Metho-

Methodus componendarum medicinarum catharticarum Cap. LVII

HActenus quidem ſimplices medicinas quæ priuatim purgare poſſunt, quantum compendio licet, recenſuimus. eaſdem uero etiam commiſcere non admodum difficile arbitror his, qui ſingulæ cuiuſque uim ex præcedentibus recte perceperint. nam ſi duæ ipſarum ſint commiſcendæ, dationis quantitatem bipartire oportet, ut utriuſque dimidium ſumatur. ſi uero tres aut plures iungendæ fuerint, ſemper dationum ſingularũ partitio admiſcendis medicinis proportione reſpondeat, quod quidem fieri ſolet, quando non unus humor ueluti pituita, bilis, aqua, ſed omnes ſimul peccauerint: quos quidem ſi æqualiter exuberantes nouerimus, æquo pondere confectionem paramus, at ſi unus cæteros ſuperauerit, medicinæ illum euacuantis maius pondus adijcimus. illud maxime uelim, quæ molliunt, quæque aluum ducunt alimentis miſceri: in cibo enim medicamentum præſtantiſſimum eſt inquit Hippocrates, ut obiter ad ſanos etiam qui adſtrictioris alui fuerint hæc documenta referantur. interdum uero & his qui ex ægritudine conualeſcunt, & qui diuturnum morbum ægrotant præſidio erunt huiuſmodi medicinæ, ſi iugiter condimentis quidpiam eorum quæ aluum molliunt applicetur, ut ſcilicet uel uenter ſubducatur, uel ut exuberans humor paulatim euacuetur. à potionibus igitur incohabimus.

Ex Theone uini bilim purgantis præparatio Cap. LVIII

CAſiæ, ſcammoniç ſing. unc. I. uini ſext. quinque, arida minutiſſime trita, in linteoque exquiſitiſſime alligata in uino ſuſpendito, ſinitoque diebus quinque madefieri. huius uini quidpiã calida temperabis & ante cibum ad bilim trahendam dabis.

Pituitam ducens Cap. LIX

LAthyridis expurgatæ unc. I. ſpicæ nardi ſcru. III. uini ſext. quinque. præpara & utere ut dictum eſt ad pituitam ducendam.

Ad melancholicos aliud Cap. LX

POlypodij triti & cribrati unc. unam in linteo alligatam in quinque uini ſext. diebus ſeptem madefaciendam ſuſpendito, temperatumque uinum, ut diximus, propinato.

Aliud uinum polypodite Cap. LXI

VIni dulciſſimi ſext. ſex. maſtiches unc. I. epithymi drach. quatuor, radicũ polypodij recentium deraſarũ, lib. duas, arida expurgata, & exactiſſime trita in paſſo ad tertias decoquito, deinde ab igne tollito ſinitoque ut frigeſcat, poſtea excolato & addito ſpicæ nardi tritæ & cribratæ ſcru. III. id uero ſatius eſt in mortario ſubigi, tum in fictile picatum conijci & oleo orificio uaſis impoſito ſeruari. huius calicem amplum calida temperatũ in medio prandio exhibebis, idem dulciſſimum efficaciſſimumque eſt in palmeo cortice præparatum, & uulgo à nauigantibus comprobatum reconditur.

Vinum mulſum ſtercus educens Cap. LXII

MEllis ſext. unum, uini ſext. quinque, maſtichæ, unc. III. maſticham tritam linteoque illigatam, in uino mulſo ſeptem diebus madefaciendam ſuſpendito, cuius uini calicem calida temperatũ ante cibum exhibebis, hoc enim ſtercus educit, ac ſtomacho confert, ſed & pituitam euacuat.

Vinum mulſum bilem flauam educens Cap. LXIII

SCammoniæ unciam unam, ſpicæ nardi drach. I. tritas & cribratas, in linteoque alligatas in ſex uini ſext. duobusque mellis madefacito, & utere.

Vinum mulſum quod pituitam ducit Cap. LXIIII

SEminis cnici unc. quatuor tritas exquiſitiſſime & cribratas linteoque illigatas in quinque uini ſext. & uno mellis madefacito & utere ut dictum eſt.

Vinum mulſum ad melancholicos Cap. LXV

POlypodij unc. tres tritas & cribratas in uini ſext. quinq; & mellis uno madefacito, & utere.

Conditum ad flauam bilim Cap. LXVI

PIperis drach. III. ſcammoniæ unc. I. ſeminis apij drach. I. uini ſext. quinque, mellis ſext. unum. arida ſeorſum terito, deinde cum melle ſubigito, poſtea in uino diebus ſeptem madefacito, & utere.

Conditum ad pituitam Cap. LXVII

LAthyridis unc. I. piperis unc. I. aniſi, ſeminis apij ſing. drach. I. uini ſext. quinque, mellis ſext. unum. præpara, ut dictum eſt, & utere.

Conditum ad melancholiam Cap. LXVIII

POlypodij unc. i. piperis unc. i. ſeminis apij drachm. i. uini ſext. quinque, mellis ſext. unum præpara & utere, ut dictum eſt.

Abſinthatum ad flatus & fimum educendum Cap. LXIX

LIguſtici unc. i. s. cymini unc. i. ſpicæ nardi ſcru. ij. floris iunci odorati ſcru. i. maſtichæ ſcru. vi. uini ſext. quinque, mellis ſext. unum, tere & cribra, melq; primo admiſceto, deinde uinum, utere diebus quinq; ante prandium.

Abſinthatum amarum bilim flauam educens Cap. LXX

COſti unc. i. maſtichæ drach. iiij. roſarum ſiccarũ drach. ij. ſpicæ nardi drach. ij. floris odorati iunci drach. i. aloes unc. i. ſcammonię unc. i. mellis ſext. unũ, uini ſext. quinq; præpara, & utere, ut dictum eſt.

Abſinthatum ad pituitam Cap. LXXI

MAſtichæ drach. iiij. coſti, drach. iiij. ſpicæ nardi, folij ſing. drach. i. caſię drac. i. polypodij unc. i. mellis ſext. unũ, uini ſext. quinq;, præpara ut dictum eſt.

Roſatum flauam bilem euacuans Cap. LXXII

ROſarum exectis unguibus lib. i. uini antiqui ſext. quinq;, mellis ſext. unum: roſæ integro die langueſcant, inde in uinum coniectæ diebus quinq; madefiant, tum uino excolato mel adijciatur, cui unc. una ſcammoniæ tritæ & cribratæ commixta fuerit: quod poſtea in uaſe reconditum exquiſitiſſimeq; obturatum ſuper labro frigidæ aquæ ſeptem aut octo diebus ſuſpendes, poſtremo inde amotũ ubi triginta diebus quieuerit, ſeruato & utitor.

Roſatum pituitã aqueos humores melancholiã & bilim educẽs Ca. LXXIII

SI deſcriptio præcedens cocci cnidij unc. i. ſuſcæperit abſq; ſcammonia ſeroſum humorem & bilim euacuat: ſi lathyridas ſolas educet pituitam: ſi epithymum tantum melancholiam.

Mellis roſacei cathartici præparatio Cap. LXXIIII

MEllis lib. i. ſucci roſarum lib. i. maſtichæ drach. iiij. piperis drach. iiij. zingiberis drach. ij. ſcammoniæ drach. vij. decoque mel cum ſucco roſarum ad mellis humidioris cõſiſtentiam, inde adiectis ſcammonia & maſticha minutiſſime tritis iterum ſinito ut ferueant, poſtea ſublatum ab igne medicamentum in mortario ſubigito, cuius cochleare exhibitũ flauam bilẽ educit. quidam ſimpliciori mixtione ſcammoniam prius in aqua madefactam decoquunt, poſtea excępto quicquid grumoſum reſederat reliquũ excolant, deinde adiecto melle roſaceo rurſus excoquunt ſicut paulo antea docuimus. quod ſi prædicta confectio amota ſcammonia lathyridis unc. unam ſuſceperit, pituitam educet, ſi unciam polypodij melancholiam, fietq; potentior ſi pro polypodio epithymum cæperit.

Aceti cathartici præparatio Cap. LXXV

SCammoniæ unc. I. aceti ſext. quinq; commiſceto ſinitoq; diebus quinq; madefieri, dein cũ ſalſamento in cibis unũ duo ue cochleria exhibeto: bilim enim

flauam educes: quod ſi pro ſcammonia lathyrida addideris, pituitam: ſin unciam epithymi, humorem melancholicum trahes.

Oxymelitis purgantis præparatio Cap. LXXVI

MEllis deſpumati ſext. cum aceti acerrimi ſext. ad mellis conſiſtentiam decoquito, deinde inijce epipetri triti & cribrati unc. i. utereq; in ſalſamento, aut ieiuno cochlearia duo hora circiter tertia ex aqua propinato: nam bilim euacuat. quod ſi epipetron deerit, ſcammoniam ponito. ſi uero cnici medullæ unc. i. ſumpſeris, & tritam in eodem diebus quinq; madefeceris, pituitam ducet.

Aliud. Mellis & aceti ſing. ſext. unum adiecta thymi minutiſſime triti uncia decoquito, ſinitoq; ut diebus quinq; reſideat. purgat enim melancholiam, omnia uero quæ in prædictas oxymelitis conditurás conijcies, in linteo alligata madefacies. Aliud flatum educens. Aceti & mellis ſing. ſext. unum, baccarum iuniperi drach. iiij. piperis unc. i. zingiberis unc. i. petroſelini drach. iiij. ſeminis apij, ameos, liguſtici, aniſi, epithymi, ſing. drach. iiij. cymini, drach. ij. polypodij unc. i. præpara & utere ut dictum eſt, conuenit autem colicis.

Oxymeli ſuccos deprauatos prorſus euacuans Cap. LXXVII

COmarũ hyſopi unc. i. s. origani unc. i. puleij, unc. i. s. marrubij, unc. i. s. epithymi, ſeminis cnici, corymborum thymi, agarici, ſing. unc. i. polypodij unc. ij. ſcammoniæ, unc. i. & ſcru. vi. aceti ſext. unum cum dimidio, aquæ ſext. unum, mellis, lib. ij. ſapæ, unc. vi. herbas aceto & aqua prius madefaciens, ad tertias decoque, & excola: poſtea adiecto melle rurſus ad bonam cõſiſtentiam decoquantur, tum cathartica medicamenta ſcammoniam inquam agaricum, & epithymum exquiſitiſſime trita & cribrata conijcito: datoq; ubi parce purgare uolueris ſcru. xi. ubi uero mediocriter ſcru. xx. ſed robuſtis integra uncia exhiberi ſolet, quidam addunt alypiadis, unc. i.

Oxymeli colicis per clyſterem inijciendum Cap. LXXVIII

CEntaurij, unc. i. alypiadis recentis, unc. ij. rutæ uiridis, unc. s. marrubij, agarici, iridis, hyſopi, puleij, ſing. drach. iiij. ſcillæ, unc. i. aceti ſext. quinque, mellis ſext. unum, omnia in aceto pręmadefaciens ad tertias decoquito, deinde ubi excolaueris mel adijcito ac rurſus ad humidioris mellis conſiſtentiam decoquito, poſtremo addito ſcammoniæ contritiſſimæ, ſpicæ nardi, cathartici diamarathri, ſing. unc. unam. ad dolores uero colicos ſtercore prius per clyſterem educto in alio clyſteri huius oxymelitis cochleare diluito: eodem modo uteris etiam ad renũ uitia quæ pituitæ cauſa contingunt: pituitam enim ſine moleſtia euacuat, & ſanitatem reſtituit.

Oxymeli amarum Cap. LXXIX

FOeniculi uiridis faſciculum unum, apij cum radicibus, rutæ uiridis ſing. faſciculos duos, aceti ſext. duo cũ dimidio. i. lib. quinq;, mellis lib. i. s. decoque herbas cum aceto ad tertiam partem, & excola, inde melle adiecto rurſus ad humidi mellis conſiſtentiam decoquito, deinde aloes electæ, unc. i. in mortario tritæ, & cribratę in oxymeli conijcito paulatim uniendo, & utere. dabis cochlearia duo, & qui hauſerit calidam ſuperbibet: caput exquiſite purgat, & ſtomacho confert.

Fuſca uentris mollitoria Cap. LXXX

CYmini, unc. i. hyſopi, unc. i. s. ameos, puleij, ſing. unc. i. s. petroſelini, corymborum thymi, ſing. drach. iiij. zingiberis, unc. i. ſeminis cnici, unc. i. piperis, epithymi, ſing. drach. iiij. ſalis cappadocis, unc. ix. terito & cribrato, & arida ſeruato, atq; uſus tempore dato cum poſca cochlearia duo.

Alia multum probata & potentior Cap. LXXXI

CYmini, unc. i. fœniculi, unc. ij. puleij, unc. i. s. ſeminis apij, unc. ij. aniſi. unc. ij ſcru. viij. ſcammoniæ, ſcru. quatuor, epithymi, unc. iij. ſalis cõmunis, unc. viij

aut lib.unam,terito & cribrato datoq́ cum poſca,ſoluit enim per aluum.

Gari cathartici compoſitio. Cap. LXXXII

SCammoniæ drach.quatuor,piperis grana quinquaginta,gati nigri,unc.iij.miſce & ad intinctus utere,aut quomodo uolueris,ac bilim purgabis. Aliud. Cnici, piperis,ſing.grana quinquaginta,gari,unc.iij.medullam cnici terito & utere, pituitam purgat. at ſi pro cnico lathyridas ſumpſeris potentius facies,& ſi polypodium quoq́ addideris melancholiam duces, ualidiusq́ efficies ſi pro polypodio epithymi inieceris drach.ij. uel tres.

Laxatorij mellis compoſitio Cap. LXXXIII

FOeniculi uiridis m.i. aquæ ſex. tria,ad ſextarium unum decoquito & excola, & inijce mellis lib.i.& coque ad mellis conſiſtentiam, & dato heminas tres. ſi uero pro fœniculo cnici medullæ,unc.i.addideris pituitam purgabis:ſi polypodij aut epithymi tantundem, melancholiam. Oxymeli aliud laxatorium Proſomitæ. Pulej,origani,thymbræ ſyluestris,polypodij, ſing.unc.i. radicum apij drach.quatuor,anethi ſicci,unc.vi.agarici,epithymi,ſcammoniæ,ſing.unc.i.mellis & aceti,ſing. ſext. unum,præmadefactis herbis decoque oxymelitis more,ubi uero accæperit congruam conſiſtentiam auferto ab igne,atq́ illi addito ſcammoniam,epithymum,agaricum,& da unc.i.cum aqua calida.

Hydrogaron laxatiuum Cap. LXXXIIII

GAri,unc.i.piperis grana quinquaginta,ſeminis apij obolum unum, aut cera tia tria,mellis cochleare unum,ſcammoniæ,ſcru.i.s. aut duo,reliquis decoctis & ab igne ablatis,unito ſcammoniam, dato ante cibum.ſi uero pro ſcammonia cnici ſeminis grana uiginti ſumpſeris intrinſecam tantum medullam eligendo pituitam purgabis:ſi polypodij,drach. iij. melancholicum humorem.

Oenogarum purgans Cap. LXXXV

GAri cochlearia duo, piperis grana quinquaginta, liguſtici, ſcru. i. ſcammoniæ,ſcru.i.mellis modicum,in uino decoquito, atq́ ut hydrogarũ conficito, & utere. ſi medullam granorum uiginti cnici conieceris,pituitam duces,ſi polypodij drach.iij. melancholiam.

Iura laxatiua Cap. LXXXVI

AQuæ ſext.unum,olei tudiculam unam,gari modicum,ſalis quantũ ſat fuerit, anethi nonnihil decoque, donec omnia colliqueſcant, deinde imponito medullam granorum xx.cnici & exhibeto,euacuat enim pituitam.quod ſi polypodij trit & cribrati drach. quatuor,cnici loco addes ex iure perdicis aut phaſiani,melancholiam duces. non æquum uero putaui ſcammoniam iuſculis apponendam: nam ita damnum inferre deprchenſum eſt.

Lac purgans Cap. LXXXVII

ASinini aut caprini lactis heminam unam,ſcammoniæ ſcru.ij. uniens exhibeto,bilim enim purgat:ſi uero medullam granorum xx.cnici inieceris,pituitam duces.polypodium tamen aut epithymũ lacti addenda nõ conſulo,quoniam inde potio infecta denigrataq́ abominationem plerunq́ bibituris inducat.

Oliuæ purgantes Cap. LXXXVIII

PIperis,drach.i.epithymi,drach.ij.laſeris,mentæ uiridis,comarum pulej,cymini,rutæ ſing.drach.i. ſcammoniæ, drach. viij. mellis & aceti ſing.ſext. oliuas muria confectas c. xx. ſingula quæq́ eorum primo ſeorſum terito, poſtea ſimul cum oxymelite:deinde oliuas ſingillatim tribus ſciſſuris infectas in eodem liquore aliquot diebus conficito & utere. dabis in cibo oliuas tres, cum uno duobus ue liquoris cochlearibus pro uirium ratione.

Oxyporia

Oxyporia purgantia Cap. LXXXIX

COnditi ex citonijs, quod ad coctionem in ſtomacho faciendam parare conſueuimus, ſumito, quantum eſt cochleariũ, & addito ſcammoniæ, ſcru. ij. & bilem flauam abſq; moleſtia purgabis. q ſi lathyridis gra. xx. poſueris pituitã educes, ſin polypodij aut epithymi, drach. iiij. melancholiam. idem & cum dioſpolitico medicamento ad ſtomachi coctionem confecto efficies, præſertim ubi pituita thoracem obſederit, nec minus ſi diacalamentho quidpiam eorum quæ purganr, addideris, deprauatos ſuccos educes q ſunt in corporis ſuperficie, ueluti ſcabies, lichenes & ſimilia.

Oxyporium diaphœnicon. i. è palmulis Cap. XC

Zingiberis, piperis, petroſelini, cymini, ſing. unc. i. ſcammonię in fermento aſſatæ & minutiſſime tritæ unc. i. s. carnis palmularum pinguium unc. iiij. foliorum rutæ unc. iiij. mellis, lib. iij. aceti ſextarium. acetum prius cum melle & palmulis ad tertias decoquito, deinde arida exquiſitiſſime trita & commixta in oxymeli decoctum paulatim conijcito unitoq;. id ſane admirandum medicamentum eſt plurimoq; uſu comprobatũ, cuius cochlearibus duobus quando adhuc in ſuo uigore conſtiterit, & ubi aluum conſtipatam nactus fueris, integra purgatio perficitur: laxiori uero exiſtente aluo, pro illitus laxitatis quantitate medicina exhibẽda eſt, ita ut unum quandoq; cochleare ſufficiat. bilim flauam egregie ducit, propterea arquatis, & tertianarijs confert, ubi laudabilis concoctio in urinis apparuerit, purgat etiam pituitam moderate, utere audacter quocunq; tempore: nam neque inuertit inteſtina neq; aliquid efficit importunũ: ego quidem coctione in urinis apparente his etiam exhibui, qui ſine rigore febriebãt, & cõfeſtim ſanitas ſubſecuta eſt.

Catharticum ex citonijs malis Cap. XCI

Citonia odorata magnitudine & maturitate perfecta fermento circumlita aſſantur, deinde ſumuntur pulpæ eorum unc. iiij. mellis deſpumati unc. v. piperis, drach. ij. ſcammoniæ, drach. vi. ſingula prius ſeorſum terito, poſtea unito, dato cochleare unum.

Catharticum ex citrijs. Cap. XCII

CAput purgat, ſtomachi aut uentris uitio laborantibus cõfert, atq; his, qui ob imbecillitatem ualidum medicamentum non tolerant, propterea pueris innoxie exhibetur: omnino enim ſtomacho utile eſt, quod ſic præparatur. ſumito corticum citri & pulpæ ſimul, lib. unam, aquæ ſext. unum cum dimidio, mellis ſemiſextarium, piperis, ſcammonię, ſing. unc. i. citrum in tenues partes diſſectum in aqua ad ſemiſextarium decoquito, inde melle decoctioni excolatæ adiecto rurſus ad congruam conſiſtentiam elixato, poſtea citrio reliquiſq; contritis mulſam unito, & utitor. dato cochleare unum.

Catharticum diamarathron multum inſigne Cap. XCIII

EPithymi, zingiberis, ſcammoniæ, ſing. unc. i. fœniculi faſciculos tres, aquæ ſext. tria. decocto fœniculi quod ad tertiam partem ebullierit, mel adijcito, & rurſus ad bonam conſiſtentiam decoquito, tum arida immiſceto, & da cochleare magnum.

Aliud ſtomacho optimum. Fœniculi, cymini, pulei, ſingulorum m. i. aquæ ſext. tria decoque uſq; ad ſextariũ, & ubi excolaueris, mellis tantundem adijcito, & decoque ad mellis conſiſtentiam, deinde ſumito ſcammoniæ minutiſſimæ, piperis, ſin. unc. i. maſtichæ, drach. iiij. ſubigito in mortario & unito, dato cochleare, congruit flatuoſis.

Diamarathrum, id eſt, per fœniculũ quod paſſim conficitur Cap. XCIIII

SCammoniæ unc. iiij. zingiberis unc. i. piperis unc. i. petroſelini, ſcru. ij. corticis ellebori nigri, ſcru. vi. epithymi unc. i. mellis libras tres, ſucci fœniculi tantundem, ſuccum cum melle decoquito ad mellis conſiſtentiam, & paulatim in mortarium infundito in quo ſint arida trita, & cribrata; dato cochleare unum.

Catharticum nigræ bilis ex Oribaſio Cap. XCV

AQuæ ſext. tria, mellis unc. ix. epithymi triti & cribrati unc. i. ad tertias decoquito, ac pro uirtutis ratione propinato, quartam ego partem exhibendam puto, atq; ubi ægrotos idoneos nactus fueris etiam dimidium.

Aliud bilem nigram & flauam purgans Cap. XCVI

SCammoniæ unc. i. s. epithymi unc. i. petroſelini, zingiberis, menthę, ſing. unc. ij. aſſumito in melle & dato nucis ponticæ magnitudinem.

Paſtillus bilem purgans Cap. XCVII

PIperis, maſtichæ, pinearum, paſſularum exemptis acinis quæ gigarta uocant, ſing. grana decem, cymini, gra. xv. ſcammoniæ circa ſcrupulos duos, mellis paululum, omnia ſimul miſceto: dato pro integra purgatione facienda paſtillum integrum, educet enim ſine moleſtia.

Bucella cathartica Cap. XCVIII

FErmenti ex ſimila, lib. ij. ſcammonię unc. i. ſeminum fœniculi, foliorum cymini, ſingulorum ceratia tria, piperis grana quadraginta, ſalis communis quantum ſufficit, oleogari cochlearia duo, terito arida & cribrato, & cū fermento, paruulos panes conficito quos in clibano aſſabis. huius panis unc. ij. comedendas exhibeto, quoquo modo patiens maluerit, ita enim integram purgationē perficies: præſtat tamen ieiuno exhibere, & abſq; ulla penitus moleſtia, bilim purgabit.

Catharticum pituitæ ex Oribaſio Cap. XCIX

BAccarum lauri recentium unc. ij. euphorbij unc. i. mellis quod ſufficit, ut eclegmatis formam accipiat, dato cochlearij ſemis, quod ſi humores exuberauerint plus quoq; exhibebis. utere hoc, tanq; optimo. Aliud pituitam purgans. Seminis aniſi, apij, ameos, piperis, cocci cnidij, granorum cnici, lathyridum, ſin. drach. iij. caſtæ, drach. ij. mellis deſpumati quod ſufficit: duobus cochlearibus integram purgationem perficies. Aliud. Colocynthidis medullæ, ſeminis aniſi, caſiæ, ſing. drach. iij. cocci cnidij, drach. viij. ſpicę nardi, drach. ij. mellis quod ſufficit, ut formam eclegmatis capiat, dato uigentibus cochlearia duo.

Humorem melancholicum purgans Philagrij Cap. C

ZIngiberis, drachm. i. & ſemiſſem, apij drach. ij. ſucci cyrenaici, piperis, ſingu. drach. i. epithymi, drach. iij. liguſtici, drach. i. aſſumito in melle ad eclegmatis formam, dato cochlearia duo.

Alaud bilim nigram & pituitam euacuans Cap. CI

EPithymi, agarici, aloes, ſing. drach. iij. corticis ellebori nigri, drach. ij. bdelij, gummi, ſing. drach. i. hyſſopi, iridis, ſucci abſinthij, ſing. drach. ij. quod ſi ſuccus non affuerit cape comarum tantundem, aſſumito in melle, & pro uirtutis ratione dato, humorem enim melancholicum & pituoſum ducit.

Bilis utriuſq; & pituitæ & reliquorum humorum catharticum Cap. CII

LAthyridis, pulpæ colocynthidis, foliorum ſiccorum chamelææ, ſcammoniæ, epithymi, polypodij, aniſi, ſing. drach. i. corymborū thymi, piperis, maſtichæ, carpobalſami, caſiæ, apij, chamæpityos aridæ, ſing. drach. v. ſucci aut comarū abſinthij, drach. v. mellis quod ſufficit, ad eclegmatis formam. dato cochleare unum aut plus etiam pro uirtutis ratione, non abſolute tamen hoc utaris in omnibus, ſed ubi ſuſpitio fuerit uniuerſos humores exuberare.

Aloetica mollitiua ex melle roſato Cap. CIII

ALoes, coſti, ſpicæ nardi, carpobalſami, floris iunci odorati, ſing. unc. i. caſiæ, unc. ij. agarici, drach. i. croci, drach. iij. mellis, unc. ij. ſucci roſarum, unc. iij. hoc aloeticum ex melle roſato omnino abſq; ulla moleſtia uentrem purgat. utere hoc ad morbos articulorum, & præcipue, ad coxendicum, lumborumq; dolores, remouet

remouet etiam obſtructiones hepatis. Aliud. Sij,unc.viij.agarici,drach. iiij.aloes unc.ij.ſpicæ nardi,ſcru.viij.floris odorati iunci,coſti,ſing.ſcru.viij.croci, ſcru.iiij.caſiæ,ſcru.xvi.mellis roſati,unc.iiij.carpobalſami,ſcru.viij.terito ſingula & cum melle roſato pilulas confice, quarum quinque exhibeto poſt cœnam ſingulis diebus aut alternis ut libuerit,uel experimento probaueris:abſtergũt enim ſtomachum & articulos purgant pituitamque egregie ducunt. prandendũ & cœnandum pro conſuetudine.

Quod bilim & pituitam ducit. Cap. CIIII

COmæ abſinthij, aloes ſing. unc. unam exquiſitiſſime terito & cum ſucco tithymali myrthei aſſumto diuiditoque in fruſtula ad phaſeli magnitudinem, & trita tantum exhibeto.

Aloetica Philagrij bilem & pituitam ducentia Cap. CV

PVlpę colocynthidis,ſcammonię,aloes,ſin.drach.i.maſtichę bdelij,ſin.drac.v. ſucci,aut comarũ abſinthij,drach.v.cũ ſucco caulium pilulas confice,ad ciceris magnitudinem,dato uigentibus,drach.i.tanquam medicamentum optimum.

Aliud ualde expertum treisque ſimul humores purgat Cap. CVI

ALoes,epithymi,ſing.drach.ij.colocynthidos,agarici,ſin.drach. i. confice cũ ſucco caulium,& da pilulas quindecim.

Aliud probatum quod in tyro urbe conficitur Cap. CVII

SCammonię,unc.ij.aloes,drach.iiij.maſtichæ,bdelij,piperis abſinthij,ſin.drac. ij. confice cum ſucco citri & dato pilulas ſeptem aut nouem. quod ſi egregie purgare uolueris habeant pilulæ exhibendæ pondus, ſcru.iiij.

Aloeticum Oribaſij ad lippientes,quod pręcipue bilim flauam & melancholiam euacuat Cap. CVIII

SCammonię,corticis nigri ellebori,ſing.drach.viij.ſalis ammoniaci,piperis,pulegij,radicis panaceæ,ſing.drach.ij.confice ex aqua pilulas fabæ Græcæ æquales,ex quibus ſeptem exhibebis drach. duarum totidemque obolorum pondere, ita enim moderata purgatio perficitur. Aliud. Aloes,caſiæ,ſing. drach. xij. ſpicæ nardi,aſſari maſtichæ,croci,opobalſami,ſing. drach.vi. epithymi drach. xij. confice pilulas ad orobi magnitudinem,cum puleij decocto, ex quibus xxi. quartanarijs curandis dato.

Sal catharticum Cap. CIX

SAlis ammoniaci,unc.vi.zingiberis, drachm.ſ. piperis,drach. iij. & ſemiſſem, apij,drach. ij. ſcammoniæ, drachm. viij. folij,ſpicæ nardi,ſingu. ſcru.i. laſeris tantundem,dato cochleariũ unum, bilim euacuat. Aliter. Salis ammoniaci,unc.vi.zingiberis,drach.ij.piperis,drach.iij.ſpicæ,ſcru,i. puleij,drach.iiij.folij,ſcru.i.lathyridis,unc.i.dato cochlearium,pituitam ducit. Aliter. Salis ammoniaci,unc.vi.piperis.drach.iiij. zingiberis,drach.ij. aniſi,ſeminis apij,ſing. drach.i.folij,ſcru.i.epithymi, unc. i. ex hoc ad ſuccum melancholicum educendũ cochleare exhibebis. Sal catharticũ quod uentri appoſitũ,pituitam ab inteſtinis ducit,bilimque,& reliquos humores moderate purgat, conuenit præterea morbo articulari & tenebras imaginantibus:hoc quidam amicus meus dum ſtomachi uitio laboraret & comitiali morbo aſſidue uexaret,utebatur, & ſummopere proficiebat,& qui frequentauerit à morbis immunis deget,quod ſic conficitur.petro ſelini,maſtichæ,zingiberis,ſing.ſcru.iij.piperis,euphorbij,ſing. ſcru. vi. ſalis ammoniaci,drac.v.ſcammoniæ,drach.vi.datur cochlearij ſemis, exhibeturque in prandio ad condituram carnium gallinæ,uel piſcis,quatuor ſcrupulorũ pondere.quod ſi efficacius purgare uolueris mane ieiuno dato, cum ptiſanæ cremore aut melicrato ſcrupulos ſex,ualidioribus uero etiam ſeptem, ſicut imbecillioribus quinque,

aut quatuor. ſal catharticum purgat abſq; periculo, ſtomachum non euertens, omni tempore ętateq; etiam puerili congruum: excernit dura excrementa, omnemq; corruptā materiam à capite uſq; ad ungues, furfures exterit & reliqua quæ circa caput redundant, confert tenebras imaginantibus, lippientibusq;, curat tertianas, quartanas, amphimerinas, ſi intra exacerbationum interualla ſumatur, ubi tamen in urinis ſigna concoctionis præceſſerint, præ cæteris tamen bilim euacuat, quod ita conficitur. zingiberis, petroſelini, epithymi, laſeris, ameos, apij, cymini, liguſtici, piperis, ſing. drach. iiij. ſcammoniæ, unc. ſemiſſem, ſalis ammoniaci, aſſari, unc. vi. torrefactum ſal cum reliquis contundito, ſcammoniam uero ſeorſum tritam, & cribratam poſtea additam in mortario commiſceto, datoq; ſcru. octo, cum ptiſanæ cremore aut melicrato meraciori.

Aliud acerrimum ad bilim ducendam expertum — Cap. CX

AMeos, ſcru. i. & ſemis. apij. ſcru. iij. piperis, petroſelini, cymini, epithymi, ſin. drach. iiij. ſcammoniæ, unc. i. ſalis communis, unc. v. ſalis ammoniaci, unc. iiij. datur cochleare cum ptiſana.

Aliud optimum expertum — Cap. CXI

EPithymi, ſcru. xvi. corymborū thymi, ſcru. viij. ſalis ammoniaci tantundem, piperis, cymini æthiopici, aniſi, ſing. drach. ij. maſtichæ, ſcru. xij. terito & cribrato: tempore uero uſus ſcammoniæ, ſcru. ij. cum pauculo mellis cōmiſceto, quibus adijcies ſeruati pulueris tantundem, & dato cum cremore aut melicrato.

Pituitæ catharticum ex Diogene — Cap. CXII

EVphorbij, piperis, ſin. unc. i. ſalis ammoniaci, unc. iiii. in puluerem redigito, atq; in ſorbili ouo propinato. datur cochlearij ſemis, & pituitā tantū educit.

Aliud bilim purgans — Cap. CXIII

SCammoniæ, ſcru. i. coſti, ſpicę nardi, ſin. ſcru. iiii. rubiæ tritiſſimæ, ſcru. ii. exhibitio integra, ſcru. iii. media duo, minima unus.

Aliud humorem melancholicum purgans — Cap. CXIIII

SCammoniæ in pomo aſſatæ, ſcru. v. coſti, ſpicæ nardi, ſing. ſcru. iiii. garyophilorum, ſcru. i. & ſem. radicis rubiæ, epithymi, ſingu. ſcru. ii. integra exhibitio, ſcru. vi. media iiii. minima tres

Hydragogon Oribaſij pituitam & aquam ducens — Cap. CXV

SEminis rutæ, piperis, ramentorum eboris, euphorbij, partes æquales. dantur ſcru. iii. cum melicrato autem condito confert etiam colicis, & hydropicis.

Aliud hydragogon. Petroſelini, aniſi, corymborum thymi, ſcru. iii. foliorum aridorum chamæleucæ, drach. i. mellis quod ſufficit ad eclegmatis formam. integra purgatio quatuor cochlearibus redditur. quod ſi uim augere uelis, addito ſquammæ æris, drach. vi. & tunc integra purgatio cochlearibus tribus perficitur.

De hieris, hiera Logadij. — Cap. CXVI

PVlpæ colocynthidis, drach. xx. ſcyllæ aſſatæ, agarici, ammoniaci thymiamatis, ſcammoniæ, corticis ellebori nigri, hyperici, ſing. drach. i. epithymi, polypodij aridi, bdelij, aloes, chamædryos, marrubij, caſiæ, ſing. drach. viij. myrrhæ troglodyticę, piperis albi, piperis nigri, cinnamomi, croci, opopanacis, ſagapeni, caſtorei, petroſelini, ariſtolochiæ, ſing. drach. iiii. aſſumito in melle. exhibitio integra, drac. iiii. media tres, minima duæ. ubi uero exhibenda ſit, addito ſalis cochlearij ſemis.

Hiera Galeni — Cap. CXVII

PVlpæ colocynthidis, drach. viij. ſcillæ aſſatæ, agarici, ammoniaci thymiamatis, ſcammoniæ, corticis ellebori nigri, ſtœcadis, hyperici, ſing. drach. xvi. epithymi, polypodij ſicci, bdellij, aloes, chamædryos, in alio codice euphorbij, marrubij, ca-

bij,caſiæ,ſing.drach.viij.in alio unc.ij.myrrhæ troglodyticę,ſagapeni,croci,ariſto lochiæ,piperis albi,piperis nigri,piperis longi, cinnamomi, opopanacis, caſtorei, petroſelini,ſing.drach.iiij.mellis quod ſufficit,integra exhibitio,drach. iiij. media tres,minima duę,cum melicrato & minutiſſimi ſalis cochlearij ſem.maxima uero illius dos eſt quod è corporis profundo uarios humores egregie purgat, non exoluit,non atterit,non angit,appetendi uim non tollit, nullam deniq; imbecillitatem corpori parit,imò faciliorem ſpiritum reddit,ſomnum conciliat, & robur inducit, ut exceſſum mireris. Præterea hemicraniam, tenebrarum imaginationes, morbū comitialem,furorem,melancholiam,lethargum,& reliqua huiuſmodi, oculorum auditusq; hebetudinem,uocem interceptam,diuturna ſtomachi uitia,anhelantes, renum,uentris,coxendicis, articulorumq; morbo laborantes ſanat, menſtrua ducit,tremulis,reſolutis,ferisq; impetiginibus confert, & quibuſcunq; puſtulis quæ corporis ſuperficiē occupauerint.elephantiaſin curat,& diuturnas febres quæ ſtatis inuadunt periodis,ac deniq; omne ulcerum genus quod malitiam præſeferat.

Hiera Archigenis ex epiſtola ad Marſum de melancholia quæ ſic conficitur Cap. CXVIII

PVlpę colocynthidis,drach.viij.chamędryos,agarici,marrubij,ſtœchadis,ſin. drach. x.opopanacis,drach.viij. ſagapeni,drach.viij.petroſelini,ariſtolochiæ rotundæ,piperis albi,ſin.drach.v.cinnamomi,ſpicæ nardi, myrrhæ troglodyticæ, polij,croci ſing.drach. iiij.aſſumito in melle deſpumato,& in uitreo uaſe recondito.exhibitio integra,drach.iiij.in alio,drach. iij.cum melicrato ſale adiecto,quantum eſt cochleare paruum.melancholico enim affectu dominante, egregia huius medicinæ uirtus excellit, nō tantum quia magnam humorum copiam per aluum ducat,ſed cum ſeorſum bilim atram euacuet,proprietate quadam reſpicit id morbi genus.cōfert & pleuritidi, flatuoſisq; morbis utiliſſima eſt,optimam reſpirationem facit,his quæ nutritionem impediunt è regione aduerſatur, colorem mirificę emendat,tum quod excolet ſanguinem,tum quia ſqualentem ſpiritum excitet, lucidioremq; reddat. ſed nō eſt nunc laudandi propoſitum, eam quam haud fruſtra hieram appellant,neq; enim futura eſſet breuis oratio:certe omnibus morbis,qui ab atra bile eueniunt præſidium huic comparandum haud facile inuenias : nam plures noui ob huius continuū uſum nullo alio indiguiſſe medicamento,& ſi nullam bilem excreuerint:neq; enim hi tantum melancholici uocantur qui atram excernunt, ſed qui in ſolidis iam membris talem ſtructuram retineant.membranarū etiam cerebri malos habitus quàm maxime extergit: propterea morbum comitialem,& furorem qui inde euenerit, mirum in modum demolitur.

Hiera Ruffi ex libro de melancholia Cap. CXIX

PVlpæ colocynthidis,drach.viij.chamæpityos,chamędryos,agarici,marrubij, ſing.drach.x.ſagapeni,caſiæ,ſin. drach.v.opopanacis,drach.viij. petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi, ſing. drach. v. cinnamomi, ſpicæ nardi, croci, myrrhæ troglodyticæ,polij,ſing.drachm.iiij. aſſumito in melle.exhibitio integra, drach. iiij. cum melicrato & ſale. educendo enim plurima à capite habet quod ad prudentiam cōferat,propterea uertiginoſis,capitis grauitati,glaucomatibus,quæ pridem fruſtra tentata fuerint,comitiali morbo, affectibusq; uniuerſis functiones animæ euertentibus,tale medicamentum exhiberi conſueuit,item ad memoriam reuocandam:nam ad melancholicos morbos non eſt huius medicinæ uulgaris utilitas, propterea in his ſæpius iteranda eſt. alia profecto remedia uaria uarie componuntur,quæ ſint ad certas quaſdam ægritudines utiliora,id uero ad melancholiam peculiare eſt, propterea ex ea ſingulis diebus ſumendum, quantum eſt fabæ magnitudo,nō quidem purgandi gratia,ſed quod ſummopere coctiones adiuuet,

 & fla-

& flatum diſcutiat. porro illud mihi obſeruandũ uidetur, ut in purgationibus ſingulis ſeminis maluæ drach.ij. præbibantur.

Hiera Iuſti faciens ad quæcunq; præcedens facit Cap. CXX

EPithymi,drach.xxxij.marrubij,ſtœchadis,chamædryos,ellebori nigri,ſcammoniæ,agarici,piperis longi,piperis albi,piperis nigri,ſcyllæ aſſatę,ſin.drac. xvi.pulpæ colocynthidos,euphorbij,aloes,croci,gentianę,petroſelini,hammoniaci thymiamatis,ſagapeni,ſin.drach.viij.opopanacis,polij,cinnamomi,caſię,myrrhæ,ſpicæ nardi,floris odorati iunci,puleij, ſingulorũ drach. iiij. ariſtolochiæ longæ & rotundæ,ſing. drachm.ij. mellis deſpumati quod ſufficit.exhibitio integra, drach.iiij.cum melicrato & minutiſſimo ſale quantum eſt cochleare paruum.

Quomodo adeſſe oporteat his qui medicamento ſumpto non purgantur Cap. CXXI

SI quis epoto medicamento non purgatur,melicratum dato meracius per aſſidua interualla bibendum cum minima nitri portiuncula, quod in aqua liquatum ſit.optimum præterea experimento probaui exhibere ex aqua tepida maſtichæ contritiſſimæ, ſcru. xij. præſtat & glandem ſedi aponere ex ſale, & nitro, & melle confectam:interdum etiam citonium mandere ſufficit,os enim ſtomachi roborat,& comprimit excrementa.

Ex Oribaſio curatio eorum qui plus æquo purgantur Cap. CXXII

HIs qui plus æquo purgantur potus contrahendus,ſomnus conciliandus,dandum modicum uini auſteri cũ aqua fontis. confert etiam aſſatam polentam affatim poculo immergere,item tritum papaueris caliculum aut gallę modicum. item farina excorticatæ lentis in aceto cũ beta nigra decocta, cui rhu obſoniorũ, aut caliculi papaueris quidpiam ſit adiectum idem præſtare poteſt. iuuat item pyra arida aut citonia exugere. quod ſi ſubductio perſeueret ualidioribus utendum quæ ad uentris profluuia deſcripta ſunt.ubi uero quis facile euomuerit aquę tepidæ copiam exhibeto,& immiſſis digitis uel penna uomitum excita. quod ubi bis aut ter effeceris, oleo è citonijs & uino calido lineum pannum madefacito & ſtomacho apponito, ac poſt modicum deinceps interuallum theriacam antidotũ ad fabæ quantitatem in uino ſolutam propinato.

Ex Ruffo de uomitu Cap. CXXIII

QVoniam ex uiolento uomitu multa ſæpe conſequuntur abſurda,nõ erit abre modũ tradere quo quiſpiam facile uomat. uomitus enim pituitam euacuat, caputq; excitat, ac ſi quis cibi aut potus plus æquo ingurgitauerit, nocere prohibet:confert etiam per uomitum purgatio his,qui nimiũ obeſi fuerint,& his, qui nimium graciles.omnes præterea diſtillationis affectus uomitus emendat,ueluti renum,ueſicæ,ani, reliquarumq; partium ulcera. item elephantes ſanat, cancros,aliosq; corporis malos habitus,articulares morbos, hydropicos,atq; eos præſertim qui ea ſpecie laborant, quam uocant anaſarca. arquatis etiam & epilepticis confert,his præſertim qui ſtomachi ratione afficiuntur:nam ſi capitis uitio cõtigerit à uomitu cauendũ. itẽ tremulis,reſolutis,apoplecticis,melancholicis,impetiginibus,lichenibus, ſanguinis eiectioni, præfocationibus uteri,nauſeæ,deliquio animi,ſuffocationi aſſidue infeſtanti, his qui à quauis leui cauſa capitis dolore aſflictantur, atq; his qui ſuffuſionẽ uerentꝰ,& omnino uniuerſis oculorũ affectibus, reſiſtit. ſint autem uomitoria quæ adhibentur, neq; acerba, neq; ſicca, ſed partim dulcia,partim acria.inter hęc maxime probantur,raphanus,eruca,ſalſamenta antiquata,origanũ uiride,cepe,porri, ſed & ptiſana modico melle adiecto, & carnes pinguiores uomitũ prouocant.Neq; uero ſingula huiuſmodi ideo decoquantꝰ, ut decoctũ tantũ bibatꝰ,ſed tota ſimul moles cũ ſuo cremore ingerẽda eſt;imò uomi-

turus

turus multũ temporis mandendo nõ conterat, ſed ingurgitet.ſint tamẽ omnia affatim decocta.è uinis dulciora eligenda ſunt,hæc enim magis fluitant,bibanturq́ tepida. edenda etiam amigdala melle illita, & placentæ quidpiam, & pepones, & cucumeris ſemen melle aſperſum offerendum: nam & hortenſis cucumeris, peponisq́ radix ex melle uomitum mouet.ſpicæ etiam celticæ radicis drach. i. ex melicrato pota egregie ſuperius purgat, ita ut quãdoq; purgatio exuberet. quod ſi quis ualidius adhuc medicamentũ quærat,narciſſi bulbum in aqua uino per mixta decoquat,decoctumq́ bibat, bulbumq́ oleo & modico ſale aſperſum degluti at.unguentum etiam irinum multoq́ magis liguſtrinum uomitum mouet, ſi digitis horum altero illitis prouocetur.eſt præterea abſq; moleſtia uomitum hyſopi decoctum aut thymi, & cnici ſemen cum ſeſamo tritum mulſa affatim adiecta. item naſturtij ſemen, oleum ſeſaminum, raphaninum, narciſſinum, tria laureolæ folia uirentia.ad idem bibatur raphani decoctum cum aqua mixtum in qua caricæ prę maduerint. uomitoria tamẽ plurima & ualidiora uitari oportet,raphani uero mane ieiunis ſunt exhibendæ, qui pridie poſt cœnam uomuerint. eligito acerrimas, quas in tenuiſſima ramenta diſſectas in oxymelite madefacies, ex his uomiturus plurimã copiam ingerat,oxymeli interim iugiter ſorbendo,deinde ubi horas circiter duas deambulauerit,tepida affatim epota digiti aut pennę immiſſiõe euomat.

Rhaphanorum præparatio cum elleboro albo Cap. CXXIIII

PArantur & alio modo rhaphani ad diuturnos affectus qui ualidiori excuſſione indiguerint.ſumantur ellebori albi optimi ſurculorum drach.ij.& rhaphanis prius arundine perforatis inſigantur noctemq́ integram dimittantur. poſtridie ubi in rhaphanum ellebori uires migrauerint,amotis ſurculis rhaphanos minutiſſime diſſectas in oxymelite madefacies, offeresq́ ſicut proxime diximus. illud aduertendum,ne ellebori quidpiam in rhaphano relinquatur.

Quibus dandus elleborus quibus non Cap. CXXV

DAndus uero elleborus his, qui dudum & uehementer ægrotant, quiq; aliud omne præſidiorum genus deſperauerint,quales ſunt hydropici, elephantiaci,malo habitu affecti,quos cachecticos uocant,iamdudum reſoluti,epileptici,melancholici,articulari morbo laborantes,podagrici.ſed quibus morbis conueniat elleborus præ nimia copia haud facile explicari poteſt,dicendum potius,quibus nõ conueniat.nocet enim ſanguinis eruptioni,his qui non niſi recta ceruice ſpirantes aſſidue ſuffocari uidentur, imminentibus ſuffuſionibus, & his capitis affectibus, qui per interualla cũ faciei rubore uiolentos dolores excitant, & mulieribus quæ ab utero ſuffocantur,& his qui aſſidue deliquium animi patiuntur.

Quid efficere poſſit elleborus Cap. CXXVI

REſtaurare poteſt corpus, & temperaturam reficere, ut ſanior ualidiorq́ reddatur homo.

Quod nonnulli ſumptum elleborum concoxerint Cap. CXXVII

TAles nihil quidem omnino excreuerunt, non minus tamen adiuti ſunt, his quibus purgatio abunde ſucceſſit.

Qui ſint ad elleborum commodiores Cap. CXXVIII

MAs fœmina aptior, & è maribus quicunq; robuſtior fuerit: effœminati uero,& qui uel nimia pinguedine,uel macilentia excedũt,quiq; exiles thoraces,& anguſtas ceruices habent,pueri,ſenes & quicunq; frigidioris temperaturæ ſunt,& qui in ſano corpore probati ſanguinis copia abundauerint, præterea difficulter uomentes ac puſillanimes,hi omnes ab elleboro ſumendo ſunt remouendi.

Tempora

Tempora cõmunia & propria ad elleborũ ſumendũ idonea Cap. CXXIX

VErnum tempus aptiſſimum eſt, deinde autumnus, hyems & æſtas incõmodæ, niſi maxima neceſſitas urgeat, hyeme tamen qui calidioris temperaturæ ſunt, ſicut æſtate ſeniores tutius aſſument. conſtitutio ſerena eligenda eſt & calida, in qua ſolares radiĳ perſeuerẽt. in morbis quę habuerint interualla, in ipſis interuallis exhiberi oportet, in reliquis quando ſatius uidebitur: ad quartanas tamẽ & deſtillationes in inteſtina fluentes dato in ipſis acceſſionum temporibus.

De elleboro probando Cap. CXXX

OPtimum eſt elleborum quod ab una radice plures ſurculos habeat, longos, extenſos, rugis carentes, neq; in acutum deſinentes, uel caudam muris imitantes, qui candidiſſimi intus, extra pallidiores ſint, ponderoſis medullis, friabiles, neque ob mollitiem flexuoſi, ſed in fruſtula fragiles, inter frangendum fumoſum quiddam redolentes, id enim ſincerum eſt: nam quod puluerulentum fuerit, antiquitatem arguit. Præterea ubi manditur, primo quidem dulcedinis imaginem refert, inde modicæ cuiuſdam acrimoniæ, poſtremo acerrime inſurgit & palatum incendit, multamq; ſaliuam inducit & ſtomachum euertit. elleborus uere colligitur prægnante adhuc radice.

Qua uictus ratione uti debeant qui elleborum ſumpturi ſunt Cap. CXXXI

DIligentiſſima uictus ratio his adhibenda eſt: corporibus enim quę plus ęquo gracilia ſunt nõ tuto exhibetur, iubendumq; ut patiens nonnullis antea diebus carnibus reliquiſq; cibis ac potibus ſucci craſſioris abſtineat: excitatoq; prius ter, aut quater poſt cœnam uomitu ſubductaq; aluo proteſtati familiaribus maximas futuras anxietates, poſtremo ad tale præſidium accedemus.

Quot modis exhibeatur elleborus Cap. CXXXII

DIuerſimode exhibetur elleborus: nam uel eius decoctum, uel aqua, in qua maduerit uel ipſa ſubſtantia offertur: quidam in ramenta deraſum, nonnulli contuſum & cribratum, propinant. ac ramenta quidem purgando prompta duas horas frequentius non excedunt, bilim ac pituitam ſine multa perturbatione ducentia, quibus deinde citra quatuor, aut quinque horas uomitu redditis purgatio terminatur. elleborus uero cõtritus tardiſſime quidem agit, ut ſæpe poſt quatuor aut quinq; horas incipiat omne bilis & pituitæ genus educens, haud ſine conuulſionis redundantiſq; purgationis periculo, ob nimiam agendi prolixitatem: multiplicem tamen utilitatem tolerantibus præſtat.

De aqua in qua maduerit elleborus Cap. CXXXIII

DAtur ſenibus & pueris, laxiorisq; habitus uiris, & his qui facili morbo laborant: datur etiam ubi exhibendi ellebori periculũ prętentamus. oportet autẽ in aquæ pluuialis heminæ ſemiſſe ramentorum ellebori drachmam unam tribus diebus madeſcere, inde totum quod excolatum fuerit, calefactum propinare.

De ellebori decocto Cap. CXXXIIII

ELlebori decoctum dandum his qui proxime dicti ſunt, ſed ualidioribus quoque, furioſis, & melancholicis, quod ita conficitur. ramentorum ellebori lib. I in aquæ pluuialis ſext. duobus tribus diebus madefacito, inde mitiori igne ad tertias decoquito, decocto excolato mellis deſpumati adĳcito lib. duas, ac rurſus ad mellis cõſiſtentiam decoquito, lambendumq; dato cochleare magnum. poteſt etiam calidæ uel cuipiam iuri commiſceri, bibendumq; propinari. Ita enim neq; conuulſionem neq; ullam penitus contractionem, purgationiſue exceſſum inferet, qui modus etiam prætentanti confert: nam cum illi aſſueuerit, tuto deinde ad ramenta ſumenda accedet.

De ramentis & contrito elleboro. Cap. CXXXV

MAiori molimine uehementioricꝫ excuſſione indigentibus, audentioribus, robuſtioribusꝗ & facile uomentibus ramenta exhiberi oportet. planè uero audentiſſimis ac iam medicamēto aſſuetis elleborus quocꝫ minutiſſime tritus & cribro excuſſus tutò præbebitur. ramenta ita exhibenda ſunt: ſurculos deraſos ad polentę aut furfurum ſpeciem, cribro diligenter excutito, omnemcꝫ minutiem remoueto ne præſocet, datocꝫ ualidioribus quidem cum ptiſanæ cremore aut alica. ualidiſſimis uero ex aqua aut mulſa. ac ne quid deinceps faucibus aut ori ſtomachi adhæreat, iubeto ut à medicamento aquam aut mulſam ſubinde bibant. integerrima exhibitio robuſtis ramentorum quidem drach. I. s. craſſioris pulueris drach. I. aut obolos quatuor, minutiſſimi drach. s. uel obolos duos. porrò craſſiorem puluerem in mortario contundimus, & tenuiſſimo cribro excutimus: inde ſubtiliſſimam partem ſecernentes, craſſiorem quidem exhibemus cum chondro aut alica, aut polenta. ſubtilem uero exquiſitiſſime terimus & cribramus: poſtea in decocto melle aſſumentes in pilulas redigimus & exhibemus.

Quænam præparanda aduerſus ſumpti ellebori ſymptomata.
Caput Cap. CXXXVI

SOlent interdum aſſumpto elleboro interaneorum diſtractiones atcꝫ animi deliquia contingere. ad diſtractiones ergo confert aqua calida & frigida, hyſſopi decoctum, mel rutaceum, acetum, citonia, panis calidus, uinum, pullus elixatus, oleum commune & ſicyonium, liguſtrinum, irinum, narciſſinum, ſal, chalbana, caſtoreum, ellebori decoctum, penna, ſternutamentum, cucurbitulę multifariam applicatę, geſtatio, lectus molliſsimam culcitram habens, clyſter.

Quomodo à potione curandi ſint. Cap. CXXXVII

SI facilis purgatio ſit, à medicamento bibito frigidam ſorbendam colluendocꝫ ori tradimus: inde porrecto odoramento aliquo ad ſpiritus recreandos, ſedere aut decumbere iubemus, & horis duabus quiete agere, ne forte medicamentum præcoci uomitu infeſtet, poſtea moueri. Primo calor ſtomachum & gulam inuadet: inde plurima in os affluente ſaliua pituita cum cibo uomitur. tum pituita rurſus & bilis cum medicamento. poſtremo redditur bilis pura, ſæpe etiā uenter ſubducitur, unde & mitior purgatio. ſingultire præterea ſolent & uultu inflammari, ſed ceſſante purgatione, faciei feruor, ſingultuscꝫ deſinit. ſi tamen citra purgationis terminum ſingultientibus mederi uolumus, mel cum decocto rutæ aut calidā propinamus, purgatos uero lauamus, & cibum ſtomacho cōgruum exhibemus. quod ſi ulterius purgatio proceſſerit, calidum melicratū ſorbeant, in quo ruta decocta ſit, aut oleum cum aqua: aut penna liguſtrino unguento, aut irino, aut taliū aliquo illita uomitus prouocetur, & in lecto penſili recumbentes agitentur. ꝙ ſi ne hoc quidem auxilio ſubleuētur, & ſuffocatio perſeueret, acutiſſimo clyſteri euacuabimus: aut ad ſuffocationem reprimendā, ſternutamentum ex his quæ fortiora ſunt applicabimus, non omittendo propterea aſſiduam penſilis lecti agitationem, aut etiam pennæ irritamenta. ubi purgari inceperit, ſingultū ſedabimus his quę dicta ſūt, qui ſi uehemētior fuerit, & ſternutamēta & cucurbitulas toti ſpinæ applicabimus: præcipue tamen in ea parte ubi prope ſcapulas magna ſpondylus eſt. ſola enim cucurbitularum mora dirigit quandocꝫ ſtomachum à ſingultu contractum & ueluti contortum. extremas etiam corporis partes calida immergentes ligabimus. contractiones uero quæ nonnullis contingunt, crurum præſertim & manuū ſedabimus, pingue quopiam linientes, calefaciētes & fouentes, atque extrema fricantes, ſurarū pręcipue muſculos. ſit aūt oleum ſicyoniū aut aliud ex mollientibus quæ acopa uocātur. caſtoreū etiā unctioni adhibebimus, idemcꝫ

potandum dabimus.balneum tamen contractis præſentiſſimum remedium eſt,ſi affuerit:ſin minus,labrum aliquod quod balnei uicem ſuppleat,plurimo oleo dulci totum quidem corpus aſpergendo,ſed præcipue cõtractas partes.ſit uero aqua temperata,ut æger ſine moleſtia diutius innatare poſſit.at ubi cõuulſio & purgatio ceſſauerint panem exhibeto,et uinum dilutum propinato.his autem qui uehementius purgati ſunt, præbeto id quod omphacomeli uocant, ex melle & ſucco acerbarum uuarum confectum.quod ſi feruor ſtomachum infeſtet, poſt cibũ omphacomeli calida mixtũ propinabimus, quod etiam frigidæ quandoq; miſcebit: poſtea cibi boni ſucci ſubinde exhibendi,& uinum ſubtile non adeo antiquum.

De exuberanti purgatione. Cap.C XXXVIII.

EXuberantes purgationes ſiſtemus calidam propinando, extremitates ligando,& uehemẽti frictione & cucurbitulis circa hypochondria & ſcapulas applicatis.abſinthij uero potio uomitum egregie retinet:quod ſi diutius perſeueret, utemur etiam ſoporiferis quæ anodyna appellantur: hæc enim ſiſtunt, tum quia ſiccant,tum quia ſomnum inducunt:immo & ſiſtentibus medicinis annumerantur.eos tamen qui recte ab elleboro purgati ſunt,ſpontaneus ſomnus aggreditur, atq; is quidem profundus, qui concedendus eſt quouſq; à ſeipſo deſinat, niſi aliquod immineat periculum.quod ſi ſudores immoderati acciderint,uentulũ commouebimus,ſpõgiaq; ex frigida & poſca expreſſa corpus detergemus,et linimentis utemur ſtipantibus & emplaſticis reliquoq; curandi modo quem in cardiacis dicemus.

Epithemata purgantia. Cap.C XXXIX.

PVlpæ colocynthidis,ſeminis erucæ,rutæ ſylueſtris,elaterij,cocci cnidij, lathyridum expurgatarũ,chalbanæ, nitri rubei,ceræ, ſing.drach. iiij. opoponacis drach. ij.terebinthinæ drach. vi.terenda terito, & taurino felle paulatim irrigato, donec apte imbibantur.deinde circa umbilicum apponito uſq; ad pubem, & uentrem inferius ducet.ſi uero fundo ſtomachi applicabis,uomitũ excitabit. Aliud. Nitri rubei,ſeminis pelecini,pulpæ colocynthidis,fellis taurini,uuæ taminię,fimi colũbacei,radicis ſylueſtris cucumeris,ſcyllæ, mercurialis,ſingulorũ partes æquales terito & cribrato,& felle irrigato,adiecto melle quod ſufficit, ad formamq; linimenti redigito & utere.

Aliud emplaſtrum quo utor chezancha appellatũ. Cap. C XL.

HOc ſi umbilico applicatur inferius purgat,ſi uero thoraci & ſtomacho uomitum cit,& cum faſciam qua medicamentũ alligaueris ſolues,ceſſabit.menſes etiam mulieribus ducit,& fœtum corrumpit,ſi uẽtri & lumbo applicet̃: quod habet cocci cnidij drach. vi. alibi drach.iij.lapidis aſij drach. i. alibi x.ellebori albi drach.iiij.caprini adipis drach. v. elaterij,ſucci tithymali ſing.drach.iiij. amurcæ, fellis taurini ſing.drach.xij.aphronitri drach.v.farinę lupinorum amarorũ drach. xvi.comarum abſinthij drach.xij.quæ terenda ſunt terito,& cribro tenuiſſimo excutito,poſtea fel commiſceto,& ſubinde amurcam,poſtremo eliquans adipem infundito,unito & utere. Aliud. Elaterij drach.iij.colocynthidis,ſcammoniæ,ſquammæ æris,radicis agreſtis cucumeris, lathyridum ſing.drach. i. aut pro lathyride tithymali ſuccum terito & cribrato, & cum oleo plurimum ſalis habente ſubigito: magnam deinde pilam è lana cõfectam hoc medicamento illitam cuicunq; parti uolueris applicabis,umbilico inq;,aut uentri aut ſumini aut lumbis.

Aliud epomphalion.i.umbilicale. Cap.C XLI.

MEſpilorũ abſq; nucleis ſcrup. viij. ſcãmonię ſcrup.xij. atramẽti ſutorij drac. vi.ſagapeni drach.xxxij.lathyridũ,ſeminũ colocynthidis ſing.drach.xij.terito oleoq; aſſumito & utere. Vmbilicale aliud. Cocci cnidij,ellebori nigri, elaterij,abſintij ſing. drac.iiij.fellis taurini, cerę ſing.unc.ij.adipis anſeris unc.iij.

Aliud

Aliud quod etiam colicis confert. Cap. CXLII

CEræ unc. viij. terebinthinæ ſcrup. vi. elaterij tãtundẽ, uuæ taminię, cãchryos, ſampſuci, baccarum lauri, cocci cnidij, lupinorum ſiccorum, colocynthidis ſing. ſcrup. i. s. ſcammoniæ ſcrup. iij. fellis tauri & olei laurini quantum ſufficit, ut linimentum ſolidius fiat. Aliud. Cucumeris agreſtis ſucco tantundẽ mellis commiſceto, unitoq; utrunque exquiſitiſſime in ſole aut in feruenti cinere, & linito ab umbilico ad pubem.

Compoſitio olei aut unguenti purgantis. Cap. CXLIII

FEllis taurini unc. i. cocci cnidij uiridis unc. iiij. ſucci lupinorum uiridium unc. ij. euphorbij unc. i. pulpæ colocynthidis tantundem, uulpini adipis recentis unc. ij. adipis uiperæ unc. i. s. ſtercoris muris unc. iiij. ſucci pœoniæ, caſtorei, ſing. drach. iiij. olei liguſtrini unc. vi. olei antiqui unc. i. arida terito, & ſubtiliſſimo cribro excutito. adipes uero prius in mortario ſubactos, & præſertim uulpinum, (id enim plurimis abundat fibris) & placidiſſimo igne colliquatos unito, atq; in ſtamneo uaſe ſeruato exquiſitiſſime operto, ne tranſpiret, atq; in patula domo à flatibus auſtri auerſa triginta diebus permittito, utereq; paſſim in omnibus & ad omnes affectus: purgat enim abſq; moleſtia & præter cæteras utilitates, etiam mentis delyrio confert. menſura uero quæ ad uſum aſſumitur, maxima eſt cochlearia duo, nam quibuſdã & unum ſufficit. illinitur umbilicus, & integra purgatio ſubſequitur, quæ ſi plus æquo exuberauerit, ſpongia è uino tepido expreſſa uentrem fouebis, & confeſtim ſiſtetur.

Aliud epithema umbilico appoſitum ſplenem purgans. Cap. CXLIIII

ELlebori nigri quidem unc. iij. albi uero unc. iiij. ammoniaci thymiamatis, nitri, ſing. drach. iij. ſcammoniæ drach. ij. piperis grana xxx. terito & cribrato, & in terebinthina aſſumito ad linimenti formam, & ubi locum fricueris & foueris, illine pannum quadrangularem quinque digitorum latitudine & apponito. ſi uero pectini applicetur, fœtum interimit.

Epithema ducens ſanguinem, hęmorrhoidas prouocans, & à mulieribus menſes trahens. Cap. CXLV

ELaterij, myrrhæ, chalbanæ, farinæ hordeaceæ ſing. drach. iiij. foliorũ rutæ uiridis drach. ij. fellis tauri quod ſufficit: terito ſeorſum ſingula, dein cum felle unito. uſus uero tempore locum ſub umbilico & interdum lumbos illinito, prouocat enim menſes & hęmorrhoidas.

De localibus euacuationibus. Cap. CXLVI

DE his quidem quæ totius corporis excrementa purgare ualeant, ſatis hactenus dictum eſt. ad locales ergo euacuationes accedendum. illud unum toto hoc uolumine recolendum, ne quis locale medicamentum apponere audeat, niſi prius corpus totum expurgauerit: tunc enim his quæ à loco ſeorſum euacuãt, uti licebit. ſi enim ante totius corporis purgationem ad locum ſeparatim purgãdum acceſſeris, ut proprio medicamento proprias partes euacues, magnis incommodis ægrum onerabis, attrahes enim materiæ multitudinem ad loca imbecillia.

Quæcunq; oculos purgant lachrymasq; prouocãt. Cap. CXLVII

LAchrymas prouocãtibus utimur ad oculos iamdiu deſiccatos, atq; ad genas pruritu & ſcabie laborantes. abſtergentibus uero & exterentibus ad hebetudines & ſuffuſionis principia. quæ autẽ lachrymas prouocant & abſtergunt, ſunt ueluti mel, oleum recens & antiquum, ricininum, amigdalinum, lentiſcinum, laurinum, anethinum, ſuſinum, nardinum, è nucibus, è fœnugræco, opobalſamum. præterea è ſuccis uinum acerbum, lactucę ſylueſtris ſuccus, licium, ſuccus radicis acori, chamædryos, cẽtaurij, chelidonij, ocymi, ceparum, rutæ hortẽſis & agreſtis,

quæ etiam beſaſa uocatur. Item ſuccus mali granati, fœniculi, utriuſque anagalli dis, marrubij, trifolij, ellebori albi, anemonæ, myrrha, ſagapenũ, opopanax, liquor cyrenaicus, ammoniacum thymiama, chalbana, thus. ab animalibus, ſanguis terreſtris hirundinis, caprini hepatis ſanies, & eius cicuris animalis quod felem uocamus. Item ſiluri fel & hienę, caprę, gallinę, perdicis, uulturis, urſi, ſcari, callionymi, corui piſcis. ex adipibus, adeps anſeris, gallinarum piſciumque fluuialium, teſtes caſtoris. è cineribus pulli hirundinũ aduſti, lacerta uſta, cornu item cerui aduſtum. è metallicis, lapis hæmatites & ſciſſilis, æs uſtum, atramentum ſutorium, chalcitis, miſy, aluminis omne genus, æris ſquamma, rubrica, lapis phrygius, iaſpis, moroxus, qui etiam leucographis appellatur, galactites, magnes, è plãtis, thuris cortex, ericæ arboris ſemen, & ſimilia.

Aures purgantia. Cap. CXLVIII

MEl, uinum mulſum, uinum dulce, oleum è nucibus ſeorſum & cum anſerino adipe, irinum cum aceto, laurinum, caricæ cum ſinapi, ſuccus cepę cum adipe gallinæ, nitrũ cum aceto, aphronitron cum melle & aceto, alumen cum aceto, zingiber & alumen pariter cum aceto, anguiũ ſenecta cum aceto, fel bouis aut porci, felque omne piſcium, betę ſuccus, raphani cortex, ſuccus mercurialis, bdeliũ, chalbana, caſtoreum, caſia, elleborus albus & niger, radicula quam ſtruthion uocant. capparis folia ex oleo decocta, acetum, mel, nitrum ſimul cum aqua calida in iectum. quædam horum ad pruritum, quædam ad ulcera, quædam ad ea quæ incidunt in meatum: plurima ad ſordis duritiem & ſonitum, & auditus hebetudinem ſurditatemque faciunt: eadem & dolores capitis diuturnos & epilepſiam curant.

Per nares purgantia. Cap. CXLIX

PEr nares caput purgantia ſunt ſucci radicis betæ, elaterij, & anagallidis cæruleum florem habentis, oleum, irinum, amigdalinum, ſuccus radicis cyclamini atque ipſa arida ſi teratur & inſuffletur. piper, nitrum, attramentum ſutorium, mel, thlaſpi, elleborus albus, euphorbiũ, ſtruthion, id eſt radicula, caſtoreum, calamentum, melanthium ſeu nigella, marrubium, anemona. talia naribus inſufflari ſolent ad diuturnos capitis affectus, præſertim ad morbum comitialem, oculorum hebetudinem, narium obſtructiones antiquas, ad odoratus difficultatem, ad cynicam conuulſionem, & ad regium morbum.

Quæ ex ore humiditates trahant. Cap. CL

LEntiſci folia & ab ipſo fluens reſina, maſticha cũ uua taminia aut pipere, aut cocco cnidio, ſinapi cum oxymelite & nitro gargariſſatum pituitæ copiã ducit. rumicis radix ex aceto decocta, pyrethrũ, cortex capparis, tæda, mel, origanũ, thymus, puleium, hyſſopus, rhu obſoniorũ cum melle, alumen, chalcitis, miſy, tamaricis ſemen, terebinthina cum melle, omphacinũ, laſeris ſuccus & cyrenaicus, caſia, denique omnia quæ ſtomatica appellãtur. quæ uero his ualidiora ſunt ad diuturnos affectus relinqui oportet: prius tamen oleo os abluendum eſt, ne medicamentorum acrimonia utilitati obſtet. adhibentur hæc ad omnes antiquas ægritudines capitis, ad hebetudinẽ oculorum, ad auditus difficultatem, qui abſque dolore ſit. Item ad linguæ guſtusque reſolutiones, ad inflãmationes poſt aures quas parotidas uocant, ad anginas puſtulasque omnes quæ caput aut faciem occupauerint, atque ad hos qui cynice cõuelluntur. recurationis aũt gratia quã ἀναθεραπείαν uocãt, aqua calida os abluendũ, aut ſapa aut melicrato, aut lacte, aut ptiſanæ ſucco.

Quæcunque lac generent moueantque. Cap. CLI

GEnerare mouereque lac poſſunt ptiſana cum fœniculo præcipue uiridi, uel eo deficiente cum ſemine præparata, fœniculũque ipſum uirens priuatim comeſtum. præterea anethum, ſeſamũ, aniſum, lini ſemen, cyminũ, farina milij elixata, tritici

tritici decoctum,eruca uiridis,cucumeris ſemen.exterius uero lacti ciendo mammillis illini ſolent,lūbrici terreſtres,nigella,tauri fel, hordei madefacti cremor,portulacæ ſuccus,anſeris adeps,cera,ſulphur, ferri recrementum:hæc adhibenda ubi lac defecerit.

Pulmonem & thoracem euacuantia. Cap.CLII

SEmina urticæ, paſtinacæ, lini, raphani & raphanus ipſa comeſta. Item thymus,ſinapi,ſeſamum,naſturtium, eryſimum,cardamomū, cucumeris ſemen, nigella,piper, ruta,polium,marrubium, baccæ lauri,caſia,nux, dracunculus,bulbus,cepe,allium,ſed præcipue coſtus,amomum,ſpica nardi,ſulphur,ſtyrax,chalbana,terebinthina,myrrha,opopanax,ſcilla,origanū, puleium,hyſſopus,abrotonum,bryoniæ radix, amigdala amara,caricæ, paſſulæ,pineæ præſertim recentes, mel,ſapa,uinum dulce, caſtoreū,farina orobi, ammoniacū, thus,laſer,eiuſdemq; ſuccus,ariſtolochiæ,iuniperi baccæ,ſtœchas,porrum capitatum cum ptiſana comeſtum,ouum ſorbile,butyrū recens, ſeorſum & cum melle, glycyrhizæ ſuccus, atq; etiā ipſa radix,his utendū ad ſuſpirioſos,ad orthopnoicos.i. recta tantū ceruice ſpirantes,ad tuſſes antiquas.plurima etiam iſtorū ad tabidos et ſuppuratos his educendis quę in thorace collecta fuerint,atq; ulceribus abſtergendis cōueniunt.

De ſuffumigationibus. Cap.CLIII

SVffumigatio uero non omnibus thoracis affectibus conuenit,neq; enim ſanguinem expuentibus adhibenda, cum ob acrimoniam euaporantium rurſus aperiantur ora uaſorum,neq; etiam arido morbo laborantibus conuenit,ſed ſolis ſuſpirioſis & recta tantum ceruice ſpirantibus, & quibus frigidorum humorum copia thorax uexatur.ſuffumigia uero nō niſi uniuerſo corpore exinanito admouere oportet:ægerq; ueſtibus circumſeptus in ſede locandus eſt,ut diuaricatis cruribus prona facie ad utrunq; genu decumbat: tum euaporatorio intra pedes conſtituto,enitēdum ut per tubum uapor exceptus patulo ore inſpiretur.quæ autem ſuffiri ſolent huiuſmodi ſunt.caſtoreum ſuffitum,frigidis & humidis medeť affectibus qui thoracem cerebrumq; infeſtauerint.ſimili modo ariſtolochia,bitumen, ſandarachia, ladanum, lolium, paleæ ſiccæ, funiculus uetuſtus aqua maris madeſcens, terebinthina, tuſſilago, calamentum, ſtyrax, maſticha,thus,eryſimum, ſimus pilíq; leporis,ſimus capræ,cucumeris agreſtis radix,centaurium,fœniculi ſemen.ſuffumigium uero ex quatuor rebus cōfectum, à nobis experientia compertum huiuſmodi eſt: ſtyracis,terebinthinæ, ſandarachæ,maſtichæ, partes æquales præſentaneū ad aſthmata, ſuppurationes pectoris, tuſſes laterūq; dolores,quemadmodum & ea quæ dicta ſunt.

Quæ inteſtinum gracile euacuent. Cap.CLIIII

GRacile inteſtinum purgat tithymali ſemē,eiuſq; ſuccus circa guttulas quinque cum caricis aut palmulis mixtus,attriplicis ſemen,braſſicæ ſuccus, ciceris decoctum, uiticis folia, thymi aut thymbræ decoctū, polypodiū, chamæpitys, butyrum recens, iugiter elinctum,chamæ,quas quidam hiatulas uocant, affatim decoctæ & comeſtæ,iure earundem ſuper bibito,omphacinū oleum epotum,roſaceum,ricininū, agaricus cum melle, ſed moleſte purgat. eſt enim ob leuitatem & fluitationē quam facit ſtomacho noxius.aloe ex frigida aut lacte pota: eadem ſi decocto melli admixta bibatur, ſine moleſtia purgat. ſtyrax cum terebinthina deuoratus,abſinthium, abrotonum.his & huiuſmodi medicamentis inteſtina gracilia purgantur, quæ etiam obſtructiones recentes crudoſq; humores & lumbricos rotundos pelkınt: quibus expulſis,felleæ quoq; ueſicæ meatus qui gracili inteſtino inſeritur,nullo impediente propriam functionem perficit, obiterq; flatus, tortiones & ilei dolores curantur.

Quæ ſimam hepatis partem purgent. Cap. CLV

POlypodium,mercurialis elixa & comeſta,lathyrides cum oxymelite,chamelæa cum abſinthio ex mulſa bibita,braſſica,cyclamini radix,ſerũ lactis,heliotropij quæ ſcorpiuros uocatur ſuccus,ius antiqui galli,aut ciceris albi,hæc omnia ad antiquas inflammationes conueniunt, quæ in concaua hepatis parte fuerint, nam in ipſarum principijs mitiora adhibenda ſunt.

Euacuantia gibbam hepatis partem. Cap. CLVI.

AMomi decoctum,iuncus odoratus,acori radix,gentiana ex aqua, agaricus cum uino mulſo, eſt tamen ſtomacho noxius, cortex radicis lauri ex uino, rha ponticũ,glycyrhiza,amigdala amara,piſtacia maxime,abſinthij coma, fœniculi ſemen,ſpica nardi,ſuccus radicis quinquefolij,uiticis ſemen,petroſelinũ,centaurij decoctũ,pæoniæ ſemen,ſeſamũ aſſatũ,lauri folia,palmularũ oſſa,ſymphyti radix,polygonon,ſenecio,olus atrum,anagallis floris cerulei,ſumaria, chelidoniũ in ſepibus naſcens,ſecurini ſemen,cornu cerui exuſtum, menthæ ſuccus, & eiuſdem decoctũ, calamenthum, coſtus, fœnugræcũ paululũ aſſatum, baccanũ quod quidam raphani mucronẽ ſeu nucleum eſſe uoluerunt,opobalſamũ,myrthi agreſtis radicis cortex,aqua in qua hordeum maduerit,lupini,phu, aſſarũ, meon, talia diuturnis affectibus conferunt,quæ in hepatis gibbo ſunt,ſiue cũ tumore fuerint, ſiue mala tantum temperatura cum dolore aut obſtructio infeſtauerit.

Splenem euacuantia. Cap. CLVII

ELleborus niger,epithymũ,polypodium,ſcolopendria,pęoniæ radix,chamædrys, chamæpitys, centaurij præſertim minoris & puleij decoctum,capparis cortex, aqua in qua maduerit colocynthis bibita , mercurialis comeſta decoctũq; eiuſdem bibitũ, lathyrides cum oxymelite, chamelæa ex aqua maris calida, ericæ ſemen cum petroſelino,uiticis ſemen : hæc omnia ſplenem euacuãt,& iecur aperiunt,malos corporis habitus prohibent,& arquatis,iocinoroſis,ſplenicis,atq; hydropicis conferunt.

Renes purgantia. Cap. CLVIII

QVæcunq; incidunt,plantaginis radix,folia & ſemen tritũ, aſparagus myacanthinus, pæoniæ radix, cicerum nigrorũ decoctũ,damaſoniũ, adiantus, apij,fœniculi,paſtinacæ,petroſelini,ameos,aniſi,liguſtici,aſſari ſemina,mei,phu, floris iunci odorati, ſeſelidis,radicis acori, graminis decocta, uitis lacryma & cortex,hirci ſanguis exiccatus,bibita hæc omnia renes purgant.danda ubi inflammationes declinauerint,ſcirrhos enim & calculos fieri prohibent.

Veſicam purgantia. Cap. CLIX

VRinam à ueſica trahit bibitum acori decoctũ, amaracinũ oleum, amigdala amara è paſſo, radicis altheæ decoctũ , hæmatites lapis tritus è uino potus, gallinarũ fimus exiccatus,anchuſæ decoctũ,hirci ſanguis aridus,atriplicis ſemen, artemiſiæ decoctum,abrotonũ,ſemen aniſi, ariſtolochiæ decoctũ, ſauinæ contritiſſimæ drach.i.ex aqua mulſa,non febriẽtibus autem è uino,carpobalſamũ,glandium decoctum, bdellium, ſemen rubi, balauſtia, radix bryoniæ, glycyrhizæ, & puleij ſuccus,pæoniæ ſemen, dictamnus, dracunculus, abietis, rubiæ, ſerpilli decocta,radix eryngij,heliotropium,ſenecio,mentha : hæc omnia calculos in ueſica generari non ſinunt,& ſimul craſſiſſima feculentaq; ſedimenta excernũt, ſcabioſosq; & ulceroſos affectus ſanant.

Quænam glandi applicentur ad urinam ciendam. Cap. CLX

VBi uero repleta lotio ueſica contrahi aut exprimi nequit,glandi imponimus nitrum in aqua dilutum, muriam, fel, cyclaminum.

Educentia calculos qui ſunt in renibus & ueſica. Cap. CLXI.

EAdem quæ frangere calculum poſſunt, ueluti cardamomũ cum lauri cortice,

potum

potum,cyperus,amigdalinũ oleum,paliuri ſemen,bdellium, fœniculi radix, libanotus,folia myrthi agreſtis, ceraſorũ nuclei, prunorũ ſuccus, amigdala amara, radicum rumicis,altheæ,arthemiſiæ decocta,ſemen altheæ,tribuli uiridis, aut adianti decoctum,uitis lachryma,apri ueſica exiccata,lini ſemen,tecolithus qui & lapis iudaicus appellatur,betonica,ſarxiphagus,ſpongiæ lapis,electrum.

Vterum euacuantia. Cap. CLXII

SAnguinẽ ab utero ducunt iniecta & apposita caſia cum myrrha, calami aromatici decoctũ,amaracinũ oleum,uiola alba, thymi, aut thymbræ decoctum, centaurij radix ipſumq; centauriũ,opopanax,uiticis ſemen,amigdala amara,nucleus nucis exuſtus è uino appoſitus,abſinthij decoctũ,aut ſuccus,ſampſucus,ſeſeli,chalbana,eringij radix,arthemiſiæ decoctũ aut ſuccus,dictamnus,conyza fœmina,rubiæ radix,chamępitys,urticæ ſemen,cũ myrrha,elateriũ,elleborus niger, lupinorũ decoctũ,raphani cortex,radicula, adeps ceruinus recens, adeps anſeris, reſina terebinthina,fel taurinũ cum maſticha,muſcus qui & ſplachnum & hipnus dicitur,cyperus,unguentũ irinum,ſuccus cyclamini,anchuſa, quinq; foliũ, cyminum,ſiſymbriũ,enula,ſaluia,heliotropiũ,mercurialis,cnidius coccus,uua taminia exemptis ſeminibus,fœnugręcũ,ſeſamũ,nucleus baccæ lauri,amigdali amaræ radix,cochleæ paruæ,lanæ ſuccidæ,lactucæ agreſtis ſemen, porrorũ cæparũue ſuccus, calaminthæ folia : hæc ſunt quæ expurgando utero peſſarijs, infundibulis,& linimentis adijcimus,cauendus tamen acriorũ uſus continuus,ulcera enim inferre conſueuerũt.

Quæcunq; bibita menſes ducunt. Cap. CLXIII

BIbita ab utero menſes ducunt,& eorũ quæ dicta ſunt plurima & omnia urinã prouocantia,ut eriſymũ,calamus aromaticus,aſarum ex melicrato, alumen, caſtoreũ,cicerũ decoctũ cum pipere & ruta,aſphodeli radix in uino elixata,eryngij,thymbræ,rutæ,origani,thymi,decocta,abrotoni,fœniculi,paſtinacæ,thlaſpis, nigellæ,uiolæ albæ,balſami,uiticis,pæoniæ ſemina,ſmyrnium,ſalix, baccæ lauri, myrrha,cardamomũ,cyclaminũ,ſagapenũ,chalbana,ſpica nardi,mercurialis, ſtyrax,centaurij magni radix,ſauina,iris,ariſtolochia,cydonij,& piri flos,radix rumicis,artemiſia, dictamnus, unumquodq; iſtorũ ſeu in uino decoquatur, ſeu tritum bibatur,ſanguinem ducere creditur,conueniuntq; ubi menſtrua uel ſtillatim prodeunt, uel omnino auferuntur, aut ubi os uteri occluditur, nec minus occurrunt declinationibus,auerſionibus,& ſuffocationibus uteri.

Excrementum durum euacuantia. Cap. CLXIIII

EXcrementa dura euacuant ſtyrax bibitus,maſtichæ tritæ drach.xij. ex aqua potæ, aloes drach.i. terebinthinæ cochleare, ſinapi, allium cum oleo & garo decoctum, ficus cum nitro,medulla ſeminis cnici,& omnia quæ dicta ſunt in gracilis inteſtini purgatione,eadem enim & craſſa inteſtina euacuant.

Lumbricos educentia. Cap. CLXV

LVmbricos rotundos & latos & aſcaridas pellunt ea, quæ de gracili inteſtino diximus, ſed & ſuccus auriculæ muris cum zytho, ſingulorũ cyathus unus, ſenecio comeſtus,ſantonicũ cum ficu, abrotoni decoctũ, ſex lumbrici terreſtres è uino dulci bibiti.

Sudorem prouocantia. Cap. CLXVI

BIbita ſudorem prouocant cyminũ,lauri baccæ,aniſum,uitex,ſerpillum,calamintha, polium, artemiſia, cardamomũ, libanotis, mel, lac uacinum, caſſia, iunci odorati flos,ſuccus cyrenaicus ad ciceris magnitudinẽ potus,ubi frigidiores adſint ægritudines,chamędrys,caſtoreũ ex melicrato,centaurij maioris radix,radicis capparis cortex,liguſticũ,petroſelinũ,nigella: hæc aliquãdo ex uino, aliquãdo ex mulſo bibunt,& ſudores mouere credunt.piſtacia quoq; ſi comedant ſudores ſine moleſtia prouocant,quę uero exterius illita ſudorem mouent,ſunt nitrũ cum

oleo,unguentum irinum,anethinum,chamæmalinū,laurinum, ſicyoniū unguentum ex odorata glande,althea,coſtus,balſamum, ariſtolochia,caſia, calamus aromaticus,libanotis, unumquodq; cum oleo decoctum. ſuffiuntur autem,caſtoreū cum puleio,carpobalſamum,bdellium,uiticis ſemen: his in regio morbo utendū, aut in eis qui ob frigiditatem uel cutis condenſationem non ſudauerint.

Euacuantia & corrumpentia pediculorū omne genus quodcunq; ſuperficiem occupauerit. Cap. CLXVII

SAndaracha,uua taminia,ariſtolochia,ſulphur ignem nō expertū,cinamomū, calamus aromaticus,caſia,pirethrum,cinis querceus,cucumeris radix.

De inteſtinorum ablutionibus. Cap. CLXVIII

PLeraq; incommoda quæ animali in morbis eueniunt,ob uentris conſtipationem generant:capitis enim grauitates,tenebroſæ uertigines,ſtomachi euerſiones,nauſeæ, faſtidia,turbulenti uomitus, oris ariditas,amaritudo, eructationes ingratæ uiruſq; redolentes,olidi ſpiritus,ſomni reſupini,moleſti flatus, torſiones . gracilis inteſtini dolores , præterea & plethorici & articulares & podagrici morbi & coxēdices,omnia inde oriri,augeri,exacerbari,prolixioraq; interdum & pernicioſa fieri ſolent. utiles ergo ablutiones & his & reliquis pleriſq; affectibus, quos ſigillatim inferius explicabimus.ablutionum uero quæ inijciūtur, quædam ſimplices,quædam mites,quædam acres,quædam uſum alium poteſtatemq; pollicentur.ſimpliciſſima ex ſola aqua calida ad ſimum excernendū in continuis febribus fit,& malignis & incendentibus, atq; in debilibus qui à longa reualeſcunt ægritudine,in quibus excrementa difficulter redduntur.calidiorē uero aquam eſſe oportet , nam tepida inflat . at oleo cum aqua mixto utemur , ubi uel durior ſimus fuerit, uel inteſtina ſenſus difficultatem ulceroſam & mordacem habuerint: recuſandū tamen oleum cum aqua ubi capitis grauitas adſit, & ſtomachi euerſio aut faſtidiū. roſaceū uero pro oleo cōmuni cum aqua iniectū utilius eſt in febrib. incendentibus:inq; omni ingenti calore, medias partes,ſed colū præſertim occupante:replet tamen caput, atq; oleo cōmuni minus emollit . inijciendū roſaceum aquæ ſubquadruplū.cum ouo etiam & ptiſanæ cremore roſaceū inijcimus, in febribus ardentiſſimis cōcurrente inteſtinorū mordicatione. chamæmalinū cum toto ouo rubeo inquā & albo,& ptiſanæ cremore noctu inijciendū : ſomnum enim ſuauem conciliat,& febris cauſas die proxima educit.butyrū cum aqua iniectum mordicationes & torſiones ſedat,ſed modicum eſſe oportet.confert et his quibus ob recti inflāmationem excrementa retinentur , & ubi inteſtinorū ſordida ulcera affuerint.at fœnugræci decoctū ex aqua abſq; pinguedine aliqua inijciatᷓ his qui ex pituitę putredine febri uexanᷓ,& mollibus fœmineiſq; corporibus,& ubi inteſtina morſionibus infeſtenᷓ:ſed caput replet,propterea in febribus ſi capitis dolor affuerit,omittendū.maluę decoctū mordicationibus & torſionibus cōfert,& præſertim ubi aridum ſtercus ſit . ſeminis lini decoctum corporibus & morbis aridis congruit, facitq; ad mordicationes,nauſeam,ſitim uehementem,ſed id quoq; caput replet,quamuis nō inſtar fœnugræci. ptiſanæ cremor aridū ſimum colliquat & abſtergit,inteſtinorūq; mordicationes ſedat.alicæ cremor cum eroſiones mitiget,maxime cōfert cardiacis & his qui ob ſyncopā exoluunᷓ:præterq; enim ꝙ iniectus nutrit,& uires reficit,emollit etiā,& aridū ſimum educit. furfuris uero cremor febribus exiccantibus, & doloribus uentris uitio euenientibus, & inteſtinorum ulceribus cōuenit,abſq; enim eroſione abſtergit. portulacæ ſuccus morſionibus feruoribuſq; reliquis utiliſſimus, & quibus ob aridi acriſq; ſimi excretionem anus aut rectū male habuerint.facit & ad morbos qui ad eryſipelatis naturā accedāt,ſucco aūt roſaceū cū ouo admiſceri oportet:hui⁹ ſucci maxime peculiare eſt,

ut ery-

ut eryſipelatum ardoribus medeatur: qui in profundo circa inteſtina latuerint, lac
inijciendum: ubi ulcus inflammatioúe circa inteſtina, renes, ueſicam, aut uterum
fuerint, ſerum iniectum ſimum egregie ducit, cæteraq́ꝫ alui excrementa & ſordi-
da inteſtinorum ulcera abſtergit. quod tamen ſine coagulo cõfectum ſit, oleum ſo
lum iniectum inteſtinorum inflammationibus conuenit, & extremo ſenio confe-
ctis in quibus ſimus indurucrit: melicratũ in febribus mitioribus, inq́ꝫ effœmina-
tis temperaturis ac deflorente ætate, & quando rectum aut colum refrigucrit, inij
ciẽdum eſt. rutæ uero cymini & anethi decoctum cum oleo, flatum diſſoluit, ideo
colicis inijcitur. ſint autem decocti partes duæ, olei pars una. fœnugræci cremor
cum butyro & terebinthina, ut terebinthina ſit quarta pars utriuſq́ꝫ, inteſtinorum
tortiones & ſaltus mirum in modum ſedat: abſque ulla enim mordicatione pluri-
mum in inteſtinis moratus, excrementa leuiter ducit: utiliſſimũ hoc idem eroſio-
nibus quæ circa uentrem fiunt. ptiſanę cremori butyrum permixtum cum paucu
lo mellis maxime confert ad ulcera inteſtinorum abluenda, & ad arida excremen
ta educenda, quæ eorundem ulcerum ratione detenta ſint. rutaceum oleum cum
butyro ad colicos dolores utiliter inijcitur. interdum etiam picis liquidę drach. iij.
aut bituminis drach. iiij. ſolutæ cum rutaceo & iniectæ dolores ſedãt, & pituitam
ſuauiter ducunt. ſæpe uino dulci ſuccidas lanas decoquentes, & excolantes oleo
rutaceo commiſcemus, ut ſint uini quidem partes tres, olei uero partes duæ. at ſi
ſuſpenſorum uaſorum quæ cremaſteras uocant, aut ueſicæ dolor, aut urinæ diffi-
cultas adſit, etiam petroſelinũ minutiſſime tritum addatur rutaceo. ad dolores ue
ro inteſtinorũ abſceſſus aut ulceris cauſa, butyrum cum polline thuris inijcimus,
aut pinguedinem cerui aut uituli cum oleo. quod ſi frigida ſit ægritudo & torpi-
dus dolor, chalbanam inijcito cum butyro, ut ſit chalbanæ quidem drach. i, butyri
uero unc. vi. aut ſtyracis oboli tres cum butyro. porrò acribus ablutiõibus utimur
in coxendicum doloribus, in non niſi recta ceruice ſpirantibus, in lethargicis & o-
mnino in frigidis morbis, atq́ꝫ in his qui exitiale uenenum ſumpſerint: quod uel
propter frigus uel ſanguinis grumos interimat. ad hos autem quorum totum cor-
pus refrixerit, attonitos, coxendicis, aut renũ uitio laborantes, caſtorei obolos tres
in oleo colliquatos inijcito. nitrum uero pro ſale accipimus, ubi bis aut ter ad ex-
cretionem aluus irritanda ſit: ſal enim confertim quidem mordet, ſed parum ultra
extenditur mordicatio: nitrum tamen caput replet & ſtomachum euertit, cum ni-
hil tale inferatur à ſale. cæterũ in his qui paulo ſuprà dicti ſunt affectibus, magna
ui agendi pollent, garus à ſiluro, maris aqua, muria, cẽtaurij, colocynthidis, ariſto-
lochiæ, radicis agreſtis cucumeris, agarici, thymi, chamæpityos, canchryos deco-
cta: hæc enim educunt ſanguinem, & hoc ipſo remedio ſubleuant ægritudines.

De glandibus. Cap. CLXIX.

GLandibus ſæpe utimur ob ægrorum imbecillitatem qui clyſterum iniectio-
nem non tolerant: ſępe quod ab aridis excrementis rectum inteſtinum ob-
ſtruitur: nonnunquam quod ablutio nõ ſit neceſſaria. præcipue tamen ad febres
uehementer incendentes conueniunt, quarũ materia facile eleuetur ad caput: tũc
enim clyſteres inferunt nocumentum, & glandium beneficio abſq́ꝫ ullo penitus
incommodo excrementa egerunt. glandes pręterea ad omnes ſoporiferas capitis
ęgritudines, & ad educenda quę per clyſterẽ iniecta nõ reddunt, utiliſſime appli-
cant. quę uarijs modis cõfici ſolent. aut eñ melle cocto & ſale aſſato nitroue præ-
parant, aut è cymino, ruta, nitro & melle decocto: ad hos q plurimo flatu infeſtan
tur, uel thymũ tritum in melle cocto aſſumit, uel cyclaminus cum melle ſubacta,
uel abſynthiũ, abrotonũ, lupinorũue farina cũ melle, qđ etiã lumbricis cõfert, aut
hyſſopus, tragoriganus, uel epithymũ cũ melle, quod ſtomachi euerſiõi opitulat;

aut coccus cnidius cum reſina ſicca, uel melle cocto, aut pirethrũ, uel ſinapi cum reſina arida,aut centaurium cum pice & cera:cõferuntq; hæc præcipue ad membrorum reſolutionem, aut bitumen, aut pars exigua radicis panaceæ, aut hyſſopus cum chalbana & reſina ſicca.hæc congrue applicari poſſunt ubi reſoluto uniuerſo corpore uis inteſtinorum excretoria deciderit.faciunt & ad recti inteſtini reſolutionem & ad aſcaridas,poſſumusq; pro melle reſina ſicca uti,ueluti dictũ eſt, aut pice aut carica pingui ſubactiſſima,aut paſſulis ſemine exempto,aut ſapone. optima uero glans conficitur ex folijs mercurialis uirentibus exquiſitiſſime tritis & exiccatis.infantibus etiam grumus ſalis imponitur,cepaq; et porrum capitatũ.

De linamentis quæ crocidas appellant. Cap. CLXX

SAepe etiam utimur linamentis in ſciſſuris ani,quæ rhagadas uocãt & condylomatis:talia enim ob glandium duritiem exacerbantur, propterea earum uicem linamentis ſupplemus, quorum materiã eadem eſt quæ glandium,eadem enim terimus cum melle,& in lana aut tomento aſſumimus,& ano imponimus.

De aere ex Galeno. Cap. CLXXI

AEr exquiſite purus quocunq; tempore optimus eſt,eligendus qui à ſtagnorum paluſtriumq; locorum uaporibus nõ turbetur, uel à cauerna quapiam pernicioſam auram expirante. reprobatur qui à cloacis magnam aliquam ciuitatem expurgantibus inficitur:quiq; nebuloſus eſt, & qui in conualli undiq; montibus circumſepta occluditur,& ueluti pręfocatur.at qui amœnos ambit colles,ſublimiaq; loca flatu carentia,ſalubritate ſua ad orthopnoicos,ad tabidos & ad uniuerſas capitis & pectoris ægritudines confert. qui uero in plana regione purus eſt,conuenit his qui ſyncopa corripiuntur ac ſenibus, ſed maritimus hydropicis, & deſtillationem præcipue frigidam patientibus, neruorumq; affectibus & proſtratis appetendi uiribus congruit. qui uero lapidoſas regiones ambit hyeme ob frigus torquet,æſtate ob calorem ſuffocat.uituperatur etiam qui è metallis efflat. argilloſa autem loca incolentes ſtomacho exoluuntur,nec tutò ſub eo cœlo degitur,quod ignei uapores à terra exhalantes plus æquo arefaciunt.aer è terra rubea optimus,atq; etiam è nigra.aeris tamen qualitates etiam ab anni temporibus immutantur.uere enim calidus & humidus eſt,æſtate calidus & ſiccus, autumno frigidus & ſiccus,hyeme frigidus & humidus, ſuntq; ſingulorum temporũ tres differentiæ,prima,media,poſtrema. media exquiſitiſſimam temperaturam ſui temporis habet: prima & poſtrema uiciniori aſſimilatur. luna quoq; in aere quatuor conſtituit differentias, prima enim ſeptimana nouilunij uſq; ad ſecundam,quemadmodum uer calida eſt & humida, ſecunda uſq; ad pleniluniũ,æſtati ſimilis eſt. tertia autumno,ultima hyemi. quin ſingulo quoque die uariatur aer.matutinum enim tempus ueris naturam refert, propterea corpora tam ſanorum quàm ægrotantium hac potiſſimum hora recreari uidentur,ita ut febrientes etiam placidiſſime degãt.meridies æſtati ſimilis,ſubſequẽtes horæ autumno,ueſper hyemi comparatur:tunc rurſus noctis initium autumno,media pars hyemi,& reliqua eodem modo.

Adamantini ſophiſtæ de uentis. Cap. CLXXII

QVoniam uero à terrarum effumatione uenti generãtur,de his quoq; ſummatim determinandum.uentos igitur parturit quidem tellus, ſed fuliginoſa effumatio parit.calor enim humiditatem abſumens, ſicciores effumationes & ueluti fuliginoſas faciens,flatus gignit. effumationes ſiccas aliarũ comparatione intelligito,ut cum dicimus uinũ ſiccius.duodecim uero uenti cõmunes ſunt quos catholicos uocant: orientales tres,eurus,apeliotes, cæcias.occidentales totidem, aphricus, zephyrus, thraſceas. unus meridionalis auſter, alter ſeptentrionalis

aparctias

aparctias, ut ſint omnes octo. quatuor reliqui inter hos medij ab angulis mũdi excitantur, inter orientem quidem & meridiem euronotus, inter meridiem & occidentem libonotus, inter orientem & ſeptentrionẽ boreas, inter ſeptentrionem & occidẽtem argeſtes. ſunt tamen alij certarum regionum flatus ſpurij & ignobiles. reliquæ autem telluris effumationes, humidiores ſunt his quæ uentos pariunt. ſi ergo quod effumat modicum ſit & tenue, exhalatio nebuloſa conſtituitur. ſi uero paulo plus effumet & craſſius, caliginoſus aer redditur, quem ὁμιχλώδη uocant, ſin adhuc plus & craſſius, iam fit obſcura tenebroſaq; exhalatio, quam ὀρφνώδη appellant. plurimo uero & craſſiſſimo humore effumante, rorida exhalatio attollitur. ex his quatuor exhalationibus concretis quidem rores & imbres fiunt, congelatis autem pruina & niues, & grandines iuxta frigoris qualitatem & ſitũ. nulla tamen harum flatui generando idonea eſt, tanquam quæ ſegnes ſint & impetu careant. at ſi humida quidẽ effumatio quæ exhalatio uocatur, rores & imbres generat, ſicca uero flatus, eſtq; humida ſiccæ contraria, quomodo ſimul & uentus et imber fiunt? reſpondemus ex diuerſis locis utraque eleuari. quoties enim è locis latitudine differentibus effumationes fiunt, tunc ſimul pluit & uenti ſpirant. at cur ſæpe poſt pluuiam uenti flant? cur contrà ſæpe poſt uentos pluit? dicimus terræ calorem tunc temporis non habere humidum quod incendat, propterea langueſcere. recepto uero pluuiali humido reuiueſcit, & materiam adurendo fuliginem excitans flatus generat: qui difflantes impellentesq; pluuialem nubem à qua geniti ſunt, in ſereno perſiſtunt. hoc igitur pacto imber ſpiritum gignit: nunc contrà, quomodo è uento fiat imber dicendum. oſtendi ſuperius calorem utrique effumationi communem eſſe, humorem uero quantitate differre. quando ergo copioſus calor ſimul cum redundanti humore iungatur, ea quidem humoris pars quæ in ſuperficie fluitat incenditur, fuliginoſumq; reddit uaporem. ubi uero caloris uis ab humoris copia ſenſim diminuta expirauerit, iam non amplius humorem incendit, ſed tantum diſpergit, atque pro fuliginoſo uapore exhalationem humidam facit, & propterea uentos imber ſubſequitur, qui ſæpe pluribus ſubinde diebus perſiſtit, quoniam difflatus calor imbecillior eſt quàm qui poſſit materiam comburere. præterea cur multi & iuges boreales flatus, uentiq; eteſiæ æſtate fiunt? an quoniam ſol ſub ſeptentrionali polo plurimum tum niuium, tum concretarum aquarum humorem nactus paulatim colliquat, ac partem generandis fluminibus, ſtagnis & fontibus diffundit, unde plurimæ effumationes redduntur. quas inflammat, & ſimul cum multo calore qui dudum ſub terra latuerat, in fuliginoſos uapores trãſmutat: qui paulatim incenſi diuturnum uentorum defluxum alunt. omnino autem uentus uiolento motu quo impellit, ualidiorẽ aeris functionem corporibus præbet. qui uero locales ſunt locorum à quibus ſpirant, naturam ſequuntur, propterea ex his quæ de aere diximus, de his quoque coniectare licet: illud tamen non ignorandum, omnes locales uentos inſalubriores eſſe communibus: cum enim neque totum impellant aerem, neque tota die ſpirent, inæqualiter corpora afficiunt. localibus uero peculiare eſt mane tantum ſpirare, quos propterea ἀπογέως quaſi à terra uenientes appellant nautæ. è communibus autem uentis qui à meridie ſpirant, auſtri uocati, cum ſemper temperatura calidi ſint, plerunque humiditatem ſimul annexam habent, immutari tamen ſolent per anni tempora, fierique calidi & ſicci, ideo uarios morbos producunt. boreales natura frigidi, uentorum omnium ſaluberrimi ſunt, calidioribus præſertim & carnoſis corporibus. orientales uiolentiſsimi ægritudines quæ à ſiccitate fiunt, mirum in modum pariunt. occidentales humidi & blandi, magis que humanis corporibus familiares.

De ſtellarum acceſſione quam ἐπισημασίαν uocant. Caput CLXXIII

QVoniam ſtellæ ſtatutis à deò temporibus cœlo orientes, occidentesq́; aerem pariter immutant, ut inde etiam uentos alios aliter ſpirare contingat, hic quoque explicãdum iudicaui, quales nam ortus occaſus ue fiant, à quibus aer manifeſte immutatur. ſanorum enim corpora & multo magis ægrorum ab aeris conſtitutione uariantur.

De diebus in quibus oriuntur in cœlo ſtellæ, atq; occidunt aerem immutantes. Cap. CLXXIIII

MEnſis dyſtri, qui martius eſt, decimanona equus oritur. eiuſdem uigeſima tertia æquinoctium uernum maximaq́; aeris turbulentia fit. prima xanthici menſis qui aprilis eſt, ſumma nocte uergiliæ apparent. eiuſdẽ decimanona uergiliæ ueſpertinæ occultantur. item eodem menſe uigeſimaprima uergiliæ ſimul cum ortu ſolis emergunt, maximaq́; aerem turbatio inuadit. huius eiuſdem menſis uigeſimaſeptima orion ueſpertinus occulit̃. prima artemiſij qui maius eſt, ſuculæ unà cum ſole oriũtur. quarta eiuſdem lyra ueſpertina emergit, & magnopere immutatur aer. ſexta eiuſdẽ matutina capra oritur, fitq́; rurſus aeris ſumma mutatio. ſeptima uergiliæ matutinæ apparent, incipitq́; ſedari aer. menſis eiuſdem decimanona ſucculæ matutinæ oriuntur, atq; uno duobus ue diebus antea ingens aeris immutatio fit. eiuſdem uigeſimaquarta capra ueſpertina occultatur, & per duos antea dies commouetur aer. iunij menſis ſecunda aquila ueſpertina exoritur. eiuſdem ſexta arcturus matutinus occidit, nona oritur delphin ueſpertinus, uigeſimaquinta orion matutinus oriri incipit, eſtq́; tũc æſtiuum ſolſtitium, fitq́; per tres antea dies uehemẽs aeris immutatio. tertia iulij menſis orion totus exoritur. eiuſdem quartadecima procyon, quem nonnulli anticanẽ uocant, matutinus exoritur. decimanona oritur canis ueſpertinus, maximeq́; immutatur aer, ſæpe duobus antea diebus. uigeſimaquinta aquila matutina occidit, cõcitaturq́; aer per tres antea dies. auguſti quintadecima lyra matutina occidit. eiuſdem decimanona decumbit delphin matutinus, tuncq́; æſtas ad frigus uergit. uigeſimaoctaua uindemiator quem προτρυγητὴν uocant, matutinus exoritur & nauis occidit, terminanturq́; tũc dies quadraginta ab exortu canis. ſeptima ſeptembris capra ueſpertina exoritur. quartadecima eiuſdem arcturus naſcitur, proximaq́; die aer immutatur. decimanona ſpica matutina emergit, immutaturq́; aer duobus antea diebus. uigeſimaquinta eiuſdem autumnale æquinoctium & tribus antea diebus fit aeris perturbatio maxima, ideo præcauere oportet, ne uel uena incidat̃, uel corpus purgetur, aut alio uehementi motu immutetur. octobris ſexta corona matutina exoritur, eſtq́; tunc uehemens aeris immutatio. ſeptima eiuſdem hædi ueſpertini oriuntur. decimaſeptima emergũt ſuculæ ueſpertinæ, ſummopereq́; aer perturbatur. uigeſimatertia uergiliæ unà cum ortu ſolis occidunt, fitq́; per unum antea diẽ maxima aeris turbulentia. nouembris ſexta uergiliæ matutinæ occidunt, atq; ſedari incipit aer: tertiadecima, alibi undecima, lyra matutina exoritur, atq; eodem menſe uigeſimaprima ſuculæ matutinæ occidunt, proximaq́; die perturbat̃ aer. eiuſdem uigeſimaſeptima orion emergit & corona occidit. decembris menſis prima canis matutinus occidit, obſeruatumq́; à plurimis eſt, quod ſi hæc dies procelloſa fuerit, perdurat plerunq; tempeſtas aeris ad uſq; trigintaſeptem. contrà, ſi ſerena fuerit, idem de ſerenitate contingit. decima eiuſdem menſis hædi matutini occidunt. uigeſimaprima, alibi undecima, decumbit capra matutina: alteraq́; peracta die perturbatur aer. uigeſimaquarta, alibi uigeſimatertia, ſolſtitium hybernũ fit. ianuarij quarta, delphin oritur. eiuſdem quinta, aquila ueſpertina decumbit, atq;

per duos

per duos poſtea dies uehemens ſit aeris perturbatio. uigeſimaquinta ſplendida ſtella in leone occidit, aerq́; per tres antea dies concitatur. uigeſimaoctaua, alibi uigeſimaſeptima, delphin ueſpertinus occumbit. uigeſimanona ueſpertina lyra occidit. ſeptima, alibi ſexta, februarii ſpirant zephiri. eiuſdem uigeſimaſecunda nauis ueſpertina occidit, perturbatq́; aer. uigeſimaquinta arcturus ueſpertinus oritur. uigeſimaſexta eiuſdem apparent hirundines.

De aquis ex Ruffo. Cap. CLXXV

AQuarum quæ bibuntur quinq; ſunt omnino differentiæ, pluuialis, fontana, putealis, fluuiatilis, & è ſtagnis. harum pluuialis leuiſſima eſt, & facillime tranſmutatur, atq; alijs quidem affectibus optima, cum celerrime tranſcoletur & tranſeat. febri uero & diſpoſitioni quæ cholera dicitur & arquatis inutilis: ex eo enim quod facile uertitur, facile in bilim tranſit, ſed lippientibus deſtillationis aut ulcerum ratione opitulatur. abſtineant ab ea qui acute uident, neq; ad medicinas metallicas abluendas eligatur: plus enim habet conſtipationis q̃ fontana, ideo neque abſtergit facile, neq; coquit, neq; madefacit, & excretiones impedit. quod ſi alicubi moram traxerit, magis adhuc conſtipat, tardiorisq; trāſitus ſit, egeſtiones detinet. tardius concoquitur diſtribuiturq;, ac diſtillationes gignit, præſertim ſi frigida bibatur. fontanæ aquæ quæcunque auerſæ à ſole è ſaxis erumpentes ad ſeptentrionem deriuant, aſperæ tardiq; tranſitus ſunt, feroq; & caleſcunt & frigeſcunt. quæ uero ad orientem fluunt, & per meatum aliquem puram ue terram excolant, & celerrime caleſiunt frigeſiuntq;, tales optimæ ſunt, niſi forte ab aquæductus natura aliquod uitiū adſciſcant. putealis aqua frigida, terreſtris, excretu difficilis, uix pertranſiens, propterea utilior q̃ fontana eſt his qui ſtomachi aut uentris ardore infeſtantur. fluuiales aquæ & è ſtagnis omnes uituperandæ, præter niloticam, hæc enim omniū uirtutum genere inſignis: nam & potui ſuauis eſt, & quantum expedit, moratur in uentre, ſitimq; extinguit, frigida tutò bibit, & concoctioni diſtributioniq; opitulatur, ideo temperatum firmum coloratumq; corpus reddit. aliorum uero fluuiorum aqua uix conficitur, exiccans, ſiticuloſa, & pręſertim ſi morboſas aliquas regiones fluuius irrigauerit. reliquis tamen omnibus præſtāt qui à fontibus perpetuis fluunt: quiq; alij fluuio nō permiſcentur. ſtagnorū aquæ ob circumiacentes paludes limoſæ ſunt & graues, moræ uero & quietis ratione ueluti mortuæ computreſcunt: ideo ſi alia uſpiam aqua non deerit, nunquam eas infirmis potandas dederis. præterea pro uaria terrarum declinatione & ſitu plurimæ aquarum differētiæ fiunt, ſed ut ſummatim dicam, omnis aqua à guſtu & ab incolarum experimentis perpendenda eſt. optimam enim experientur celerrime caleſieri & frigeſieri, facillimeq; carnes & reliqua omnia coquere: propterea et in uentre cibos conficere. quæ uero uel adſtrictionem, uel ſalſuginem, uel nitri ſaporem, uel dulcedinem, uel aliud quidpiam talè guſtanti offerat: quæ item tetri odoris eſt, aut tenax, aut olidam lentamq; feculentiam habuerit, & quæ ſitulæ lapidoſam quandam reſidentiam impingat, quæ ue irudines nutriat, aut alia quędam uitioſa animalia, quæ ſtagnet, quæ ue paluſtris ſit, aut cui inſit auri, argenti, aluminis, ſulphuris, aut talis cuiuſpiam metallum, & cui inutiles radices innaſcantur, & cui thermæ propinquæ ſint, tales omnes ſunt reprobandæ. optimum igitur erit ſi aquam his quas ſupra diximus, dotibus approbatam in fictili uaſe decoxeris, inde frigere permiſeris. poſtea rurſus calefactā propinaueris. in peregrinationibus uero & exercitu foſſa ab eminentiſſimo loco ſeriatim in decliue fodienda, & per hāc aqua ducenda eſt, pingui prius ac dulci ſubſtrato ſolo, ex quo fictilia conficiūtur. ita enim ſubinde in foſſa uitiū aquæ relinquit. prorſus aūt aqua omnis tardi tranſitus eſt, concoctu difficilis, flatuoſa, præſertim frigida, deſtillationes faciens, quæ

ſi poſt comeſta olera bibatur,maius imminet periculum,ne achores hominem occupent,aut ſcabies,aut lepra,aut puſtulæ quæ exanthemata uocant, aut impetigines, aut furfures,aut putrida ulcera,aut herpetes, id eſt,ignes ſacri, aut ſatyriaſis, aut tale quidpiam, qualis eſt etiam urinæ aut egeſtionum mordacitas, præſertim ſi aqua nitroſa fuerit,quæ etiã thoraci nocet,& cannæ ulceratæ & renibus,& ueſicæ omniq; ulcerum generi.emendant aquam nitroſam cibi lenes & uinum : ſicut craſſam quæ incidunt attenuantq;, ueluti allia & cepe.aluminoſam,uinum albũ, & quæcunq; urinam excretionesq; ducunt.aqua uero ad dolores capitis,ad oculorum hebetudines,epilepſiam, articulorum morbos,tremores, reſolutiones,priuatim,uel cum melle bibita confert,præcipueq; mulieribus propria eſt, quæ uteri uitio præfocantur, & his qui bilioſum excrementum, ſeu nigrum ſeu flauum gignunt,à quo uentriculi os erodatur.item uentri imbecillo & ieiuno , adoleſcentibusq; carnoſis & pinguibus confert.facit & ad nimios ſudores uniuerſasq; redundantes inanitiones & eruptiones ſanguinis, uel à uulnere, uel naribus,uel ab alio quocunq; loco . Præterea in ardenti febre oportuno tempore feliciter exhibetur, & his qui nocturnam pollutionem aſſidue patiuntur:qui etiam in eadem innatare & perfundi poſſunt. conuenit & ad mulieres nimio fluore aut pica laborantes, ad ſingultum,ad oris fœtorem,ſi frigida bibatur,ſicut tepida ad comitialem morbum,ad capitis dolorem, ad eroſas gingiuas aut purulentas, aut ſanguinolentas, ad dentes perforatos,fauces ulceratas,lippitudines,tonſillarum morbos, deſtillationes,melancholiam à flaua bile productam,ad cholericum affectum,ad uomitũ bilis:in febre utiliter potatur,exhibetur etiam tepida, ubi frigidæ uſu aliqua ratio interdixerit,ſicut ſepti tranſuerſi ulcus,ſanguinis ſcreatus, ruptura coſtas ſubcingentis membranæ . congruit inſuper calida ubi euacuationem paramus : aut ubi diffundere,liquare,molleſcere, concoquere,diſcutere oporteat:tot enim ſummatim calida poteſt,ſi bibatur.ſingillatim uero mucos ducit,refectionem iuuat,uniuerſos dolores mitigat , eructationẽ flatumq; præſertim hypochondriorũ inteſtinorumq; diſcutit,urinã ducit:concoctioni,diſtributioni,nutritioni augmentationiq; confert, menſes cit. neruis præterea,aſthmati, pleuritidi, peripneumoniæ & anginæ medetur.an uero nutriat,nutrimentiue ſit uehiculum,non eſt huius inſtituti diſcutere.hoc fateri neceſſe eſt, abſq; aqua concoqui nutrimentum nõ poſſe, ſicut omnino ſine aqua nihil commode elixatur . lixiuium autem bibitum ſplenicos adiuuat : & ſi quis panem ex huiuſcemodi aqua conficiens eiſdem præbeat, non parum proficiet.

De balneis ex Galeno. Cap.CLXXVI

BAlneorum quædam dulcia, aut nullam habentia qualitatem quæ ἄποια uocãtur.quædam qualitatem annexam habent, quam qualitatem uel humano ſtudio uel natura adſciuerunt.de dulcibus ergo balneis primo dicendum,quando & horum uſus crebrior ſit.dulces aquæ ſi moderate incaluerint, humefaciunt corpora & calefaciunt,ſi tepidæ ſint, humectant & infrigidant:ſin plus æquo incaleſcunt,calefaciunt quidem,ſed non amplius humectant : inhorreſcunt enim corpora,meatusq; conſtipantur,ut neq; extrinſeca humiditas penetrare,neq; intrinſeca excrementa purgari queant . quæ igitur moderate incaluerint, ab his enim exordiar,omnino quidem humectant temperatos habitus,& quantum in ipſis eſt,calefaciunt . accidit uero ut uel ex aliqua corporis parte humores diſcutiant uel molliant,uel coquant,uel robur firment, uel exoluant:ad quæ etiam non parum earũ quantitas facit.conueniunt autem huiuſcemodi balnea,dulcia inquam & temperata ad febres exiccantes,præſertim ubi ęger immoderate ſitiat, atq; ad uehementem ſolis exuſtionem,ad puſtulasq; uirulentas, ſed aerem balnei pariter humectare oportet

re oportet. ſolum igitur & parietes irrigabis. aquæ caliditatẽ induſtria ñoſtra com paramus, ubi moleſtiam, refrigerationẽ, aut laſſitudinẽ, aut cõuulſionem, aut dolorem ſedare uolumus: quæ quidem calidæ cuiuſpiã medicinæ additamento calida ſit, ut puleij, origani, hyſſopi, thymi, thymbræ, ſaluiæ, foliorũ lauri, pyrethri, chamæpityos, radicis aut ſeminis panaceæ. utimur uero balneis per halitum digerentibus, ubi corporis habitus attenuandus ſit, ut in pinguibus, aut ob longam ęgritudinem uel toto corpore uel aliqua parte tumeſcentibus, ut abdomine, teſticulis, pedibus, ſicut contingit hydropicis. utimur etiam ad manãtia capitis ulcera, ob multitudinem uniuerſę moli ſubiacentem, aut ob uaricem aliquam ulceri inhærentẽ. balneis uero diſcutiendi u s additur, adiecto ſale, nitro, melle, adarce paluſtri, ſulphure uiuo, alumine, cinere ficulneæ aut uitis trãſcolato: decocta uua taminia, aut iuniperi baccis. ſed mollientibus mitigantibusq́ lauacris utimur ad inflammationes aut alicuius membri duriciem: fiuntq́ decocta, malua hortenſi uel agreſti, lini ſemine, fœnogręco, meliloto. quod ſi inflammationes deſtillent, plantaginem, aut polygonum, aut malicorium, aut rubi folia in aqua decoquimus. at ſi perſeuerante deſtillatione conuulſionem quoq́ minentur, redimus ad ea quæ modo prædiximus: maxime tamen confert oleum cum aqua, quod hydrelæum uocant, in quo maluam ſemen lini & fœnogræcum decoxeris. ad duritiem uero inflammatione carentem quæ diſcutiunt ſupra memorata conueniunt.

De balneis naturalibus Archigenis. Cap. CLXXVII

BAlneorum naturalium quædam nitroſa, quædam ſalſa, quædam aluminoſa, quædam ſulphurea, quædam bituminoſa, aliqua ferri, aliqua ęris qualitatem habent: nonnulla ex pluribus horum conficiuntur, quorum omnium uis exiccandi eſt, ſed quædam cum exiccatione egregie ſimul calefaciunt: quædam exiccando conſtipant, ueluti aluminoſa. horum quæ ſalſa & quæ ærea ſunt, ad frigidas & humidas intemperies & ad eiuſdem generis morbos conueniunt, propterea medentur articulorum uitijs, podagrę, reſolutioni, renum affectibus, ſuſpirioſis, fracturis calloſa ſubſtantia indigentibus, ulceribus manantibus, inflãmationibus diuturnis & iam induratis. præterea capitis morbis, thoraci ad quem defluat deſtillatio, ſtomacho humefacto, hydropicis, œdematis omnibus. aluminoſa uero ad eruptionem ſanguinis, ad ſtomachum facile euomentẽ, ad immoderatas hæmorrhoidas, ad menſium ordine carentes defluxus, ad mulieres ſine cauſa abortientes, ad nimios ſudores, ad tardas concoctiones, ad œdemata & tibiarum uarices congruunt: ſulphurea neruos molliunt, teneſmi dolores ſedant, ſtomachũ tamen ſoluunt & euertunt, corporis ſuperficiem exterunt: propterea ad alphos & has quas leucas appellãt, & impetigines & ulcera antiqua, ad articulorum defluxum, ad induratum ſplenem, hepar & uterum, ad reſolutiones, ad coxendices & ſcabiem conueniunt. bituminoſa autem caput replent, ſenſuum inſtrumentis officiunt, enixe tamen calefaciunt & prolixe molliunt: præſertim uterum, ueſicam & colum. ęrea uero oculis, ori, tonſillis & uuæ conueniunt. ferrea ſtomacho & ſpleni utiliſſima. ſed quæ ex mixtis qualitatibus conſtant, pro ſingulæ cuiuſq́ imperantis ratione agunt. balneorum aquas ſenſim & leniter ingredi oportet, ut laxo corpori occurrentes interius penetrent: nam qui tumultuoſe & turbulente inſiliũt, horũ corpora denſantur & inhorreſcunt, neq́ aquarum qualitates ſuſcipiunt. præterea fontibus aquarum bituminoſis caput ſubijciendum non eſt, uitiatur enim facillime.

De frigida lotione ex Galeni libro de ſanitate tuenda. Cap. CLXXVIII

FRigidæ lotiones inculpate ſanis conueniunt: uniuerſum enim corpus robuſtum reddunt, ac cutim indurant condenſantq́, potiſſimum ad externa nocumenta præſidiũ. neq́ tamen his conferre dixerim qui temere uictus ratione utun

tur,ſed ſolis his qui exquiſite uictitant, congrue fungentes tum laboribus tum ali mentis,non ſint etiam tales uel ex concubitu uel ex alia occaſione defatigati, non crudi,aut qui prius uomuerint, neq; uentriculo male affecti, neq; longas uigilias perpeſſi,alioqui fallax eſſet huiuſmodi lotio.frigidæ etiam lotioni nō aſſueti, pau latim inducendi ſunt,præſtatq; in æſtate conſuetudinem auſpicari, ac primo qui dem in plane frigidam repente non ingredi,ſed ſubtepidam,inde tota hyeme ſen ſim aſſueſcēdo,ita tandem ad frigidā pergere. eligatur etiam principij dies quam maxime trāquilla, & illius temporis calidiſſima atq; hora meridiana.ſitq; frigidę aſſueturus, ætatis annorum circa uigintiquinq;,ingenuis animi & multam præfe rens uirilitatem: primumq; corpus perfricet ſyndone, frictione duriori, mox oleo communi inungatur,atq; ita ad exercēdum ſe cōferat.poſtea in frigidam deſcen dat,non ſegniter ſed confeſtim inſiliens,ut uno ſimul tempore uniuerſis corporis membris aqua circumfundatur.quæ enim paulatim inſpergit,horrorem infert.ſit autem aqua neq; tepida neque plane frigida. egreſſus uero à pluribus ſimul oleo perfricetur,quouſq; corpus caleſiat: deinde edulia quidem plura offerātur quàm conſueuerint,ſed potus parcior. in frigidis enim lotionibus appetitus intenditur, ſitis minuitur,& melior concoctio ſit.

De olei ingreſſu ex Galeno. Cap.CLXXIX

VTiles ſunt olei ingreſſus his qui diuturna febri cum frigore afficiunt,& de fatigatis & his quibus nerui oſſibus adiacentes dolent, & conuulſioni & de tentioni urinæ.oportet autem quintam olei partem igne calefacere,reliquas in la brum conijcere,ita enim quantum ſat eſt incaleſcet.in paruis igitur balneorum la bris oleum imponito, cuius quintam partem calefactam cum reſiduo commiſce to,& ita patiens ingrediatur.

De applicatione ſpongiæ Archigenis. Cap.CLXXX

SPongiæ uſum admittimus ad reliquas quidem partes,ut adhærentem ſordem abſtergamus,ſiue ſit illud uirus,ſeu ſanguis,ſeu pus,ſiue ipſamet medicamen ta:aut certe,ut corpora mordicatione uel ſcabie uexata mitigare tentemus. ad fa ciem uero ut refocillemus excitemusq; ſpiritum:ueluti his qui animo delinquun tur,aquam admouemus æſtate quidem frigidam,hyeme uero lacte admixtā.hoc tamen remedij genus obſeruandū eſt,ne ægrotis in principio aut augmento exa cerbationis fiat,ſed in uigore aut declinatione:in principijs enim acceſſionū odo ribus potius recreamus.cenſet autem Archigenes in ardentis febris exceſſu,ſpon gia non faciem tantum,ſed pectus quoq; fouendum.

De aſperſionibus quas προσλύσματα appellant. Cap.CLXXXI

FAciei aſperſiones in ægris ob prædictas cauſas admittimus,& ęſtate quidem ad ardentiſſimas febres frigidam eligimus, hyeme uero calidiorem.ad ſimpli ciores autem febres & ſtomachi euerſiones oxycrato quoq; aſpergimus: cauen da tamē aſperſio ad diuturnos affectus,& pręſertim ubi caput fuerit imbecillum: ſtupefactionis enim & frigiditatis pernicioſæ principiū faceret.utimur etiā aſper ſione ad oculos diſtillantes,ocymi decocto tanquam præſentaneo remedio. idem facit ſi fractos pinearum ramuſculos decoxeris. mento autem ſpongia ſicca ſub ſternenda,ne aqua in pectus confluat.

De irrigationibus quas καταιονήσεις uocant. Cap.CLXXXII

IRrigatione utimur ubi ob aliquā circumſtātiam balneo interdicimur, quemad modum in uigilijs febrilibus, aut delyrijs,eligentes chamæmali decoctū, inter dum etiam calicum papaueris, immo & eoſdem calices oleo decoquentes caput irrigamus,ſtatimq; ſuauis ſomnus inducit.Archigenes Agathini pręceptoris ſui cum delyrio & uigilijs uexaretur, caput plurimo oleo irrigauit, & confeſtim dely rium

rium uigiliasq; ſedauit. in conuulſionibus uero quas cynicas uocant, oleo ſicyonio calido, aut aliquo huiuſmodi caput irrigandum. at in quibus neruoſæ partes uehementer uitiatæ fuerint, atque ipſa neruorum uitia frigefactio & tremor conſequatur, caſtoreum ſicyonio admiſcendum. podagricos autem irrigamus marrubio in aqua aut uino decocto.

De inſeſſionibus. Cap. CLXXXIII

INſeſſiones inflammatis partibus admouemus, aut propter balneorũ defectũ, aut propter ægri imbecillitatem, ſiue quidpiam aliud fuerit quod prohibeat. ad renes ergo inflammatos fœnogræci decocto utimur, & maluæ hortenſis agreſtiſue & ſeminis lini. at ſi calculi adſint, ob quos etiam acceſſerit inflammatio artemiſiæ, libanotidis, petroſelini et ſpicę nardi decocta conferunt: quibus etiã ad ueſicæ affectus addita ruta utemur: ad uterum faciunt artemiſiæ, ſaluiæ, & huiuſmodi rerum decocta, ſicut ad colum ſiſonis, panaceæ, lauri, ſedi, meliloti, papaueris, roſarum. ad fluores uuluæ & hæmorrhoidas ani, plantaginis, polygoni, malicorij, rubi & ſimilium. ad conuulſiones uero ob uulnera euenientes, maxime conuenit plurimum oleum modicæ aquæ admixtum, quo affatim inungendi ſunt ægri, & uſque ad umbilicum immergendi. oportet autem eas etiam partes quæ non irrigantur, præunctas eſſe, præcipue caput quod operiri debet, ne repleatur.

De madefactione quam ἐμβροχὴν uocant. Cap. CLXXXIIII

MAdefactio ab irrigatiõe differt, quod madefactio ex applicato remedio perſiſtentem inferat utilitatem: aut enim lanam aut lacerum pannum madefacientes poſt irrigationem factam affectis partibus applicamus. habet igitur madefactio minorem quidem uim quàm cataplaſmata, ſed nihilo peius illis capiti confert, & his quicunq; ob imbecillitatem cataplaſmatum grauitatem non ferunt, & inflammatis hypochondrijs poſt morbi principia. intempeſtiuus enim tunc cataplaſmatum uſus. madefactione præterea utimur ad fracturas & contuſiones, etiã in principio, quoniam hæc emplaſticas medicinas tolerare non poſſunt.

Ex Galeno de fomentationibus irrigationibus cataplaſmatis & cucurbitulis. Cap. CLXXXV

CVm rarefacere fomentationes ſolent & tranſpirabilem reddere, & ſanguinem qui in inflammationibus eſt attenuare, & per halitum digerere: ſi tamẽ tunc temporis uniuerſum corpus excrementis abundet, plus materiæ ad calefactam partem trahetur quàm quod diſcutitur: propterea ante fomentationes purgari corpus oportet. humidæ ergo fomentationes inflammationibus congruunt, quæ à biliosiori ſucco prouenerint. ſiccæ uero his quæ à ſubtili & aquoſo ſanguine fiunt, at quæ mordaces attenuatoriæq; ſunt, his inflammationibus applicantur quæ à craſſis & uiſcidis humoribus generantur. porrò hypochondrium cataplaſmatis aut alio fomentationis genere calefacere non omnino tutum eſt, ſed his tantum ægris applicanda, in quorum uniuerſo corpore nulla deprehendit̃ ſuperfluitas, reliquis omnibus pernicies ultima. contingit aũt morbos à multitudine, quos plethoricos uocãt, peius curari in diuitibus quàm in pauperibus: inter initia enim nutriri uolunt, nec uenæ inciſionem plerięq; tolerant: immo & longe magis quàm pauperes à plethoricis affectibus occupari ſolent, tanquam & plus cibi ingerentes & ocioſius degentes. ipſos uero curãtes medici optimum remedium aliorum uſu rependunt, ita demum opinantes officio ſatis feciſſe: ſed ægri quoq; ſibi perſuadent eam uictus rationem qua iubentur quieſcere, nullo adhibito medicamento planè eſſe ſecordiam & negligentiã: diligentiæ autem aſcribunt quicquid agatur. ſemper enim aliquid agi uolunt, propterea medici coguntur, ſingulo quoque die aliquid applicare hypochondrijs, cum alioqui & ipſi ad idem parati ſint, oſten

tandi ſtudio ſe non omnino ócioſos accedere,& quod propterea putent ſe plus inde facturos lucri.ergo ipſimet medici ſunt, qui ita iniuriam afferentes hypochondrijs ſuis remedijs inflammationes pariunt:cõtingitq́; eo tempore in diuitibus inflammationes incipere,quo in pauperibus morbi deſinunt.pauperibus enim et diuitum ſeruis confeſtim in principio in continuis maxime febribus uenæ incidun tur,& pleriſq; die quinta criſis aduenit : quibuſdam die ſeptima,ulterius nullis.at diuites plenitudinem & excrementa plura pauperibus & ſeruis habentes , omittenteſq; uenæ incidendæ præſidium,inde quotidie ſe calido fouentes oleo & relaxantibus cataplaſmatis utentes,inflammationem ſibi adſciſcũt, aut in hepate aut in uentriculo,aut in aliquo è uiſceribus, quidam in quartà,quidam in quinta, aut omnino ſexta. aſpexiſti opinor quãdoq; quomodo in ipſo fomentandi tempore, ęgrum difficultas anhelitus ęeperit,totum ſcilicet id quod redundat ad pręcordia trahente caliditate:ita Tiphon occubuit,ita mille ſingulis diebus occumbunt alij. attrahit enim cataplaſma cucurbitulæ inſtar totius corporis excremẽta, immo cucurbitulam etiam auſi ſunt quidam applicare hypochondrijs , credo id ſolum curantes,ut aliquid agere uiderentur . in principio igitur fluente adhuc ad affectum locum materia,nõ attrahendum,ſed repercutiendum potius reprimendumq́; eſt: eligendaq; ad id conſtringentia cum oleo & applicanda , ſimul ut affectæ partes firmentur , neq; ita paratæ ſint ad ſuperfluitates recipiendas , ſimul ut eius etiam quod defluxit pars ſubtilior reprimatur.ubi uero latio ceſſauerit ob repercuſſoria remedia,atq; ob cõſtrictionem ita denſatus fuerit locus,ut craſſiora retineat, tum mollificatio requiritur, ut euacuari excrementa poſſint . maxime uero ubi ad hepar aut uentrem ſuperfluitates decubuerint,in principio conſtipantibus uti oportet:hæc enim membra nõ uulgare dominium habent:immo ſi etiam iam ſit occaſio diſcutiendi quæ impacta ſunt , ne tum quidem talia membra ab omni penitus conſtipatione priuanda ſunt. in oleo igitur abſinthium decoquentes locum fouebimus , & ſi ſit maioris conſtipationis neceſſitas , omphacinum oleum eligito, in quo decoquatur abſinthium:quod ſi abſinthio carueris,oleum è citonijs maſtichinum aut lentiſcinum primo ſufficiet. at ſi mitior febris affuerit, nardinũ unguentum inijcito:ſi uero febris declinatio non adeo manſueuerit,à nardo cauendũ eſt, oleoq; è citonijs utendum,aut lentiſcino, aut deficientibus his,roſaceo nardinum miſcendum.ſimili modo & cataplaſmata mixtam uim habeant ex mollienti medicamento ſubtilium partium & amaro & adſtringente.colo autem aut reliquis inteſtinis gracilibus hypochondriorum ue muſculis, aut abdomine, aut ueſica, aut utero patientibus,nullo pacto adſtringẽtia admiſceri oportet:ſi modo, ut dictum eſt, nihil amplius defluat, neque uniuerſum corpus excrementis redundet. renes uero & thorax inter hæc ambigunt : neque enim multa adſtrictione,nec contra multa indigent remiſſione . liene uero inflammato in principio adſtringentia adhibenda ſunt.at quæ diſcutiunt,& cucurbitulæ ubi uſus poſtulauerit,nõ niſi uniuerſo corpore exinanito applicari debent.

Ex Lyco de cataplaſmatis,& de eo cataplaſmate quod è fermento fit. Cap.CLXXXVI

Liquare & diffundere ualidiſſime poteſt hoc cataplaſmatis genus & ſurculos trahere,& durities mollire,plantarumq; pedum contuſiones ſanare:prius autem in oleo fermenti quantum ſat fuerit ſubigere oportet,& ita applicare.quod ſi uim augere malueris,nitri portiunculam addito: ſi uero fermẽtum aceto dilueris, inde ad cõſiſtentiam decoxeris,erit ad ſplenis hepatiſq; durities utiliſſimum : nec minus accommodatum remedium efficies, ſi thymum quoq; & puleium,aut abſinthium, aut abrotonum fermento miſcebis.

De ca-

De cataplaſmate ex pane. Cap. CLXXXVII

CAtaplaſma ex pane ad uniuerſas inflammationes efficaciſſimum eſt. cuius cōficiendi plurimi modi ſunt: nam aqua madefactus dilutusq́ꝫ cum modico olei roſacei & coriandri ſucco, inflammationibus ad eryſipelatū naturam tendentibus medetur. poteſt & uice aquæ in aceto dilui, & ſic ad eryſipelata magis conferet: ac ſi olei loco butyrum aſſumpſerit, inflāmationes coctioni renitentes curabit. ita uero præparabis. plurima aqua panem diſſoluito ad ſucci ſimilitudinē, deinde oleum admiſceto aut butyrum, mox ad congruam cōſiſtentiam decoquito: hoc omnium optimum eſt ad uulnerum inflāmationes: utimurq́ꝫ eo ad uelocem ſuppurationem excitandam. ubi uero neruus aut neruoſa pars intus contuſa fuerit, ego picis humidæ quidpiam admiſceo, cataplaſmaq́ꝫ utile experior. eſt etiam aliud podagricis inflammationibus utile, quod ita præparatur. heſterni panis medullam manibus terito ad farinæ ſimilitudinē, inde melli in olla calefacto admiſcebis, & decoques ad mediocrem conſiſtentiā: mox olei mediocrē portionē inijcies. cōfert hoc cataplaſma ad hypochondriorū inflammationes. præſtat tamen melli aquæ modicū admiſcere, ita eñ in decoquēdo melius diffundit̃. cataplaſma uero ex triticea farina idem ferè poteſt, eoſdem penitus præparandi modos admittens.

De furfurum cataplaſmate. Cap. CLXXXVIII

FVrfuribus in mortario tritis & cribratis ut minutiſſimi fiant, utere ad duritieas quas ſcirrhos uocant, in quauis parte corporis fuerint, ſed in hepate præcipue & ſplene: illis uero admiſcendum oxymeli, aut ammoniacū thymiama cū oxymelite dilutū, & cataplaſma faciendum & ita applicandū: deinde phocon quod eſt fomentatoriū inſtrumentū, aqua calida plenum apponemus, ut .ſ. cataplaſma frigeſcat. interdū etiam inflāmatis didymis utiliſſimū hoc cataplaſmatis genus eſt: ad hoc tamen aceti loco mulſa adhibenda eſt. cōuenit & ad dothienas cæteroſq́ꝫ duros furunculos, ſed ad uenenoſos morſus furfures aceto madefacere oportet, ita enim optimum conficies cataplaſma.

De cataplaſmate ex ficubus. Cap. CLXXXIX

PInguiſſimas ficus exq̃ſitiſſime terētes, ut nihil in eis inæquale appareat: mox irini unguenti modicum admiſcentes applicamus. facit autem ad neruorum durities & ad articulos, ſiue contractos, ſiue plus æquo relaxatos, pręcipue tamen ad ſplenis hepatiſq́ꝫ duricies: quod ſi nitri modicum adijcies, etiam abſceſſus diſrumpet, & infixos ſurculos educet. itē ſi ita præparatis ficubus aut puleij aut origani aut thymi aut abſinthij quidpiā minutiſſime tritū & cribratū admiſcebis, hydropicis cōferet. itē ſi ficus bene decoxeris, ſimulq́ꝫ cū decocto cōtriueris, & hordeaceā farinā aut furfures admiſcueris, atq́ꝫ tum ruſus ad cōſiſtētiā decoxeris, abſceſſus cōcoctu difficiles curabis: ſed ſi uel furſures uel rutę folia addere uolueris, inteſtinorū doloribus cōferes, qui flatus ratione euenerint, admiſceto tamē & his cymini oleum.

De dropacibus & picatione. Cap. CXC

DRopax à quibuſdam quoque picatio appellatur, qui ferè ægritudinibus antiquiſſimis applicari ſolet, eligitur ante ſinapiſmum, ut corpus ad ſinapi præparetur: & rurſus poſt ſinapiſmū, ut morbi reliquiæ excidantur. ſimpliciſſimus dropax is eſt qui picatio uocatur. pix ſicca cum pauciſſimo oleo liquatur, mox calida adhuc cuti illinitur, prius tamen deraſis partibus, & ita agglutinari ſinitur. mox antequam exacte frigeſcat, auellitur: deinde rurſus igne excalfit & applicatur donec agglutinet̃: & eodem modo priuſquā frigeſcat auellitur, atq́ꝫ id ſępius repetit̃, præſtantiſſimo remedio his qui iugiter uomūt, uel qui cruditatē patiunt̃, & ad affectus quos cœliacos uocāt, & reliqua mēbra quæ minime nutriunt̃. ſi uero dropax ſit aliter præparandus, ubi quidē calfacere oporteat, inijcit̃ piper, pyre-

thrum,canchry,bitumen.ubi exiccare,ſulphur ignem nõ expertũ,ſal,ſarmentorũ cinis: ubi frangere, adarce quæ paluſtris uocatur, euphorbium, quorum ſingula teruntur, & liquidis commiſcentur. dropax autem à plurimis in uſum receptus qui gallus uocat̃,ita præparari ſolet.colophoniæ thus redolentis, piceæ reſinæ ſordidæ lignoſæ quæ in fictilibus affertur, picis à nauigijs deraſæ quam apochyma uocant,picis ſiccę, ſing.lib.i.s.picis aridæ brutiæ lib.ij.ceræ lib.iiij.nitri lib.i.bituminis,chalbanę,adarcæ,pyrethri,ellebori albi,piperis ſing.unc.iiij.ſulphuris ignẽ non experti,caſtorei,ammoniaci thymiamatis,uuæ taminię ſing.unc.ij.olei ſicyonij lib.i.opobalſami unc.vi. Alius optimus & probatus dropax, picis,ceræ, colophoniæ ſing.lib.i.nitri,bituminis ſing.unc.vi.ſulphuris ignẽ non experti unc.i.s. piperis,euphorbij,adarcæ,ſing.unc.i. cantharidum drach. iiij. liguſtrini olei unc. iiij.dropax uero,ut etiam prædiximus, uſus tempore calidus applicãdus eſt,craſſitiem habens pro patientis uiribus,præradendiq; partis illinendæ pili. qui autem dropaciſmum ualidiorem facturi ſunt adhærente adhuc dropace, balneum nudi ingrediantur. dropax repente auulſus ſpiritum firmat, ad ſuperficiemq; reuocat, & ad proprias functiones excitat.

De ſinapiſmo ex Archigene. ca.CXCI.

CAtaplaſma ex ſinapi,ſinapiſmum omnes appellare cõſueuerunt,remedium potentiſſimum. in acutis tamen niſi in paucis admodum non ualde probat̃. in ſegnioribus enim tantum ſtupidiſq; naturis quæ in acutis morbis tanquam ſepultę fuerint,ſinapiſmo utimur.ad diuturnas uero ferè uniuerſas ęgritudines ubi reliqua præſidia non ſuffecerint,ſinapiſmus efficaciſſimus eſt.quoniam autem ferè uniuerſas diximus,quibus non conueniat, excipere oportet:ad pulmonum ulcera non admittitur ſinapiſmus, neque ad aliud prorſus ulcus quod ſit in profundo,ſiue etiam in ſuperficie:efferantur enim ulcera,nimiaq; acrimonia exacerbantur: neq; chartilaginoſis membris conuenit quales ſunt aures extremæq; nares, nanq; ab eo inuruntur & nigreſcunt quæ prorſus carne priuata ſunt. reliquæ uero corporis partes & morbi tali præſidio gaudent,ſed præcipue caput. ad diuturnos enim capitis dolores, ad hemicraneas,ad tenebroſas imaginationes, ad comitialem morbũ,ad furores thoraciſq; uitia,ad orthopnœas,aſthmata & tuſſes antiquas mirum in modum confert. in diſtillationibus uero caput ſimul cum thorace ſinapi illinendum, ſicut ſtomachus & inteſtina,ubi in eis diuturni affectus,pręſertim appetendi deiectiones fuerint.facit præterea ad renum,lumborum iliorumq; uitia,& ad penis & ueſicæ reſolutionem,omninoq; partes omnes reſolutæ & frigidæ hoc remedio iuuantur:ideo articulari morbo,coxendicibus & podagræ medetur. glans ex ſinapi confecta reſoluto recto imponitur: & poſt mordicationem ablata glande,melicrato abluitur.talis uero eſt cõficiendi modus:caricas pingues in aqua tepida diem unum præmadefacere oportet, proxima exquiſitiſſime tundito,inde ſinapi acre eligito, & ſeorſum terito,atq; inter terendum aquam in qua caricæ fuerint madefactæ,paulatim inſpergito,ut ad ſummam minutiem redigatur,neq; tamen ſit aquoſum.poſtea omnia ſeorſum conficiens applica,ſicuti uſus poſtulauerit.nam ſi hoc præſidio egregie utendum ſit,duas ſinapi partes uni caricarum admiſcebis: ſi moderate, ęquales utriuſq; portiones facies: ſin mitiſſime, una tantum ſit ſinapis,duæ uero caricarum portiones.in uegetioribus uero ſenſu corporibus,ubi in ſuperficie fuerit affectus, pro caricis panis ſinapi complicãdus eſt.illud obiter ſciẽdum,ſinapi aceto madefactum langueſcere.uis enim ſinapi ab aceto difflat̃.in his omnibus uero quæ dicta ſunt, tenue cataplaſma linteolo illitũ loco applicari oportet:certũ tamẽ tẽporis ſpatiũ quo dimittat̃, diffiniri nõ poteſt, propterea aſſidue cataplaſma remouendũ,caroq; cõtemplanda an rubuerit quod ſufficiat, idq; maxime faciendũ in membris obtuſi ſenſus:ubi autẽ actionẽ magis feſtinam

modus cõficiendi ſinapiſmi

feſtinam requirimus, ſpongia ex aqua calida expreſſa locus fouendus eſt, nequaquam remoto cataplaſmate, ſed ſuper ipſum ſpongiam applicãdo: completo congruo applicationis tempore, æger ad balneum ducendus, & calida immergendus eſt, & irrigãda fouendaq; pars affecta, nullo unguenti genere adhibito. at poſt lotionem tùnc demum roſaceo locum inungimus. quod ſi uehemẽtius doleat u ceretq;, tunc thorulo molli in aqua roſaceo admixta madefacto locus foueatur, aut malua decocta & trita cum pane. ubi uero dolor ceſſauerit, ceratum roſaceũ cum ceruſſa illinito: & ſi balneo uti non poſſumus, reliquæ quidẽ corporis partes aqua calida fouendæ: caput uero, præſertim in frigidis affectibus calidi olei irrigatione recreandum.

Quod caprarum fimus cum aceto illitus ſeorſum coxendicis congruit. Cap. CXCII

CAprarum fimus cum aceto tritus, ſinapiſmi uſum præſtat. ſeparatim uero coxendicibus id cataplaſmatis genus longe magis ſinapiſmo conuenire experientia compertum eſt.

Quæ ſint alia rubiſicantia. Cap. CXCIII

RVbiſicat cardamomi ſemen, & ſinapi inſtar calefacit. ſimili modo helenij radix, & agreſtium columborum fimus, quo frequentiſſime utimur, cardamomi ſemini trito & cribrato admiſcentes ſinapi loco. ad coxendices, hemicranias, tenebroſas imaginationes, diuturnos capitis dolores. ad laterum, humerorum, chordarum lumborũq; affectus cõfert & ad renum uitia, ad colicum, ad articularẽ morbum, ad podagras ubi adhuc non conſtiterint calli quos poros uocant: ſcilla etiam in mortario trita & illita uicem ſinapi gerit, uelocius tamẽ remouenda: nam ſi diutius permãſerit locum ulcerat. hac uero ſeorſum utendum ad orthopnoicos & reſolutos, qui non motionẽ tantum, ſed etiam tangendi ſenſum amiſerint: eruntq; poſtea recreandi ueluti in ſinapiſmo docuimus: ſeparatim tamẽ ſcillę mordicationes emendat olei irrigatio, præſertim roſacei.

De iberitide ſiue cardamina herba. Cap. CXCIIII

INter ea uero quæ cum uehementi utilitate rubificant, eſt adix iberiadis, quæ etiam cardamina appellatur, de qua Galenus loco de coxẽdicis dolore plurima ſcripſit. eadem uſus eſt Archigenes ad ſplenicos & coxendicum uitio laborantes, cuius meminit in epiſtola ad Ariſtonẽ his uerbis: uelim, inquit, te radice uti quæ nunc à noſtratibus iberias nuncupatur: folio naſturtij uere maxime uiret: caule intra ulnæ longitudinem, locis incultis innaſcitur, æſtate florem emittit lacteũ, tuncq; potentiſſima eſt, radices ueluti cardamomi odoratæ. hoc igitur quo diximus tẽpore radices ſumito & exquiſite terito, uix enim conteri poſſunt, & in adipe porci ſale macerato ad emplaſtri cõſiſtentiam: aſſumito & applica, permitteq; horis quatuor. deinde in calidũ balneum patiens ingrediatur: & ubi modice corpus immaduerit, in feruentiori ſubinde aqua immoretur: inde egreſſus, uino & oleo permixtis foueatur & fricetur, coxendixq; mundiſſima lana operiatur. eſt hic quidẽ modus ſinapiſmo ſimilis. ſpes uero utilitatis maiores habet: tum quia medicamentoſior ſit, tum quod nullatenus minorem inferat eroſionẽ.

De remedijs metaſyncriticis. Cap. CXCV

IN omnibus ad plurimum tempus perdurantibus morbis, ubi nullum præſidij genus cõtulerit, ad ea quæ metaſyncritica methodici appellant, confugere uniuerſi conſueuerunt. ego autem ubi intemperies quædam humida & frigida affectis partibus inerit, aut ſentiẽdi difficultas, ſiue omnimoda priuatio, ex ſinapi aut thapſia aut ſimilibus affero medicamenta. ubi uero morbi calidi & ſicci fuerint, ab huiuſmodi remedijs abſtineo.

LIBRI TERTII FINIS.

QVAE IN LIBRO QVARTO AETII AMIDENI continentur. De præceptis in ratione uictus ad ſanitatem tuendam.

Præfatio de tuenda ſanitate ex Galeno, quid ſit ſanitas, & quinam ſint homines qui optimã corporis ſtructuram poſſident Cap. I
Quomodo ſtatim natus infans ſanus eſſe noſcatur Cap. ij
De infantis educatione Cap. iij
De nutrice eligenda Cap. iiij
De lacte probando Cap. v
Victus ratio nutricis Cap. vi
Ad ſtertentes infantes Cap. vij
Ad uocem interceptam Cap. viij
De dentitione Cap. ix
De inflammationibus oculorum infantium Cap. x
Ad albugines puerorum quas leucomata uocant Cap. xi
De inflammatione aurium, & humiditate infantium Cap. xij
De ſiriaſi Cap. xiij
Ad ſudores infantium in febri Ca. xiiij
De ulcuſculis oris quæ aphthas uocant Cap. xv
Ad extrahẽdas ſpinas aut feſtucas quas deuorauerint Cap. xvi
Ad aſſiduas infantiũ ſternutationes & narium diſtillationes Cap. xvij
Ad tuſſim puerorum Cap. xviij
Ad alui profluuiũ in infantibus Ca. xix
Ad retentionem alui Cap. xx
De puſtulis quas exanthemata uocant Cap. xxi
Ad ulcera capitis & ea quæ achores uocañ, quo ego utor experto Cap. xxij
Ad exãthemata & ampullas infantium cum ruptura Cap. xxiij
Ad melicerida ulcus Cap. xxiiij
Ad procidentem ſedem Cap. xxv
Ad attritiones femorum quæ paratrimmata uocantur Cap. xxvi
Ad umbilici tumores Cap. xxvij
Ad hiſpidos infantes Cap. xxviij
Quando ablactandi infantes Cap. xxix
Ratio uictus in ablactatis infantibus & reliquis deinceps ætatibus Cap. xxx
Victus ratio in ſenibus Cap. xxxi
De uictus ratione eorum qui in ocio degunt Cap. xxxij
De macie inducenda Cap. xxxiij
Quomodo macrefacti renutriendi Cap. xxxiiij
Quomodo quis extenuatũ membrum emendet Cap. xxxv
De laſſitudinibus quæ ob exercitia uel peregrinationes eueniũt Cap. xxxvi
De laſſitudine ulcerante Cap. xxxvij
De laſſitudine tenſionem inferente Cap. xxxviij
De inflãmatoria & oſſa attingente laſſitudine Cap. xxxix
De laſſitudine quæ ob ſiccitatẽ maciẽq; contingit xl
De laſſitudine ob nimiam uenerem Cap. xli
De ſpontanea laſſitudine Cap. xlij
De ſpontanea laſſitudine ulcerante Cap. xliij
De ſpontanea laſſitudine tenſionis ſenſum inferente Cap. xliiij
De inflammatoria extenſione quę ſponte uenit Cap. xlv
Quotuplici curatione ad algores utendum Cap. xlvi
Cutis denſatę curatio ex Gal. cap xlvij
Quomodo inuſtio curanda ex Herodoto Cap. xlviij
De frictione matutina Cap. xlix
De ueſpertina frictione Cap. l
De cruditate Cap. li
De crapula Cap. lij
De æqualibus intemperaturis quæ ſimplices ſint nõ mixtæ, ueluti ex calido & humido. Cap. liij
Optimæ temperaturæ dignotio Cap. liiij
Calidæ temperaturæ indicia Cap. lv
Frigidioris temperaturæ ſigna Cap. lvi
Siccioris temperaturæ ſigna Cap. lvij
Durioris habitus ſigna Cap. lviij
Humidioris temperaturæ ſigna Ca. lix

Calidæ

Calidæ & humidæ temperaturæ ſigna Cap.lx
Calidæ ac ſiccæ temperaturæ ſigna Cap.lxi
Frigidæ humidæq; temperaturæ ſigna Cap.lxij
Frigidæ & ſiccæ temperaturæ ſigna Cap.lxiij
De capitis dignotione Cap.lxiiij
Signa temperati cerebri Cap.lxv
Calidioris cerebri ſigna Cap.lxvi
Frigidioris cerebri ſigna Cap.lxvij
Siccioris cerebri ſigna Cap.lxviij
Humidioris cerebri ſigna Cap. lxix
Calidi & humidi cerebri ſigna Cap.lxx
Calidi & ſicci cerebri ſigna Cap.lxxi
Frigidi & ſicci cerebri ſigna Cap. lxxij
Frigidi & hũidi cerebri indicia ca.lxxiij
Ventriculi ſiccioris indicia Cap.lxxiiij
Calidioris uentriculi ſigna Cap.lxxv
Humidioris uẽtriculi indicia Cap.lxxvi
Frigidioris uẽtriculi indicia Cap.lxxvij
Cõmunia intemperati uẽtriculi indicia (ca.lxxviij
Pulmonis indicia ca.lxxix
Cordis calidioris ſigna Cap.lxxx
Frigidi cordis ſigna Cap.lxxxi
Siccioris cordis ſigna Cap.lxxxij
Calidi & ſicci cordis indicia Ca.lxxxiij
Calidi & hũidi cordis ſigna Ca.lxxxiiij
Frigidi & ſicci cordis ſigna Cap.lxxxv
Hepatis calidioris ſigna Cap. lxxxvi
Frigidioris hepatis ſigna Cap. lxxxvij
Siccioris hepatis ſigna Cap.lxxxviij
Humidioris hepatis ſigna Cap.lxxxix
Calidioris & ſiccioris hepatis ſigna Cap.xc
Calidi & humidi hepatis ſigna Cap.xci
Frigidi & humidi hepatis ſigna ca.xcij
Frigidi & ſicci hepatis ſigna Cap.xciij
Temperaturæ teſticulorum indicia Cap.xciiij
Curatio calidioris tẽperamenti cap.xcv
Curatio frigidioris tẽperaturæ ca.xcvi
Humidarum temperaturarũ correctio Cap.xcvij
Siccæ tẽperaturæ correctio Cap.xcviij
Calidioris ſiccioriſq; temperaturę correctio Cap.xcix
Calidæ & humidæ temperaturæ curatio Cap.c
Humidæ & frigidæ temperaturæ correctio Cap.ci
Frigidæ & humidæ temperaturæ curatio Cap.cij

AETII AMIDENI MEDICI CLARISSIMI LIBER QVARTVS IOANNE Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete

Præfatio de tuenda ſanitate ex Galeno, quid ſit ſanitas, & qui nam ſint homines qui optimam corporis ſtructuram poſſident. Caput primum.

CVM VNA tantum ſit ars quæ circa humanum corpus uerſatur, duæ ſunt ipſius primæ & maximæ partes, altera quæ ſanitatẽ tuetur, altera quæ morbis medetur: & quoniam dignitate ac tempore ſanitas morbo præſtat, par eſt nos quoq; prius conſiderare quemadmodũ quis eam recte tueri poſſit, deinde etiã quomodo optime curandæ ſint ægritudines. ſanitas uero bifariam dicitur: quædam exquiſita, optima, perfecta, ſumma: quædam delinquẽs quidem, non adeo tamen ut propterea ægrotare dicatur animal, & hęc diuerſos habet gradus, maioris et minoris ratione non parum differentes, determinãdum igitur

igitur prius quomodo quis optimam & inculpatam ſanitatem cõſeruet, quod ut recte fiat ad memoriam reuocari oportet, quænam ſit optima corporis ſtructura: quam ſi à rei ſubſtantia explorabimus, eſt & qualitatibus temperatiſſima, & partium compoſitione ad proprios actus exquiſitiſſime congrua, nec minus numero, magnitudine, & commodo inter ſe earundem partium ordine, ut ſingula quæque aptæ functioni parata ſit, quæ temperatura etiam proprijs notis deprehendi poterit: eſt enim corpus exacte carnoſum, temperati ſcilicet habitus, ut neque gracile, neq; obeſum ſit, inter hiſpiditatem & glabritiem, inter mollitiem & duritiem, inter albedinem & nigredinem medium, nec protuberantibus uenis, nec prorſus latentibus, non ſomnolentum, nec inſomne. animus uero neq; iracundus, neq; ſtupidus, neq; fatuus, neq; uerſipellis: impetus etiam in uenerem moderatus. deniq; inter omnes exceſſus mediocritatem retinens, immo & idem uiſu pulcherrimum tanquam quod nihil habeat niſi cõmenſuratum. erit etiam ad omnes labores idoneum. habebit inſuper ſeorſum in ſingulis quibuſq; partibus boni temperamenti notiones, de quibus ſummatim tractabimus circa huius libri finẽ. nam multa corpora capitum quidem ſi ita cõtingat, laudabilem temperaturam habebunt. ſecus uero thoracis, aut uentris, aut membrorum quæ ad generationem faciũt. quibuſdam manuum pedum'ue intemperies euenit: quædam aliquo uiſcerum, aut quapiam alia parte delinquunt, de quibus omnibus in uitioſis corporũ ſtructuris poſtea dicetur. hic uero de optima ſtructura agimus, cuius ſingula membra prorſus inculpatæ ſubſtantiæ ſunt. explicabitur autem primo quomodo ſi quis ab initio ſtatim talem hominem ſuſceperit, tota uita ſanitatem conſeruet, niſi forte extrinſecus quidpiam uiolentum contigerit.

Quomodo ſtatim natus infans ſanus eſſe noſcatur. Cap. II

IVdicabitur infans ſtatim ab ortu ſanus, primo quod mater toto eo tempore ſana degerit, quo utero geſſit: deinde quod ubi ſolo exponitur, confeſtim plorat eiulatu ualido & cõgruo. ſingula præterea membra & ſenſus omnes recte habẽt, uniuerſiq; naturales meatus abſq; impedimento ſunt, ueluti aures, nares, fauces, anus & ueſicæ ductus, ſingularumq; partium motiones ſecundum naturam ſunt, neq; torpidæ, neq; ſolutæ, atq; articulorum flexus tenſioneſq;, magnitudo & figura, ac ſenſus menſuram propriam nihil excedunt.

De infantis educatione. Cap. III

TAli ergo infanti nuperrime nato, qui inculpatam omnino corporis ſtructuram habuerit, umbilicus quatuor à uentre digitis præacuto ſcalpro incidatur, reiecto calamorũ aut uitri aut ſimilis materiæ uſu, ne laceratio pro inciſione fiat: deinde expreſſo grumoſo ſanguine contorta lana inciſuram conſtringito, & minutiſſimo ſale moderate conſpergito. quandoq; tamen delicatioribus oleum illinimus. detergatur præterea uniuerſum corpus ptiſanæ aut fœnugræci cremore, & tepida abluatur quicquid uiſcidum corpori adhæſerit, digitiſq; exprimatur lenior ille naribus iniacens, expurgeturq; os atq; aurium meatus, aperiantur genæ, abſtergãturq; oculi inſtillato oleo, extendãtur digiti & recludatur anus, confeſtimq; per ſedem excernatur id quod meconion appellari conſueuit. præterea umbilico thorulum oleo madefactum applicato, quod umbilici formam retineat. cymini uero uſus quod quidam faciunt ob acrimoniam reijciendus. mox umbilicus duplicandus, & lana ſuauiter inuoluendus, atq; in medio exquiſitiſſime collocãdus eſt. poſtremo de more faſciandus infans. præ omni uero cibo mel optimum deſpuma tum lambendum dato, butyrumq; reijcito, tãquam ſtomacho noxiũ, inde aquam mulſam tepidam inſtillato: poſtea mater emulcto prius quod craſſum eſt è mammillis, & adhibito ex calida aqua fomento, lac prebeat infanti: præſtat tamen uſq; ad quar-

ad quartam diem à matris lacte abſtinere. bis uero in die infantem lauari oportet aliquo interiecto poſt cibum ſpatio, demum poſt tertiam aut quartam diem exci/dente umbilico, cochleę teſtam minutiſſime tritam loco applicato, aut porci aſtragalum uſtum, aut plumbum ex uino, & alligato.

De nutrice eligenda Cap. IIII

PRæ omnibus his nutrix eligenda, neq; uiginti annis iunior, neq; quadraginta antiquior, quæ prius bis aut ter pepererit, ſana, boni habitus, amplitudine & corporis robore inſignis, mammas habens mediocres, & rugis carentes, neq; magnas neq; adeo latas & ueluti fiſtuloſas. amplæ enim mammæ plus lactis gignũt, q̃ oporteat, quod deinde mora putreſcens, & infantem lædit, & mulierẽ grauitate infeſtat. paruiores uero in generãdo lacte deficiũt. at maiores papillæ gingiuas of/fendunt, & linguam à deglutione facienda prohibent: paruiores captu difficiles, propterea infans exugendo male afficitur, ut in oris inflammationes facile deci/dat. ab anguſtioribus lac haud facile redditur, ut inde infantiũ maxillæ defatigen/tur, imò & per anguſtos meatus lac iaculatũ oris membranã percutiens, aphthas producit. latiores uero papillæ tanquam per fiſtulam confertum lac emittentes, ſuffocandi occaſionem præſtant. ad hæc nutricem prudentem eſſe oportet, ſobri/am, manſuetam, mundam, boni ſucci, neq; epilepticam. Ego inquit Galenus flen/te aliquando puero tota die & excandeſcente, ut ipſum ſimul cum lectulo & ueſtibus ſordidum eſſe deprehendi, iuſſi ut ipſe quidem lauaretur, lectulus uero & ue/ſtes immutarentur, & ita eiulatu iraq; confeſtim ſedata, ad ſomnum declinauit.

De lacte probando Cap. V

LAc uero probandum guſtu, & uiſu, guſtantibus dulce eſt, ſpectantibus albũ & æquale: eſſe enim oportet inter ſubtilitatem & craſſitiem, mediũ. uitioſum autẽ, aut craſſum eſt & caſeo plenum, aut liquidum, & ſeroſum, aut pallidum, aut ſpumoſum, aut uiroſum, aut tetri odoris, aut quod uelociter acceſcat, aut quod gu/ſtanti amaritudinis, uel ſalſedinis, uel alicuius diuerſæ qualitatis ſpeciem inferat: ſint hæ tibi uitioſi & inutilis lactis notiones, quibus conijciens mulierem morbo/ſam eſſe ad aliam uertaris, diuitibus uero præſtat plures habere nutrices.

Victus ratio nutricis Cap. VI

EXercenda nutrix temperato exercitio ſed ſuperioribus maxime partibus. ci/biq; cõgruo tempore exhibendi & boni ſucci, & facilis tranſitus, quantitasq; moderanda quantum ſat uiſum fuerit, idemq; omnino de potione faciendum, ab/ſtinendũ à porris, cepis, allijs, rebus ſale maceratis, ab omnibus uiroſis, & tetri odoris, à bellariorum copia & pinearum præſertim. hæ enim q; oleaginoſæ ſint bilim generant, & in ſtomacho fluitant, ſed & uenerem excitant, à qua omnino nutricẽ abſtinere oportet, hora enim cõcubitus menſes prouocantur, unde & lac corrum/pitur, & deprauatum pauciſſimumq; generatur, imò & quædam ipſarum conci/piunt, quo nihil nutriendo infanti pernicioſius. quod ſi minuatur lac, aut corrum/patur, aut omnino extinguatur, aut liqueſcat, aut craſſeſcat, præſtat quidẽ alterius nutricis lac exhibere. ſed ſi non dentur induciæ, nutrix congrua uictus ratione re/genda eſt, ne interim infans ægrotet. lacte igitur extincto conſiderandũ, totum ne corpus, an una tantum pars, male habeãt, & ita impedientẽ cauſam abolere. quod ſi ob alimenti penuriam contigerit, cibi melioris ſucci ſunt adaugendi, deambulationesq; plures adhibendæ, & ſi aluus plus æquo feratur, ſiſtenda eſt, & reliquæ partes exercendę, uberaq; fricanda, & ſpongijs fouenda, ceratisq; utendum humidioribus, ex irino oleo: aut lambendũ dato lini ſemen cum melle, uel ſapa, aut ſeſami crudi, palmularumq; contuſarum partes æquales comedendas præbeto, & zythi cyathum propinato, atq; eodem die ubera lacte replebuntur. mulieri autem ui/

debitur ubi poculũ accæperit, omnibus membris langueſcere exoluiq́;, donec lac in mamillis collectum fuerit. uel ſex aut ſeptem terræ lumbricos exquiſitiſſime triтоs cum palmulis contuſis miſceto, & in zythi cyatho mulieri ieiunæ tribus diebus poſt balneum propinato, & lac admiraberis quàm copioſum, quàm pulchrũ fuerit. bibat eadem uinum dulce, & ptiſanam cũ uiridi fœniculo aut anetho decoctam ſorbeat. ſi uero lac nimia tenuitate damnabitur, nutrix balneo interdicatur, quo humores colliquantur, ac ſimilaceo pane, porcinis pedibus, membrorum extremitatibus, pinguioribus auibus, hœdina carne & uino dulci ueſcatur. contra ad nimiam lactis craſſitudinem attenuantem cibum & parciſſime alentem aſſiduaq́; lauacra adhibebimus: lac enim craſſius, abſceſſus & dothienas in corpore infantis generat, atq; aluum retinet, imò nec urinę ſecundũ rationem deferuntur, pituitoſi præterea uomitus perturbant, difficileſq; motiones ac difficiles anhelitus fiunt, appetitus deijcitur, color defloreſcit, ſordes oculorum craſſæ muciq́; abundant, flatuſq; plurimi egeruntur. at ſi lac acutius ſit excretiones alui in infantibus cum morſionibus plures fiunt, appetitus decumbit, puſtulæ quas exanthemata uocant, acriores toto corpore generantur in ſuperioribus maxime partibus, ſed ſubinde etiam in inferioribus, graciliorq́; infans paulatim redditur: propterea omni induſtria nutricis corpus balneis dulcibus, & cibis boni ſucci contemperare oportet. ſi uero lactis copia ſit minuenda, cibos pauciſſimos, & qui minus nutriant exhibeto, mamillaſq; lente, aut cymino, aut terra nigra, aut gypſo, aut hyoſcyamo, in aceto decoctis illinito. potes & attritum linteũ aceto madefactum aſſidue applicare, uel aqua maris, muria'ue, aut myrthi decocto fouere.

Ad ſtertentes infantes — Cap. VII

QVoniam autẽ nutricum pleræq; ueluti dictum eſt, cibis nõ exquiſitis utentes lac deprauatũ generant, unde eos etiam infantes qui optimam ſtructuram ſortiti fuerant diuerſi morbi adoriuntur, præter reliqua plurima nocumenta, quæ quotidie extrinſecus accidunt, propterea oportet de diuerſis affectibus infantes uexare ſolitis, ſummatim, quantum fieri poterit, pertractare. ſi ergo craſſiori cibo nutriatur infans, aggregetq́; in uentriculo pituitam, atq; ideo ſtertat, lini ſemẽ, aut cyminum ex melle lambendũ dato, & calidam mulſam in os aſſidue inſtillato: quod ſi nõ ſucceſſerit, oleo medium digitum intingito, & tonſillas illinito, ſed & linguæ radicem infra comprimens uomitum excita: ubi enim euomuerit, confeſtim ſanabitur.

Ad uocem intercæptam — Cap. VIII

VBi uox ob aliquam præcedentem cauſam fuerit intercæpta, id autẽ ob alui detentionem euenire plerunq; ſolet, braſſicæ ſuccum cum modico ſalis propinato, aut inſtillato, & ſoluta aluo protinus conualeſcet, ſed & glans ano ſupponenda eſt.

De dentitione — Cap. IX

CIrca ſeptimum menſem infantes dentes producere incipiunt, punguntur, ſtimulanturq́; ueluti à paxillo quodam ſeparante gingiuas dente, inflammationeſq; non gingiuarũ tantum & maxillarum, ſed ceruicis quoq; ſuboriuntur, quas plerunq; febres conſequuntur, præterea in audiendi meatu pruritus percipitur, & aures humeſcunt, nonnullos lippitudo fluxuſq; ſanguinis ab oculis corripit, alijs perturbatur aluus, ob ſtomachi inflammationem uentriſq; exſolutionem. molli igitur lana & pura, ceruicẽ & maxillas totius colli ambitũ & occipitiũ oleo dulci & calido fouere oportebit, inq; audiendi meatus calidũ oleum inſtillare: perſeuerante uero inflammatione ceratum humidum locis applicare. danda etiam erunt infanti cibi fruſtula præſertim è leporis aut agni cerebro elixo, aut aſſo: hæc enim ſuapte natura conferunt: ac melle moderate decocto gingiuæ illinendæ: nam ita

expedita

expedita dentium eductio comparabitur, cauendumq́ ne quid durum mandendum præbeas, ne gingiua calloſior reddita naſcituros dentes impediat. balneo prę terea in febrium declinatione utendũ, obſeruandumq́ ne aluus ſiſtatur, ne aſcenſu materiæ, ſuperiora membra ac præcipue oculi lædantur, febresq́ uehementiores fiant. nutrici etiam aquæ potus imperetur, cibusq́ qui minime mordax ſit, & ſorbitiones exhibeantur. aiunt naturali quadam ui dentientibus infantibus remedio eſſe, ſyluestris cucurbitæ, aut rubi radicem ex auro uel argento appenſam, & uiperæ maris dentem præcipue argento exceptum, & pro amuleto alligatum. geſtetur etiam continue circa ſtomachum uirens iaſpis.

De inflammationibus oculorum infantium. Cap. X

LYcion indicum ſi haberi poteſt, ſin minus, pataricum, cum lacte admiſceto, & ſuperioribus genis cum ſupercilijs illinito, interdum & plurimo lacte dilutum inſtillato. ſummopere etiam confert Nili diarhodum tritum & illitum, deinde ocymi decocto oculos abluito.

Ad Albugines puerorum quas leucomata uocant. Cap. XI.

Albuginibus puerorum quæ ab eiulatu fiunt, ſolani nigri ſuccum illinito.

De inflammatione aurium & humiditate infantium. Cap. XII

AD inflammationes doloresq́ aurium, albumen oui, cum mulieris lacte inſtillato, aut lumbricos terræ cum oleo roſaceo. ad humiditates uero alumen uino diluito lanamq́ in eo madefactam ſub ſole exiccato, madefactamq́ rurſus exiccando ter idem repetes, quam deinde ſeruabis, & uſus tempore in aurem impones. ad aurium uero ulcera paſtillo Muſæ, ſapa & modico aceti diluto uteris, quod ſi caro ſupercreuerit cõtrahe prius bithyno paſtillo ſoluto in uino, deinde ad Muſæ paſtillum redito, ueluti dictum eſt.

De ſiriaſi. Cap. XIII

EOrum affectuum qui cum febri infantibus contingũt, ſiriaſis eſt, quæ eſt inflammatio partium cerebri, & membranarum eius, uſq́ ad concauitatem ſincipitis & oculorum, cum febre ardenti, pallore, ariditate corporis, deiectione appetitus. appellatur autem ſiriaſis à ſincipitis concauitate, ſiros enim apud græcos uas concauum dicitur, in quo cuſtodiunt ſemina. omni igitur conatu inflammationi reſiſtendum eſt, recreando, & moderate refrigerando caput, irrigetur itaq́ coriandri ſucco, cum roſaceo, uniuerſumq́ eorum corpus inungatur: aut cucurbitæ ramenta capiti apponito, aut uitis folia, aut portulacę cum roſaceo, aut heliotropij ſucco, quæ ſcorpiurus uocatur, ſinciput madefiat, aut uitellum oui cum roſaceo mixtum ſincipiti illinito, & aſſidue mutato.

Ad ſudores infantium in febri. Cap. XIIII

VIridis arundinis medullam cõtuſam ſincipiti ac pedibus illinito, ipſumq́ infantem ueſtibus operito.

De ulcuſculis oris quæ aphthas uocant. Cap. XV

DE his & de inflammationibus tonſillarum exacte dicetur in libro, in quo de his morbis agitur, qui in perfecta ætate circa eas partes eueniunt, uidelicet octauo.

Ad extrahendas ſpinas aut feſtucas quas deuorauerint. Cap. XVI

ALumen illud quo ad coria utuntur, cũ oleo tritum loco deglutionis illinito, linguę radicẽ digito exquiſite premẽs, ſpinamq́ infixã ſuauiter extrahẽs.

Ad aſſiduas infantium ſternutationes & narium deſtillationes. Cap. XVII

OCymum tritum, & cribratum naribus apponito, ita ut per inſpirationem attrahatur, aut inſufflato.

Ad tuſſim puerorum. Cap. XVIII

PInearum moderate torrefactarum drach. iiij. ſeminis cucumeris ſimili modo torrefacti drach. i. tragacanthæ drach. iij. mellis deſpumati unc. ix. confice, & lambendum præbeto: tragacantha uero uino dulciſſimo antiquo madefacienda eſt. Aliud Hippocratis. Vitellum oui aſſum & ſeſami duplex pondus, ac ſalis modicum exquiſite contere, melleq́ adiecto lambendum dato. Item pineas aſſas numero xxx. amigdala excorticata triginta, ſeminis lini aſſi drachm. ii. ſucci liquiritiæ drach. ii. mellis quod ſufficit, dato ad lambendum. bene facit etiam cyminum cum melle & ammee.

Ad alui profluuium in infantibus. Cap. XIX

SI infantium aluus fluat reiectis eo tempore balneis, ſtomachum fouemus uino & oleo cytoniorum. quod ſi non ſiſtatur, ſume œnanthæ cōtritiſſimæ, acaciæ, maſtichæ, partes æquales, quibus ſimul ſubactis partem uitelli ouorum quę ſufficiat adijcito, deinde ſtomacho & ſcapulis illinito, thorulumq́ purpureæ lanæ alligato, prodeſt enim abſq́ moleſtia. Item aluminis ſciſſilis drach. xv. fecis uini auſteri drach. i. gallarum drach. ii. uino diluito ad congruam craſſitiem, & illine umbilico, exteriusq́ ſpongiam poſca madefactam apponito. præ cunctis tamē nutrix in uictus ratione regenda eſt, cibiq́ boni ſucci exhibendi, & potus adſtringēs. quod ſi infans quidpiam farinæ ſimile excreuerit, mentham tritam ex uino nigro apponito, & alligato.

Ad detentionem alui. Cap. XX

AT ſi aluus detenta fuerit, glande irritetur, aut clyſtere ex melle ſolo, aut melicrato, cibiſq́ mel complicetur. ſed & florem arthemiſiæ cum oleo tritum circa umbilicum apponito, & ſubducetur aluus.

De puſtulis quas exanthemata uocant. Cap. XXI

PRædiximus iam infantes ob deprauata alimenta in diuerſos morbos incidere, ita ut præter alia multa, exanthemata quoq́ & ampullæ quas phlyctenas uocant, humidaq́ ulcera bubaſtica appellata, in corporis ſuperficiem erumpant. nos igitur muriam & urinam quibus aliqui utuntur, ob acrimoniam recuſamus, lauamusq́ potius roſarum aut lenium decocto: & ſi maiori adſtrictione indiguerimus, myrthi, aut malicorij. quod ſi maiora ſint ulcera plantagine illinimus, aut intybi ſpeciem, quam ſerim uocant, cum pane, aut fermento, uel polentæ puluiſculum, cū portulaca, aut ſedo, aut umbilico ueneris, aut hyoſcyamo, uel roſas uirentes aut ſiccas cū meliloto & palmulis decoctas applicamus, uel argenti ſpumam, melilotum, alumen, cū aceto & oleo myrthino aut roſaceo trita, illinimus. Aliud ad bubaſtica ulcera. Recrementi plumbi, amyli, partes æquales cum ſolani ſucco tritas, & adiecto roſaceo inungito. Aliud optimum. Cadmiam tritam cū aqua illinito, aut cymoliam ex uino. Aliud. Spumæ argenti, ceruſſæ ſing. drach. iiij. malicorij aridi minutiſſime triti drach. ii. ſucci ſtratiotæ fluuiatilis quod ſufficit, ubi ſtratiota defuerit lenticulæ paluſtris tantundē, aut herbæ quę eodem modo in aquis inuenitur ſtratiotæ ſimilis. bene facit etiam ſarapiadis herbæ ſuccus, quam triorchin uocant. Aliud. Recrementum ferri ex uino illinito, & multum conferet. ſed & confectio quæ dialadanum dicitur aut diacrithon hoc eſt per hordeum, ſi albumine oui, aut roſaceo, aut myrthino oleo diſſoluantur, conueniunt.

Ad ulcera capitis & ea quæ achores uocantur, quo ego utor experto. Cap. XXII

SPumæ argenti, ceruſſæ, ſing. drach. viij. ſeminis ericæ, thuris, ſing. drach. iiij. uino, & oleo raphanino excipiens utitor. Aliud. Acaciæ flauę drach. viij. ladani drach. iiij. myrrhæ drach. ii. opij drach. i. aqua lacuſtri paſtillos cōficito & utere.

Aliud

Aliud. Cochleam albam cũ teſta exurito & applicato. Item aloem tritiſſimam cum plantagine arida mixtam inſpergito. Item balauſtium ſiccum tritum appone, aut cum aqua miſcens illine. Item herbam quam Alexandriæ quidam liparonem quidam cneſtron appellant, urito, cineremq́ ex uino illinito. reliquis uero præſidijs utere quæ cum ſuis diſtinctionibus libro ſexto explicantur, capite de achoribus.

Ad exanthemata & ampullas infantium cum ruptura. Cap. XXIII

CAdmiæ lotæ, æris uſti, & loti, acaciæ, croci ſing. drach. i. tragacanthæ, drach. ii. tragacantham in aqua diluito, & cum hac reliqua aſſumito, ac paſtillos cõficito, & uſus tempore cũ ſenecionis ſucco aut ſeridis, aut ſolani, adiecto roſaceo illinito. ego tamen ſucco ſenecionis aut ſeridis tragacantham diſſoluo, & cum reliquis deinde paſtillos facio.

Ad melicerida ulcus. Cap. XXIIII

SPumæ argenti, baccarum lauri partes æquales, cum aceto & oleo mixtas illinito, quod ſæpiſſime expertum eſt.

Ad procidentem ſedem. Cap. XXV

HErba quæ ſpongitis uocatur aſſidue ſedem abſtergito, & acaciam ex uino nigro & ſapa illinito. Item cochleam uſtam & tritam ano exeunti prius loto applica, & ſanabis. Item oſtreorũ teſtas crudas tritas & ſubtiliſſimo cribro excuſſas appone. item myrthi baccas uirides cum uino tritas applicato: aqua uero fabrorum lotiones fiant, in qua ferrum extingunt. ego uero muria tepida aſſidue utor, & mirifice prodeſt, idemq́ facit maris aqua. utor præterea præſidijs cũ ad hos tum ad reliquos puerorum affectus, quæ deinceps ſuis locis dilucide explicabuntur.

Ad intertrigines fœmorum quæ paratrimmata uocantur. Cap. XXVI

Myrtum ſiccam tritam apponito, aut liguſtrum cum roſis.

Ad umbilici tumores. Cap. XXVII

TVmeſcunt autẽ infantium umbilici plurimum'ue extenduntur aut propter eiulatum, aut percuſſionem, aut compreſſionem: in his igitur ammi contritũ umbilico illinito. Item othonæ herbæ ramenta apponito tribusq́ diebus alligato, deinde exoluens, idem iterum repetito. Critonis, ad puerorum umbilicos quacunque cauſa emineant. Reſinæ pini drach. xvi. aluminis ſciſſilis drach. x. mellis drac. xx. alumen tritum ſuper carbonibus cum melle uſq́ ad probam conſiſtentiam decoquito, deinde reſinam ſolutam inijce aſſidueq́ agitato, quod ubi confeceris, ex medicamento ſuperlato panno quod platyſma uocanr, quantũ ſat eſt extendito, & applicato, ſingulis diebus permutando, ac ſuper platyſmate plantaginis folia ſed præcipue hederæ apponito. Aliud. Lupinos amaros, aſini ungulam uſtam, laterculum toſtum ſimul terito, apponito & illigato. quod ſi potentiorum adſit neceſſitas, utere his, quæ ad ramices inguinum ſuo loco dicentur.

Ad hiſpidos infantes. Cap. XXVIII

A Craſſioribus pluribus fuliginoſisq́ excrementis à quibus pili generantur, hiſpidiores infantes fiunt: caricas igitur exurito, terito, & depilandũ locum confricato. Aliud. Reſinam aqua elixato & puerum lauato, inde caricarũ uſtarum cinere & fabarum farina leuiter detergito. Item farinæ fabarũ, cimoliæ, aphronitri albi, teſtarum oſtreorum ſing. partes æquales terito & pro ſmegmate utitor.

Quando ablactandi infantes. Cap. XXIX

INfantes lacte nutrire oportet, quouſq́ membra firmentur: ubi ſolidum corpus fuerit, cibi exhibendi ſunt, micæ inquam delicatiores, cum aqua mulſa, aut uino mulſo, aut etiam uino dulci, aut lacte, inde oua quoq́ ſorbilia. infantes enim mandendi ignari ſaliua replent, quæcunq́ mandere oporteat. potandum uero dabis di

lutum uinum. at ubi iam puer ſolidiorē cibum affatim ingeret, quod circa uigeſimum menſem plerunq; euenit, tunc paulatim ſenſimq; ab uberibus deſueſcat. ꝙ ſi ablactatus in morbum inciderit, ad lac rurſus reducatur, deinde ubi morbus deſierit, recreandum corpuſculum, & ita denuo ablactandum.

Ratio uictus in ablactatis infantibus, & reliquis deinceps ætatibus. Cap. XXX

ABlactati infantes relaxandi, & alacriter exercēdi, & cibi leuiores boniq; ſucci exhibendi ſunt, corpus tamen temperatū à uini copia abſtinere oportet, uinū enim in calidis & humidis temperaturis uaporibus caput replet. neq; etiam huiuſcemodi pueros à frigida potione omnino inhibendos puto, imò inter epulandum, horis præcipue calidioribus ſinendos, ut optima utantur aqua. inde à ſeptimo anno ad literas ducendi, præcæptoribusq; humanis, & manſuetis tradendi: à quartodecimo uero uſq; ad uigeſimū quintū annū in diſciplinis & philoſophorum rationibus congrue exercendi, prohibendiq; interim à uenereis, amplioriſq; uini uſus contrahendus, maioraq; iam exercitia concedenda: ætate uigentibus animi pariter ac corporis ratio in uictu obſeruanda eſt, exercitia qualiacunq; fuerint proportione minuenda, ſubtrahendumq; è cibis tanquam habitu iam ad frigiditatem uergente. illa uero maxima notio qua optima corporis ſtructura dignoſci poſſit: in hac enim ſola menſuram natura inuenit, eorum omnium quæcunque aguntur, ita ut ſiue exerceantur, ſiue fricentur, ſiue quidpiam aliud agant, homines tunc primo pigreſcant, cū exquiſite fuerint exercitati. ſimili modo à cibis potibusq; abſtinebunt, cum ingeſſerint quantum corpori alendo ſufficiat, nihil amplius minus'ue appetentes. non eſt igitur uerendum, ut uel plus æquo laboret, uel crapuletur homo talis temperaturæ: ipſe enim ſibi ipſi ita dictante natura tuendæ ſanitatis regulam inuenit, præſertim ſi à teneris animi inſtituta recte ſe habeant: multi enim malis moribus educati, intemperantia, & licentia ducti, bonas corrumpunt naturas: ſicut rurſus nonnulli uitioſo corpore nati, prudentiori uita opportuniſq; exercitijs multa refecerunt quæ natura deliquerat. exercitiorum uero menſuram & utendi modum in præcedenti libro explicauimus.

Victus ratio in ſenibus. Cap. XXXI

NAturalis ſenectus eſt frigida & ſicca corporis temperatura, annorum multitudine eueniens: defluente enim paulatim cum natiuo calore corporea ſubſtantia, & inſtrumentis iam plus æquo ſiccioribus redditis, actus peiores fiūt. præterea & magis ſine carne & gracilius ſeipſo euadit animal. ubi uero amplior adhuc fit exiccatio, iam nō ſine carne tantum ſed & rugoſum efficitur, & impotens membrorum, & in motionibus fallax. qui igitur diſpoſitionē exacte nouerit ꝙ ſcilicet ſiccitas adeſt cum frigiditate, bonus erit ſeniorum medicus, noſcet enim eos calidis & humidis reficiendos eſſe, qualia ſunt dulcium aquarū calida balnea, laudabilis uini potus, & quicunque cibi calfacere humectareq; poſſunt, frictionesq; matutinæ cum oleo moderate factæ, ambulationesq; & geſtationes non moleſtæ, ſemper tamen uirium ratione habita. neq; enim modica eſt inter ſenes diuerſitas. ſeniores autem ſępe & parum alendi ſunt: nam ſi paululum quidpiam menſuram exceſſerint, magnopere lęduntur, propterea parcus quidem cibus ſed ſingulis diebus ter offerendus eſt. dandus ergo circa horam tertiam, panis recens probe confectus cum melle optimo deſpumato, circa ſeptimam uero poſt frictiones, & exercitia, qualia ſenibus conueniunt, & poſt lotionem, ad prandium ducendi ſunt: & primo offerenda quæ uentrem molliunt ueluti beta, aut malua, deinde ſaxatiles marini'ue piſces. pranſi breuem quietem ſuper ſtrato captabunt, deinde modice deambulabunt, ueſpere cœnantes ab edendis piſcibus abſtinebūt, eligentq; optimi ſucci cibos

ci cibos

ci cibos, & qui nõ facile corrumpantur, qualis auis eſt in ſimplici iure cocta. uinũ ſenibus dato propria caliditate excellens, quale eſt ſubſtantia tenue, colore rubeũ, aut fuluum. id unum uini genus ſenibus eligendum, quod & uniuerſa membra excalefaciat, & per urinas ſanguinis ſerum expurget. quæcunqꝫ uero uina flaua, aut fulua, etiam craſſa ſunt, ſanguinem gignunt, egregieqꝫ corpus alunt: ideo talia interdum quoqꝫ ſenibus conferunt, eo uidelicet tempore, quando nihil eſt in uenis ſeroſum, & præterea ampliori alimento indigeant. plerunque tamen uina urinam mouentia ſenibus competunt, ob aquoſa excrementa quibus iugiter abundant: nigra uero adſtringentia & craſſa cum plurimum morentur in ſtomacho ſenibus maxime infeſta ſunt. quod ſi dulce expetiuerint, exhibeto poſt balneum, qđ dulce ſimul & flauum ſit. his autem, qui uel calculos renũ ſuſpectos habeant, uel podagræ aut morbo articulari ſubiaceant, uini mulſi uſum non negauerim, adijciendo ad morbum quidem articularem, & podagram petroſelinum, ad calculoſos uero betonicam quæ ceſtros, & ſarxiphagos uocatur. illud animaduertere oportet, cibos omnes & potus craſſioris lenticꝫ ſucci ſenibus maxime infeſtos eſſe, ut chondrus, caſeus, oua aſſa, cochleæ, bulbi, fungi, lentes, & oſtreorum caro, ac reliqua quæ in libro ſecundo docuimus, ubi de cibis craſſi ſucci ageretur. ꝙ ſi quis neceſſitate coactus in hoc epularum genus inciderit, aſſumat confeſtim medicamentum quod diacalamentũ appellatur, aut diatrionpepereon: quæ ſi defuerint, piper album tritum atqꝫ exquiſitiſſime cribratum cibarijs admiſceat, potumqꝫ eodem condiat, alliumqꝫ tunc temporis tuto comedat: exoluta obſtructione, ſubductáque aluo, theriace antidotus, aut mithridatica, quæpiam ue alia earum quę ex aromatibus conficiuntur exhibenda eſt: deinde ſeriatim ad calidam & humidam uictus rationem quam prædiximus, procedendum, præbendæqꝫ æſtate quidem ante cibum maturæ & ſuauiſſimæ ficus recentes, hyeme uero caricæ, niſi diſpoſitio aliqua dextrum præſertim hypochondrium infeſtauerit. at quoniam ſeroſa & pituitoſa excrementa in ſenum corporibus aggregantur, ſingulis diebus urina prouocanda eſt, non quidem medicamentoſis rebus, ſed apij decocto, melleqꝫ & uino urinam ciente, & aluus optimo oleo ſubducenda, quod præcipue conferet, ſi ante cibum bibatur. olera etiam præ reliquis cibarijs cum oleo & garo ſunt offerenda. eandem alui ſubductionem arida pruna non damaſcena, ſed hiſpana præſtabunt, quæ in melicrato meraciori prius madefacere, deinde decoquere oportet: ſed & oliuæ albę muria confectę concedi poſſunt. quod ſi ulterius detineatur aluus, mercurialis decocta aut cnicus cum ptiſana, uel reſina terebinthina ad unius regię nucis, duarumqꝫ interdum & trium magnitudinem exhibeatur: neque enim aluum tantum abſque moleſtia molliet ſed uiſcera quoqꝫ pulmonem ac renes deterget. eius doſis in uncia ſtatuitur. eſt & ad idem efficax tale medicamentũ: caricas præ pingues exemptis corticibus in mortario terito, decimamqꝫ partem medullæ cnici adijcito, uel pro uirium ratione plures, aut pauciores portiones: quæ ubi recte commixta fuerint, dato ad caricarum duarum aut trium magnitudinem. id enim unum præ cunctis maxime obſeruari oportet, ut quoties purgantia medicamenta exhibemus, ſemper citra terminum conſiſtamus: nam ſæpe effrenem purgationem exolutio conſequitur, præterquam quod aluus eo magis deinceps ſiſtetur, quo magis exinanita fuerit. quod ſi ſiſtatur, oleum ſolum calefactum iniicito, ita enim duræ feces madeſcent, lubricitasqꝫ in ductu comparabitur, atqꝫ obiter ſenile corpus molleſcet, quod tanquam arefactum corium obduruerat.

De uictus ratione eorum qui in ocio degunt. Cap. XXXII

VItam ocio tranſigentes ſpectare oportet an conſueuerint priori uita exerceri, an remotis exercitationibus tantum lauari. ſunt enim quidam qui talem

uiuendi morem facile ferunt, ita ut ſi corpus tranſpirabile habuerint, nunq; propterea ægrotent. qui profecto ad aliam conſuetudinem nullo pacto ſunt traducendi, ſicuti neq; ullus quiſpiam qui ſtatuto ſibi certo uiuendi genere quamplurimo tempore ſanus permanſerit. ſi uero aliquis aſſidue ægrotare ſoleat, cauſa in ipſo cōſideranda eſt, nunquid ob plenitudinem, an ob deprauatos ſuccos male habeat. ſi ob plenitudinē ægrotare uideatur, intendemus in tota tuendæ ſanitatis ratione ut humores habeat moderatos: at ſi ob deprauatos ſuccos male affici cōſueuerit, ſtudendum ut optimi humores generentur. plenitudinē uero quidam congerunt, cum ea quæ è corpore excernunt, pauciora ſunt his quæ aſſumunt. ſeruanda ergo proportio erit, eorum, quæ comeduntur ac bibuntur, ad ea quæ educuntur. proportio dignoſcetur perſpecta utrorumq; quantitate, oblatorum inquam & excretorum. qui enim in præcedenti uita ſtatim ante exercitia balneum ingredi conſueuerant, his moderata frictio adhibenda eſt, leuiſq; deambulatio imperanda. qui uero ante balneum exerceri ſoliti fuerant, ſicut conſuetum eorum exercitium quadantenus adaugebimus, ita ab eorū cibis quidpiam in quantitate & qualitate auferemus, & ad mediocritatem ducemus: qualitatem intelligo ſicut porcinarū carnium, hæ enim boni ſucci copiam uelociſſime congerunt. ad olera igitur tranſeundum & piſces, & aues, quæcunq; multi nutrimenti non fuerint. ad eos autem qui uitioſos aggregant ſuccos, non una intentio eſt, quando nec una ſit malorum ſuccorum forma. quidam enim eos frigidiores magiſq; pituitoſos colligunt, quidam calidiores bilioſioreſq;, alij magis melancholicos. fugiendum igitur quodcunq; ciborum potionumq; genus, quod peculiarem ſinguli cuiuſq; humorem generare facile poſſit. de his autem exacte dictum eſt eo ſecundi libri loco, ubi de cibis boni maliq; ſucci tractauimus, ubi pariter egimus de attenuantibus edulijs, quæ utilia ſunt his qui crudum humorem aggregare conſueuerūt. qui craſſus quidem ac frigidus ſemper exiſtit, non tamen uiſcidus ſemper. in his omnibus commune præſidium uentris ſubductio, & præſertim quibuſcunq; aluus natura durior ſit, commune etiam eſt ueneris moderatus uſus.

De macie inducenda Cap. XXXIII

NImiam carnis molem quæ corpus onerauerit, auferre & tabefacere oportet: cum uero à calidiori temperatura gracilitas comparetur, ad eam obeſos homines dirigemus, quos ad mediocritatē ducturi ſumus: quod quidem ualidis exercitijs, cibiſq; attenuantibus & medicamentis acrioribus & animi anxietatibus fieri conſtat. Attenuans quidem uictus ratio iam nota eſt: medicamenta uero ad id efficacia ſunt ueluti rutæ ſemen, præſertim agreſtis ſimul cum corymbis, ariſtolochia rotunda, centaurīū minus, gentiana, polium & quæcunq; ualidius urinam ciere poſſunt, quemadmodum petroſelinum. unumquodq; enim iſtorum, & priuatim & cū alijs mixtum uniuerſos humores attenuat. idem poteſt ſal ab exuſtis uiperis, theriaca uero præter attenuationem etiam diſcutit. oleum præterea illinitur in quo ſylueſtris cucumeris, altheæ, gentianæ, panaceæ, ariſtolochiæ radices aut polium uel centauriū decocta ſint. cibiq; nō ſtatim poſt balnea offerendi ſunt, ſed prius adhibenda quies & aliquod ex conſuetis negocijs obeundum, rurſuſq; ad balneum ducendi, balneumq; eligendum quod diſcutiendi uires habeat ſeu naturales, ſeu mixtione floris ſalis cū marina aqua comparatas. deinde edulia molis quidem multæ, pauci uero nutrimenti exhibenda, ut corpus repleri quidē poſſit, ſed parum ali. talia ſunt olera, & panes ſordidiores cæteraq; huiuſmodi quæ in libro ſecundo docuimus. uinū eligatur colore album, ſubſtantia tenue, quod neq; ante cibum, neq; multum bibatur: alimenti uero quantitatem minorem eſſe oportet quàm exercitij ratio requirat. Ad idem arida frictio cum aſperiore ſtrigile uel

cum

cum nitro & modico ſale efficaciſſima eſt. illud aduertendum plurimo quidem nitro in balneis maciem induci, pauco uero corpus ad trahendum nutrimentum excitari. facit & ad pinguedinem abolendam longa inſolatio: nec minus hoc medicamentum potum mirifice attenuabit, petroſelini unc. iiij. piperis unc. ij. aniſi unc. ſ. poteſt & urinam ciere, & aluum ducere.

Quomodo macrefacti renutriendi. Cap. XXXIIII

MAcies interdum contingit ob totius corporis intemperiem, frigiditate & ſiccitate excedentem: interdum q̄ diſtribuendi uel nutriendi uis, aut utraq; ſimul affecta, & languida ſit: ſed quacunq; cauſa euenerit, edulia boni ſucci, ſuaues exercitationes, mollesq; frictiones ſunt adhibendæ, ac prorſus omnia his aduerſantia, quæ ſupra de pinguibus diximus. pix etiā aliquot diebus illinenda, id enim præſidij genus ſumme ad diſtributionē, nutritionemq; facit, multosq; graciles uidere eſt, ob picem illitam pinguefactos, eos tamen præcipue, quibus diſtribuendi uis imbecillis fuerat. nutriendi etiam facultatem iuuat, quæ non propria imbecillitate ſed nutrimenti ad ipſam delati paucitate non alat. quod ſi ieiuni lauentur, ante lotionem uſq; ad ruborem fricandi ſunt: lotis deinceps mollior frictio adhibenda eſt, ne cutim adſtringendo denſiorē duriorēq; reddamus. hi uero qui decolorati ſunt, neq; nutriuntur, ira excitandi, atq; animi affectus commouendi.

Quomodo quis extenuatum membrum emendet. Cap. XXXV

VBi uero in quibuſdam membris plurima macies ob diuturnam quietē euenerit, uel ob ligandi modum quo in fracturis uti conſueuimus, robur membro reſtituere oportet, ſanguinisq; abundantiam attrahere, ac frictionibus uti moderatis, & congruis motibus membrum exercere. temperataq; calidæ aquæ aſperſione fouere, quæ omnia poſt cibum peragenda ſunt, quouſq; membrum cum rubore intumuerit. tunc ſtatim ab aſperſione ceſſandum. utendum etiam picatis medicamentis de quibus in precedenti libro meminimus. ubi uero frigiditatis ſenſus attenuatum membrum obſederit, ſyndone fricare oportet, & medicamento calido uti, thapſiamq; uel cum melle uel in cerato apponere.

De laſſitudinibus quæ ob exercitia uel peregrinationes eueniunt. Cap. XXXVI

LAſſitudinū primæ ac ſimplices differentiæ tres: quædam enim ulceris, quædam tenſionis, quædam inflammationis ſenſum infert, ac præter has quarta quoq; ob nimiam muſculorum ſiccitatem contingens, quam nomine abutentes laſſitudinem appellant, quæ tamen proprie nō laſſitudo ſed ariditas eſt.

De laſſitudine ulceris ſenſum inferente. Cap. XXXVII

LAſſitudo igitur ulceris ſenſum afferens ob tenuia acria mordaciaq; excremēta cōtingit: neq; enim hic plenitudo eſt quæ lædat ſed humorum acrimonia, quod in ualidioribus exercitijs, robuſtiſſimisq; motionibus duobus modis contingit. uel enim craſſiora excrementa funduntur, attenuanturq;, neq; omnia excerni poſſunt: uel partes carnis & adipis nimio motu colliqueſcunt. hi ergo liquores cū tenues acresq; ſint, neceſſario carnem cutimq; ſtimulant, ac tanquam ulcerant, ut horrorem interdum rigoremq; inducant, quando nimis acres ſimul & multi fuerint. tumor tamē in dolentibus membris, nequaquam uiſu deprehenditur. contingit hoc laſſitudinis genus præcipue ijs qui deprauatis ſuccis excrementisq; redundant: poſt recentes etiam cruditates corripit eos, qui uel minus exercētur, uel plus æquo morantur in ſole. ſed & abſq; cruditate in corpore boni ſucci euenire poteſt, ſi immoderato exercitio defatiget. in his cutis apparet denſa & horrida, obſidetq;

dolor uelut ulceris interdum cutim tantum, interdum & carnes ipſas. curatio diſpoſitioni oppoſita eſt, per halitum enim digerenda ſunt excrementa, & affectus ceſſabit. digerentur uero multa ſuauiq; frictione cum dulciſſimo oleo quod nihil adſtrictionis habeat, quale ſabinum eſt. inimiciſſimum his omphacinum. Primo igitur die abundanti oleo & multa frictione utendum, quo hucuſq; laſſitudinis ſenſus non inceſſerit. Secundo autem cum iam aduenerit, moderato exercitio & congrua frictione amouendus eſt, plurimis ad id ſimul miniſtris adhibitis, ne proximæ ſubinde partes frigeſcant, & ut citius diſcutiantur excrementa. conſueuit laſſitudo iſta ad quartam uſq; diem plerunq; extendi. quarta igitur lauentur, & ſolito cibo nutriantur, ſicut præcedentibus diebus cibi contractiores humidioresq; & minime uiſcoſi ſunt offerendi, balneumq; non excedat in caliditate temperamentum. relaxare enim & diſcutere corpus intendimus.

De laſſitudine tenſionis ſenſum inferente. Cap. XXXVIII

LAſſitudo tenſionem inferens excrementum quidem ratione dignum membris annexum nō habet, ſed muſculi neruiq; ob uehementes extenſiones affi ciuntur, quas exercitia inuexere. in his enim contingit rectas muſculorum fibras defatigari extendiq; ut propè ad conuulſionē deueniant. id laſſitudinis genus præcipue inuadit homines, qui boni ſucci ſunt, nō quidem ualidis exercitijs defeſſos, imò magis remiſſis, redditq; laſſos inſigniter tardos, & ad flectendos artus difficiles. horrorem tamen nō inducit ueluti laſſitudo ulceris ſenſum afferens, quamuis in hac non minus quàm in ulcerante & arida laſſitudine corpus contrahatur, calidiusq; quàm poſtulet natura, tangentibus offeratur. curatio extenſorum membrorum relaxatio eſt. conuenit igitur frictio ſuauis, quæ cum dulciſſimo oleo tepido fiat, ociumq; omnino & quies adhibenda eſt, & balnea temperatiſſima mediocrē caliditatem non excedentia: plurimaq; in calido lauacro mora trahenda, ita ut uel bis ſingulis diebus lauari mirum in modum conferat. lotos uero, antequam induantur, inungere oportet: & ſi ſudauerint, detergendi, rùrſusq; inungendi ſunt. poſtridie ubi à lecto ſurrexerint, deterſis ſordibus & aluo ſubducta, oleo ſubtepido iterum inungendi erunt & ſuauiter fricandi, parcusq; cibus offerendus, qui boni ſucci non ſine lentore fuerit.

De inflammante & ad oſſa attingente laſſitudine. Cap. XXXIX

TErtia ſanè laſſitudo eſt in qua membra ueluti infringi inflammariq; uidētur. ſolet hæc euenire ubi in motionibus uehementiſſimis muſculi excalfacti ad ſe attrahūt ſoluta excrementa: ſolūq; id laſſitudinis genus muſculos eleuat, ſupra id quod naturæ conuenit, ut inflammationi aſſimiletur affectus: propterea ſi tangantur dolent, calidioresq; apparent, magis tamen dolent, ſi ad motum cogantur. quod ſi in profundo ad chordas uſq; & neruos affectio inſederit, oſtocopos, id eſt, oſſium laſſitudo appellatur, quæ plerunq; accidit his, qui exercitijs non aſſueuerint. curatio ueluti reliqua inflammata tres intentiones habet, excrementorum eductionem, extenſi membri remiſſionem, & accenſi refrigerationem. ſuaues ergo frictiones cum oleo dulci & tepido, copioſaq; temperatarum aquarum balnea id laſſitudinis genus ſanare poſſunt: & ſi balneorum aqua paulo tepidior fuerit, magis conferet. plurimum quoq; ocium, unctiones aſſiduæ, cibi boni ſucci, parcioresq; ac nihil lentoris habentes adhibeantur.

De laſſitudine quæ ob ſiccitatem maciemq; contingit. Cap. XL

ALia uero quarta affectio eſt laſſitudini ſimilis, cū tamen laſſitudo non ſit, ueluti quæ neq; ulcerantis neq; tendentis neq; inflammantis ſpeciem gerat, imò neq; horrorem, neq; dolorem, neq; pigras motiones afferat, ſicut laſſitudines facere conſueuerūt, ſed macies tantum ſimul cum ariditate acquiratur. hęc igitur animoſos

animoſos plurimiſq; exercitationibus deditos præcipue uexare ſolet, quãdo plus æquo exercitati perperã deinceps recurantur: ita enim diſcutiuntur excrementa, & relaxantur intenſæ partes, & nihil aliud in corpore præter ariditatẽ relinquitur, quæ nimia motione comparata eſt. ergo additione repletioneq; eius quod exinanitum fuit, diſpoſitionem corrigi oportet: id autẽ fieri nequit, ſi raritas cutis permanſerit. cogenda igitur denſanda ſtipandaq; cutis eſt. cogit adſtringitq; & gelida & feruens aqua, à gelida tamen periclitatur homo ne ob nimium exercitium rara & uacua exiſtente cuti, confertim penetret frigus infeſtum: à feruida ſine ullo periculo tuta denſitas cuti acquiritur, imbibenti obiter quidpiam impreſſi caloris. a qua ergo feruentior eligenda eſt, à qua deinceps in frigidam repente tranſilire oportet: ita enim cum calore robur perſiſtet, minuſq; interea pariens per halitum exoluetur, atq; ad carnes cutimq; nutrimentum recipiet, quo bonum uniius haud facile inuenies. cauendum tamen ne in frigida multum moretur, alioqui utilitas à feruida lotione comparata delebitur. hoc igitur modo lotus cibum liquidum, boniq; ſucci capiet, deinde pauca ſimul lenta, & molli frictione recurabitur, calidaq; rurſus lauabitur, idem pluribus diebus repetendo.

De laſſitudine ob concubitum. Cap. XLI

VSum ueneris immoderatum uirium imbecillitas cõſequi ſolet, ac præcipue in debilioribus natura corporibus: nimia enim motione rareſcit cutis, plurimaq; per halitum inanitio fit, propterea ſiccitas imò & frigiditas quandoq; ſuccedit. nam parta raritate calidũ euaporat, & innata humiditas à plurimo ſudore exhauritur. adhibenda igitur ſunt quæ cutim adſtringãt, & firment, è quibus eſt etiam moderatum exercitium, & aquę feruidæ ingreſſus, ocium q;, & uberes ſomni, cibiq; multitudine parciores, qualitate humidiores, & temperate calidi, ut ſimul & laudabilis calor acquiratur, & ſiccitas laſſitudinis corrigatur.

De ſpontanea laſſitudine Cap. XLII

DIximus de laſſitudinibus quæ poſt exercitia & peregrinationes eueniunt, nunc de ſpontaneis tractabimus, quæ abſq; uehementi motione cõtingunt. tales enim morbos portendunt, ut Hippocrati quoq; uidetur. ſpontaneæ, inquit, laſſitudines morbos denunciant, ſuntq; harum pariter differentiæ tres, quæ ulceris, quæ tenſionis, quæ inflammationis ſenſum afferant.

De ſpontanea laſſitudine quæ ulceris ſenſum affert. Cap. XLIII

SPontanea igitur laſſitudo ulceris ſenſum afferens ob acrium, ſubtilium, calidorumq; humorũ malitiam ſenſim inuectam generatur, ita ut erodantur ſtimulentur pungantur q; partes, quæ ſentiunt. ac donec quidẽ ſuccus is malus in uenis ſanguini mixtus fuerit, tantiſper uirtute ſanguinis uictus latet: ubi uero ad carnes cutimq; defertur, & mora impingitur, ulceris affectũ & ſenſum inducit, tũcq; potiſſimum membra imbecillitas obſidet, ubi ad motum ſe conferant. conſiderandum ergo in his, utrum in cuti an ſub proxima carne, an uero in ſanguine intra uenarum concauitates, malus ſuccus recludatur. habebis ſingulorum indicia ex urinis, ex cutis mordicatione, ex ſudoribus. quando enim in urinis humorum malitia appareat & morſionis ſenſus cutim infeſtet & ſudores emanent guſtu & colore extranei, conſtat deprauatos ſuccos nõ tantum in uenis cum ſanguine, ſed in cuti quoq; & muſculis contineri. ubi ergo malorum ſuccorum ſubobſcuras notiones deprehenderis, ieiunium homini tota die imperandum, quies & ſomni perſuadendi: deinde ueſpere pingui aliquo ungendus, & aqua calida temperatiſſima lauandus, cibus boni ſucci, & ſorbitiones parce exhibendæ, neq; tamen uinũ prohibebimus: uino enim haud facile quidpiam conferas, quod æque ſemicoctos humores conficiat, ac ſudores, urinaſq; prouocet, & ſomnum conciliet. his remedijs ſi affe-

ſi affectus deſierit paulatim homo ad conſueta ducendus eſt: at ſi ſequenti nocte proximaq; die perſeueret, aut etiam augeatur, iam fortiora prę ſidia ſpectare oportet. in his enim ualida exiſtente uirtute duorum alterum faciendū, aut uena ſecanda, aut purgatio exhibenda, utrum eligas diſtinctionibus quas infra docebo perpendendum. quod ſi uirtus imbecillis ſit, à ſectione uenę omnino abſtinendū, purgatio uero uel parca, uel nulla admouenda eſt. at ſi cum uirtutis robore ſanguinis multitudo affuerit, uenam ſecato, aut ſolitas excretiones, ſi quæ forte detentę ſint prouocato, ueluti hæmorrhoides, aut in mulieribus menſes. ſola uero exiſtente humorum malitia, abſq; ſanguinis multitudine, ad congruam exuberantium humorum purgationem deueniendū: quandoq; enim aut amara bilis aut nigra, aut pituita ſalſa, aut acida, aut ſeroſæ humiditates infeſtant. ſi ergo ocioſius degerit homo, ciboſq; craſſioris ſucci ingeſſerit hyeme præſertim magis pituitoſus aggregabitur ſuccus. at ſi in laboribus cibiſq; acrioribus in æſtate uerſatus ſit, bilis amara cōgeritur: autumno uero & opſonijs eiuſdem generis & diuturnis laboribus ſuccus melancholicus comparabitur. indicia ſingulorum ſumenda à corporis colore, ab egeſtionibus, urinis, ſudoribus, ſiti, ciborum deſiderio. ubi ergo ſanguis dominetur, & uires adſint, uenam ſecabis: ubi malus ſuccus, eum cōgrue purgabis. poſt uenæ ſectionem, aut purgationem, patiens nutriendus eſt edulijs boni ſucci, quæ aliqua detergendi ui polleant, neq; lentorem aut craſſitiem habeant, aut plurimi ſint nutrimenti, qualis potiſſimum ptiſana eſt: balneis etiam temperatiſſimis utendum, & unctione & frictione moderata, reliquaq; uiuendi ratio & diligentia talis adhibenda, qualem in laſſitudine ab exercitijs prædiximus. at ſi inutilis quidē ſanguis modicus fuerit, humores uero crudi permulti cum uirtute imbecilla, neq; uena ſecanda, neq; purgandum, neq; exercendum, ſed neq; omnino mouendum, neque lauandum: nam uenæ ſectio utilem quidem ſanguinem educit, uitioſum autem qui in magnis hepatis uenis & in meſaraicis collectus eſt, in corpus uniuerſum trahit: purgatio autem tormina & morſiones, & uehemens animi deliquium inducit, præterquam quod nihil ratione dignū euacuat. omnes enim crudi humores ob craſſitiem & frigiditatē pigri ac motu difficiles ſunt, ita ut uniuerſas uiarū anguſtias obſtruant, per quas euacuandus in purgationibus humor ad uentrē deferri oportet: propterea neq; ipſi excernunt, neq; alijs tranſeūdi poteſtatē permittunt. hac eadē cauſa neq; exercere neq; omnino mouere neq; lauare oportet: omnes eñ huiuſcemodi motiones in totū corpus humores deuehūt, & anguſtos meatus obturāt. ergo huiuſmodi homines in ocio ſeruādi ſunt, cibiq;, & potus, & medicinæ exhibendæ, quæ humorū craſſitiē abſq; inſigni calore attenuent, atq; incidant: nam humores plus æquo calefacti in corpus conſerctim promeant, dandūq; illis oxymeli ſed ptiſana præcipue, interdum etiam melicratum: ſi qui enim alij tolerant, iſti potiſſimum tenuem uictus rationem ob inſiſtentem crudorum humorum multitudinem tolerabunt. at quoniam hypochondrium his omnibus attollitur intumeſcitq;, & facile quodcūq; obtuleris ſpiritu opplet, præſtat cibarijs paululum piperis pręcipue longi adijcere, & medicamentum dioſpoliticon exhibere. porro utiliſſimum oxymeli eſt, quod ex melle tantum & optimo aceto conficitur, ut ſint mellis quidem deſpumati partes duæ, aceti uero pars una, pauloq; plus, aut minus. omnino enim ſatius eſt, ut non noſtro ſed eorum qui ſumpturi ſunt, guſtu temperies iudicetur. quod enim iucundum eſt, naturæ idem familiariſſimum, & hac ratione utiliſſimum: cōtra infeſtiſſimum, quicquid ingratius ſumitur. confert ijſdem apomeli præſertim quod in acorem tranſierit: ubi autem quadantenus humores attenuati ſint, etiam uinum ſubtile & album moderate exhibendum, & in apomelite, aut oxymelite hyſſopus aut puleium decoquendū, obſonijsq; utendū

abſq; uehementi calore attenuantibus,ueluti capparis,oxymelite,aut oleo & aceto condita.at ubi omnia bene habere exacte dignoueris, tunc ad cõſuetam uictus rationem paulatim ducendi ſunt, moderataq; exercitia & lotiones, unctionesq; imperandæ. præſtantiſſimũ uero unguentum illud eſt, quod acopon dielatas hoc eſt ex abiete appellant, & quod diægiru hoc eſt è populo nigra, quorum confe/ctiones inter acopa enumerabimus. conuenit etiam illis oleum chamæmalinum, anethinum & in hyeme ſampſucinum.ſampſucus autem in diplomate decoquenda eſt.ſimili modo & libanotis confert, & ſi hæc defuerit, cucumeris agreſtis, aut altheæ,aut uitis albę,aut betę radices in oleo decoquantur,uehementer enim diſ/cutiunt.

De ſpontanea laſſitudine extenſiua. Cap. XLIIII

TEnſionis laſſitudo ſpontanea cum abſque exercitijs aliaue motione contige/rit humorum multitudinem indicat, qui nimia copia ſolida animalis mem/bra, ſed præcipue muſculorum fibras extendunt. ulceris ſenſus in hac laſſitudine nõ percipitur,neq; partis cuiuſpiam tumor tactu aut uiſu deprehenditur, ſed grauitas tantũ cum extenſione infeſtat, quoniam in corpore ſolus ſanguis abundat, optimum ergo præſidium eſt è cubito aut malleolo ſanguinem mittere, deinde toto corpore exinanito ad remiſſionem tenſarum partium pergere oportet, adhibi/tis unctionibus,molli frictione,quiete,ocio, balneis temperatis, cibis immordaci/bus nõ omnino abſterſione carentibus, qualis ptiſana eſt,apomeli,& huiuſmodi: utq; ſummatim dicam, eadem utendum curatione, quam in laſſitudine tenſionis ab exercitijs docuimus.

De ſpontanea laſſitudine inflammationis ſenſum inferente. Cap. XLV

INflammationis laſſitudo quando abſq; motione aliqua ſponte euenerit ob do/loris uehementiam,& ob inſignem inflammatarum partium ardorem, muſcu/los in tumorem attollens, nondum duorum trium'ue dierum ſpacio ſed ne horis quidem tribus tolerat,quin repente ardentiſſima febris ſuperueniat niſi ſanguinis miſſione preueniatur.calidiſſimus enim eſt harum laſſitudinum ſanguis,ideo omnibus prope qui ab eis occupantur copioſiſſime detrahendus eſt, præcipue cum pleriq; ipſorum febriant. nõ igitur tardare neq; parce detrahere oportet,ſed protinus uſq; ad animi deliquium euacuare, niſi forte maius quodpiam impediuerit: tutius tamen eodem die iterare,ita ut primo citra animi deliquium inanitio fiat,ſecundo iam animi deliquium uerendũ non eſt.qui uero hoc uitio detenti uenæ ſe/ctioni pepercerint, uel ſponte uel aliquo euentu ſanguinem eijciendo bona certe fortuna ad ſalutem indigent,ſecus enim non reualeſcunt.ſi igitur caput ac collum dolores magis obſederint,uena quæ humeralis uocatur ſecanda eſt;ſin contra thorax,dorſum,& lumbi doleant, interiorem uenam incidito, ſi totum æqualiter cor/pus,mediam. At ſi poſt uenæ ſectionem febris perſeueret, curatio adhibenda eſt, quam libro de febribus explicabimus:ſi abſq; febre ſint,prima die poſt ſanguinis miſſionem ptiſanæ cremorem,aut alicæ dato,atq; idem in ſecunda efficies. q; ſi in tertia quoq; ſine febre permanſerint, iam tuto ad balneum duces plurimoq; oleo inunges, poſt balneum tamẽ cibum adhuc parciſſimum offeres, ueluti lactucam: quæ ſi defuerit,cucurbitam,aut chondrum,alicæ uel ptiſanæ more decoctum,aut betam,aut maluam, aut attriplicem præbebis,è piſcibus uero ſaxatiles, & oniſcũ, in albo iure probe elixatum.utimur quoq; potu aquę,calidæ inquam non frigidę: poſt tertiam rebus ſe cõmode habentibus, modico iam uino ſubtili & albo potio aſpergenda eſt,reliquaq; pro ratione reparanda uictu calido boniq; ſucci utendo.

Quotuplici curatione ad algores utendum. Cap. XLVI.

DVplex eſt in algore curandi modus, aut enim futurum præcauere oportet, aut propulſare iam factum. ne igitur algore occupentur, qui frigido aeri occurſuri ſunt, neq; prius cibum cæpiſſe, neq; euomuiſſe, neq; non concoxiſſe, uel laboraſſe, crapulatosq; eſſe oportet: algor enim ciborum cruditati ſuperueniens morbos generat, nec minus tamen fameſcentes lædit, eorum neruos nudos propè & propria etiam materia priuatos inuadens. aduerſus ergo frigidi aeris nocumenta totum corpus nardino unguento, aut gleucino tuendū eſt, palmæq; pedum cerato ex laurino oleo confecto illinendæ, aut ipſius lauri baccæ contritæ in cerato aſſumendæ. antiquorum quidam ad huiuſmodi noxas ſuccum cyrenaicum deuorandum præbebànt. poſt receſſum ab aere frigido non oportet ſtatum lotiones admittere, ſed in tepidiori loco prius deambulare, poſtea ad balneum proficiſci, plurimumq; ſub càlido aere morari. deficiente balneo prope ignem corpus inungendum & proprijs alienisq; manibus accuratius perfricandum, inde cibi offerendi àctu & poteſtate calidi, uinum neq; ſatis antiquum neq; adſtringens exhibendū: tale enim lædit neruoſas partes, quæ iam ab algore affectæ ſunt, præſertim ueſicā, & renes. reliqua uero frigiditas quæ deinceps permanſerit, balneis & linimentis, ſimiliq; uictus ratione curatur, & acopis quæ ex gleucino oleo, & amaracino, cæterisq; huiuſcemodi conficiuntur.

Cutis denſatæ curatio ex Galeno. Cap. XLVII

Densat. cut. balnea aluminosa

DEnſatur quandoq; cutis ob ualidum frigus, balneaq; aluminoſa & reliqua huiuſmodi, quandoq; etiam poſt balneum, aut ſudores, aut quidpiam ſimile cutis rareſit ac deinde refrigeſcens denſatur. deprehenditur affectio, colore candidiore quàm naturæ conueniat, duritie, ipſiusq; cutis denſitate, & quod inter exercendum uix caleſiant: neq; enim ſudant, neq; colorantur. ſi uero uehementer deſatigati, & immodico exercitio coacti ſudauerint, pauciſſimus frigidusq; ſudor exprimitur. horū curatio calefactione eſt, & cutis rarefactione perficitur. utendum ergo exercitijs balneisq; calidioribus, atque in primo balnei domicilio diutiſſime immorari expedit inungiq; quopiam ex oleis mollientibus, quale dulciſſimum eſt duorum trium'ue annorum ætatem attingens, plurimumq; lauari in temperatiſſimarum aquarum balneis, cauereq; maxime à frigidis. ante balneum uero ſemper quopiam oleo inungendi ſunt quod moderate calefaciat, ut anethino & ricinino, uel aliquo unguento, ut gleucino, ſuſino, & irino: cibis etiam temperatis utendum qui nihil habeant tenacitatis.

Quomodo inuſtio curanda ex Herodoto. Cap. XLVIII

QVemadmodū algor fameſcentes magis offendit, ita inuſtio repletos, propterea æſtiuo ſoli occurſuros ſatietatē & acres cibos & uini copiam uitare oportet, priusq; fluuialium aquarū lauacris edulijsq; humectantibus corpus munire: obſeruandumq; diutius ſub ſole moraturis ut caput leniori aliquo indumēto tueatur, aut folijs uitis, aut myrthi, aut polygoni. ubi uero ſitis uehemens obtigerit, non repente frigidus potus hauriendus: inde enim ſæpiſſime hydropica moles ſubſequitur, nec raro in exardentes pulmones frigida repente occurrens tuſſim & deſtillationes, interdū & tabem inuexit. præſtat igitur prius frigida faciem manusq; ac pedes lauare, inde os abluendo paulatim atque ex interuallis ſorbere. at ubi iam à ſole receſſerint, calida aqua temperata lauandi ſunt, ſinendiq; ut in frigida natent. quod ſi balneum nō adſit, oleo aquæ mixto, aut roſaceo cū aqua totum corpus perfundatur, & mollioribus manibus quàm plurimum fricetur: deinde in frigidam ſaliant, ſi tamen illi aſſueuerint. ſed ſi nihil horum habueris, plurima ſaltem aqua circunfundenda eſt. his peractis potio quidē ſit aqua: cibi uero, lactuca,

ſeris

ſeris, cucumeres, cucurbita, uinumq́; ubi exhiberi oporteat, ſolito dilutius, opſonia, piſces delicatiores ſint, altilesq́; gallinæ, à concubituq́; omnino abſtinendum eſt. capite autem uehementer inflammato, ſtomachoq́; exardente, ut alba glutinoſa & quæ uix excerni poſſit ſaliua reddatur, reliquumq́; corpus ueluti reſolutum ſegniter langueat, caput quidem roſaceo irrigandum, aut roſarū ſucco, cum oleo omphacino, aut ſucco polygoni, aut capreolorum uitis, aut ſeridis, aut alicuius huiuſmodi: totum uero corpus oleo aquæ mixto, aut roſaceo cum aqua conſpergendum, ac ſtomacho linteolum delicatius apponendum, uino & oleo madefactum, aut ceratum roſatum, quod abſinthium habeat, uel portulacam. optimum etiam quandoq; abſinthij decoctum potare ad detergenda bilioſa acriaq; excrementa quæ in uentre collecta fuerint: confert quoq; ſi olei roſacei cyathum propinaueris

De frictione matutina, ex Galeno. Cap. XLIX

MAtutinam frictionem adhibemus poſt ſuperfluitatum excretionem, inſigniter quidem mollem, his qui plus æquo arefacti ſunt, aut his quibus nimio frigore, frigida ue lotione cutis denſata ſit, aut his qui laſſitudinis ſenſu læduntur. in cutis denſitate emendanda frictioni olei copiam adijcimus, peculiariterq́; ad eam quæ ob frigus euenerit, ſiccis primo atq; aſperis frictionibus utimur, poſtea mollibus, quæ cum oleo calido fiunt. at ubi cuti raritas obtigerit nimio balneorum uel frictionum uel ueneris uſu, aridas primo frictiones deinde adſtringentis olei illitionem parciſſime adhibebimus: humiditatibus uero quæ nimio potu acquiruntur, aridæ frictiones cum ſyndone medebuntur reiecto omni pingui, niſi quippiam ſit eorum quæ diſcutiunt.

De ueſpertina frictione. Cap. L

VEſpertina frictio laſſitudine affectis, aut arefactis aut his qui non aluntur adhiberi ſolet. parciſſime ab iſtis prandendum eſt, cœneq́; tempus diutius prorogandum, ocioſeq́; interim maxima ex parte degendū, uel molliter deambulandum. quibus peractis, ſi aluus ſubducatur tuto iam frictio admouebitur, quæ cum oleo calido uentre prorſus intacto fiat: uentris enim frictione periculum imminet, ne cibus deterius concoquatur, parsq́; eius aliqua ſemicocta diſtribuatur, atq; inde caput conturbetur, & ſtomachus euertatur. propterea nardino unguento uenter abſq; frictione rigandus eſt.

De cruditate. Cap. LI

QVot modis cruditas fiat & quàm uarie nocumentis reſiſtendū, quæ ex illa corpori eueniunt, loco de uentris affectibus poſtea declarabitur: nunc uero dicendum quomodo eius accidentia quę magis urgent corrigere oporteat. eructatione igitur ingrata perſeuerante, grauitateq́; circa hypochondrium exiſtente, atque cum moleſtia quadam in uniuerſum corpus emanante, uomitus retardandus non eſt, ſed tepida quamplurima epota, ad cibi excretionem patiens omnino cogendus. ſi enim non excernitur, tormina, & dolores, & capitis grauitas ſępe etiam deſtillatio, ac febris, ſubſequuntur. quod ſi quis natura difficulter uomat, aut aliqua occaſione interdicatur uomitus, omni conatu laboret ut nutrimentum egeratur, utq́; ab hypochondrijs commodius ſecedat, quàm maxime arduo decubitu iaceat, id enim coctioni ſi quid aliud maxime prodeſt. quod ſi quis ob oneris moleſtiam peruigil ſomnum non aſſequatur, ſeruato iugiter eodem decumbendi ſitu immotus permaneat: aſſiduę enim uolutationes flatum generant, & flatus ſuſpendit materiam. ſi uero perſeueret accidens, dandum oxyporium ad concoctionē quod ex citonijs malis conficitur, quantum eſt cochleare unum. quod ſi cōſuetudo quædam affuerit frigidam potandi, urgeatq́; ſitis uehementia, puriſſimæ aquæ frigidę heminam exhaurire non nocet: os enim ſtomachi repente excitatum depellit ea

quæ ſunt in uentriculo. nardino etiam unguento uenter illinendus eſt, omnesq́ hypochondriorum partes ſouendæ, extremaq́ attrectanda. ſubducta aluo ad deambulationem proficiſci oportet, atq́ incitate progredi, excutiendorum uaporũ gratia qui ob cruditatem caput obſederant. his peractis ad actiones uitæ conſuetas pergendum, inde balneum petendum, oleoq́ dulci corpus inungendũ, ciboq́ utendũ moderato, & qui facile tranſeat, addendo quidpiam ex his quæ ſtomacho conferunt, quales ſunt echini & cancri, ex oleribus uero beta, & malua, concedendæ, uinumq́ paucum quidem ſed calidius exhibendum. acria omnia & bellaria, & quæcunq́ ex melle conficiuntur, fructusq́ prædulces uitare oportet: talia enim cuncta difficulter diſtribuuntur. poſtremo mites ſomni prouocandi ſunt.

De crapula. Cap. LII

CRuditates quoq́ ob uinum contingentes quas crapulas uocant, eodem propè modo curantur: ad uomitum enim cogendus patiens, uel ab aqua calida uel ſola immiſſione digiti, imperandumq́ ut lecto decumbat, & ſomno turbulentiam ſedet. ſi quis uero frigidæ potioni aſſuetus fuerit, aut in in ſtomacho & uentre ardorem percipiat, duos aut tres frigidæ puræ cyathos ex interuallis ſorbendos dato. anxietate reſidente cibi exhibendi melioris ſucci, & qui magis refrigerent, uinumq́ ſubtile & album parciſſime concedendum, ſitq́ dilutior potus. his quoq́ optimum eſt uinum abſinthite poſt balneum bibere.

De æqualibus intemperaturis quæ ſimplices ſint non mixtæ ueluti ex calido, & humido. Cap. LIII

CVm explicauerimus quomodo à prima ſtatim ætate uſq́ ad ſenectutẽ conſeruandus ſit is qui optimæ fuerit compoſituræ, tranſeundum modo ad eos qui ſtatim ab initio morboſam corporis ſtructuram ſortiti ſunt: uitioſæ uero compoſitiones genere bifariam diuiduntur: quædã enim primas corporis partes quas ſimilares uocant æqualiter diſtemperatas habent, quædam inæqualiter. æqualiter intelligo, quando ad certam quampiam intemperiẽ uniuerſæ ſimul animalis partes diuerterint, uel frigidiorẽ, uel calidiorem, uel ſicciorem, uel humidiorẽ: uel coniunctim ad calidiorem & ſicciorem ſimul, aut frigidiorem & humidiorem, aut calidiorem & humidiorem, aut frigidiorem & ſicciorem. ſimili modo, & in membrorum inſtrumentaliũ ſtructura, quædam æqualiter, quædam inæqualiter componuntur: ſæpe enim aliquos uidimus uentris quidem frigidi, capitis uero calidi, ſæpe alios ijs oppoſitos, imò & interdum nouimus uentriculum ex accidenti bili aſſidue redundare, qui tamen calidus natura non fuerat, ſicut alium ſæpiſſime algere nõ tamen natura frigidum. eodem modo caput, hepar, lien, reliquaq́ omnia membra ab alterius intemperie ſæpe occupantur, quæ aliquando proprio cognatoq́ temperamento nihil officiat, cõtra aliquando, quæ obſit. De optima ergo temperatura primo à nobis dicendum eſt, ut recti tanquam exemplar habeas, deinde ad inæquales quoq́ accedendum. iam uero ſæpius declarauimus nullam ſimplicem intemperiem diutius permanere poſſe, ſemper enim aliam ſibiipſi comparem neceſſario adſciſcit. illud præterea ſciendum, quæcunq́ corpora in prima generatione morboſam compoſituram nacta ſunt, nunquam ſenectutem attigiſſe. quod ſi forte attigerint, aliquem certe diuturnum morbum non euaſere. nos autem in hoc libro propoſuimus ita de uitioſis temperaturis agere, ut illud tantum intendamus, quomodo tales quàm diutiſſime in ſanitate ſeruari poſſint. prius uero narranda ſunt omnium temperaturarum indicia, deinde quo modo intemperies corrigi poſſint.

Optimæ temperaturæ dignotio. Cap. LIIII

TEmperatiſſimus homo eſt qui inter omnia extrema mediocris appareat, gracilitatem inquam & craſſitiem, mollitiem, & duritiem, caliditatem, & frigiditatem

tatem, humiditatem, & ſiccitatem, atq; ut compendio dicam qui actiones omnes animales & naturales inculpatas habeat, ſitq; item medius inter hirtum & glabrū, album & nigrum, capillis in infantia ſubruffis, in uigente ætate magis flauis.

Calidæ temperaturæ indicia. Cap. LV

CAlidiorem plus æquo corporis temperaturam intelligo, quæ neq; humiditate neq; ſiccitate exceſſerit: talem igitur corporis naturam ſtatim ab initio nacti reliquis ſaniores uidentur. dearticulataq; uoce inſonant, canuntq; & uelocius gradiuntur, calorq; illis annorum proportione ſubinde augebitur. in uigore autem manifeſte calidiores apparent, ut à morbis ſymptomatiſq; flauæ bilis facile capiantur: uehemens enim caliditas humorem ſenſim abſumens ſicciorem reddit temperaturam. tales rubicundæ cutis nigriq; capillitij ſunt, in temporis uero progreſſu mediocriter hiſpidi fiunt, ijdem uenas amplas gracilitatemq; corporis habent: quibuſcunq; enim uenæ latiores inerint, ſi præterea pingues fuerint non eſt ea pinguedo naturalis, ſed aliquo euentu acquiſita.

Frigidioris temperaturæ ſigna. Cap. LVI

HOrum corpus tactu frigidum glabrum, & pingue, cutis capillorumq; color ſi modica fuerit frigiditas, ruffior: ſi multa, liuidior & plumbeus. ijdem uenas anguſtas habent. quod ſi cū anguſtis uenis gracilitas corporis coniungatur, ſcito hanc quoq; aduentitiam eſſe, non naturalem.

Siccioris temperaturæ ſigna. Cap. LVII

VIx mobile aridum, à qualibet exiccanti cauſa facile exareſcens corpus iſtorum eſt, præ cæteris enim abſq; carne ſunt & tenuiſſimi.

Durioris habitus ſigna. Cap. LVIII

PRæterquam φ graciles ſunt, magis etiam ſine carne & duri & aſperi tactu apparent: gracilitas uero non naturalibus tantum temperamentis, ſed etiam aduentitijs longa conſuetudine acquiritur.

Humidioris temperaturæ ſigna. Cap. LIX

HVmidior temperatura mediocri in reliquis ſimilis, mollior tantum, ac magis carnoſa, mollities enim ab humido temperamento ſeparari non poteſt, ſed craſſities non ſolum naturalem temperaturam conſequitur uerum etiam longa aſſuetudine comparatur. peculiare quoq; humiditatis eſt, ut facile corpus ab humectantibus ingraueſcat.

Calidæ & humidæ temperaturæ ſigna. Cap. LX

MOllior carnoſiorq; eſt calida, & humida temperatura, quæ ubi plurimū augetur à morbis ob putredinem contingentibus facile occupatur: caliditate uero humiditatem ſuperante, mollities & caro ſimul cum adipe minuuntur, cutisq; ad nigredinem uergit: contrà ubi humiditas caliditati pręſtat, mollities & caro adaugentur, in cuteq; effloreſcit color ex candore ac rubore permixtus, & tactui leuis calor offertur: deniq; in temperaturarū coniugatione ſemper dominantis qualitatis indicia ſuperabunt.

Calidæ ac ſiccæ temperaturæ ſigna. Cap. LXI

HIſpidior calidior graciliorq; eſt quàm calida ſimplex, capilli facile augmentabiles, copioſi, prima ætate nigri, deinceps temperaturam ſequentes, uenæ latæ, arteriæ magnæ, pulſus uehementiſſimi, corpus dearticulatum, muſculoſum, adipe carens, cutis durior, nigriorq;.

Frigidæ humidæq; temperaturæ ſigna. Cap. LXII

THorax horū anguſtus, glaber, ſicut & reliquū corpus, cutis alba & mollis, capilli ſubruffi, præcipue in adoleſcentia, ſenes nō calueſcunt, ijdem plane me-

 ticuloſi

ticuloſi,nihil audentes,ſegnes,latentibus uenis,craſſi, pingues tibijs femoribusq; imbecilles,inarticulati bleſiq; fiunt,frigiditate ulterius addita. color cutis capillorumq; pallidus,quæ ſi adhuc intendatur liueſcit.

Frigidæ & ſiccæ temperaturæ ſigna. Cap. LXIII

QVod ſi frigiditas ſiccitasq; ex æquo augeantur, corpus erit natura dorum candidumq; ſine muſculis,ſine articulis,ſine pilis,tactu frigidũ, paucæ pinguedinis,intra carnem diuulſę,cutis & capillorum color pro frigiditatis menſura: ſæpe uero calido & ſicco temperamento ad frigidum & ſiccum lapſu ætatis decidente,corporeus habitus gracilis, atque aridus fit,quoniam ad bilis atræ naturam accedit,ideo tales nigriores hiſpidioresq; euadunt.quanto uero alterius qualitatis dominantis indicia magis augentur,tanto alterius obſcuriora fiunt.

De capitis dignotione. Cap. LXIIII

CApur paruum quidem uitioſæ cerebri compoſituræ ſignũ peculiare eſt,magnum uero non neceſſario laudabilem indicat. ſi enim magnitudo euenerit quia uirtus robuſta fuerit & quia natura agens plurima utiliq; materia abundauerit,laudabilis nota eſt.diſtinguendũ uero id & à figura, & à propaginibus capitis. à figura,ſi partes habeat cõmenſuratas, & quę ſibi inuicẽ proportiõe reſpondeát, qđ quidem indicium nunq; fallet. à propaginibus ſi nerui optime iaceant habitioresq; ſint,atq; oculi acriter intuentes uniuerſumq; corpus robuſtũ . Capita uero in acutũ tendentia, quibus debita occipitij aut frontis eminentia defecerit, aut plus æquo intumuerit, plerumq; ſicut magna ita etiam uitioſa deprehendimus. interdum tamen quamuis perraro bona quoq; eſſe poterunt, ubi uirtus formatrix robuſta fuerit laudabiliſq; materia non defecerit. qui enim faſtigiato capite ualidaq; ceruice ſunt, fortes eſſe cum reliquis partibus,tum præcipue oſſibus teſtatur Hippocrates.

Signa temperati cerebri. Cap. LXV

CErebrum temperatum actiones animales moderatas habet, neq; excrementis excedit,quæcunq; palato,auribus naribus ue,expurgantur,neque ab extrinſecis qualitatibus,quæ calefaciunt,frigefaciunt, humectant uel exiccant multum afficitur,capilli infantibus ſubruffi, pueris ſubflaui,uigentibus flaui fiunt,inter planos ac criſpos medij, ſed neq; facile calueſcunt.

Calidioris cerebri ſigna. Cap. LXVI

QVod ſi moderato calidius fuerit, rubicũdiora calidioraq; fiũt uniuerſa quæ circa caput conſiſtunt, uenæq; oculorum apparebunt, celerrimeq; orientur capilli.ſi multum quidem calor excedat nigri, plurimi,criſpi, aſperi.ſi parum, ſubruffi primo,deinde nigri.ætatum uero progreſſu caluities aduenit.excrementa palati,narium,oculorũ & aurium pauca concoctaq; ſunt,dum modo adſit ſyncera ſanitas. facillime tamen tales in capitis repletionem incurrunt, ubi uictus rationem neglexerint.ijſdem calida alimenta,potiones,odores,cæteraq; huiuſmodi extrinſeca officiunt,præſertim, ſi non calidum tantum, ſed humidum quoq; cerebrum fuerit.

Frigidioris cerebri ſigna. Cap. LXVII

EXcrementis pluribus ſinguli quiq; meatus abundabunt,capilli plani,ruffi,ortu tardiſſimi,tenues,alimenti impotentes: talesq; à frigidis cauſis facile lęduntur,atq; in ipſo læſionis tempore diſtillationibus præcipue narium uexantur.quę uero circa caput conſiſtunt,neq; tactu calida apparent,neq; rubeſcunt. ſomnolentiores præterea ſunt uenisq; oculorum latentibus.

Sicciôris

Siccioris cerebri ſigna. Cap. LXVIII

EXcrementa ductuum modica, ſenſus exquiſiti, uigiliæ plurimæ, capilli aſperi, celerrime enaſcentes, criſpi, magiſq; recti, caluities præcox.

Humidioris cerebri ſigna. Cap. LXIX

CApilli plani, caluities nulla, ſenſus obtuſi, excrementorum multitudo, ſomni plures, ac profundi.

Calidi & humidi cerebri ſigna. Cap. LXX

VBi humiditas caliditati acceſſerit, ſi utraq; temperamentum modice excedat, color probus, & calidiras adſunt, oculorumq; uenæ magnæ, excrementa plura & moderate concocta, capilli recti & ſubruffi, talesq; haud facile caluefcunt, eorum tamē capita facile replentur, à calidisq; grauantur. ubi uero plurima ſit humiditas morboſum excrementoſumq; his caput eſt, & quod facile ab humidis calidisq; offendatur. auſter illis perpetuo infeſtiſſimus, aquilonijs conſtitutionibus optime degunt. ijdem ubi ſomno ſe dederint, uix excitari poſſunt, ſuntq; ſimul & ad ſopores, & ad uigilias parati. ſomnia eorū imaginationibus redundant; oculi hebetes, ſenſus non exquiſiti. quod ſi qualitatum altera augebitur, eiuſdem ſigna magis dominabuntur.

Calidi & ſicci cerebri ſigna. Cap. LXXI

CArent iſti excrementis, uigilantiſſimiq; ſunt, ſenſus exquiſitos habent ac uelociter caluefcunt. primus in his pilorum ortus citiſſimus eſt, nutritioniq; recipiendæ aptiſſimus, nigro criſpoq; capillitio, caput tactu calidum rubicundumq; uſq; ad uigentem ætatem.

Frigidi & ſicci cerebri ſigna. Cap. LXXII

TAles temperaturæ uenas oculorum latentes habent, & à frigidis cauſis faciliime læduntur oppoſitisq; morbis ſubiectæ ſunt: nam interdum capita leuiſſima percipiuntur, meatusq; excrementis omnino carent, interdum diſtillationibus mucisq; narium à quacunq; leui cauſa facile occupantur. adoleſcentibus exquiſitiſſimi ſinceriſſimiq; ſenſus uniuerſi, qui deinde temporis progreſſu ocyſſime tabeſcunt. utq; ſummatim dicam quantum ad caput attinet, tales omnes citò ſeneſcūt, propterea & extemplo canēt. capilli nuper geniti uix enaſcuntur, uixq; nutriuntur, colore ruffi: frigiditate uero ſiccitatem ſuperante, non caluefcunt, at ſi dominetur ſiccitas confeſtim caluent.

Frigidi & humidi cerebri indicia. Cap. LXXIII

FRigidæ & humidæ cerebri temperaturæ ſomnolentiam ſoporem ſenſusq; obtuſos gignunt, capitaq; excrementoſa frigori ac repletioni parata efficiunt, & quę facile diſtillationibus, mucisq; narium occupentur: tales tamē nō caluefcūt.

Ventriculi ſiccioris indicia. Cap. LXXIIII

DIgnoſcuntur qui ſiccioris uentriculi ſunt ſi facile ſitiant modicoq; potu ſaturentur, uberiori grauentur, fluctusq; percipiant, eo quod ſuperuacuum eſt, fluitante, & ſi epulis gaudeant ſiccioribus.

Calidioris uentriculi ſigna. Cap. LXXV

CAlidior natura uentriculus melius magisq; cōcoquit quæcunq; dura & mutationi renitentia fuerint, gaudetq; edulijs & potionibus calidis, neq; tamen à moderato frigidorum uſu offenditur, calidorum tamen quæ illi extrinſecus occurrunt longum congreſſum non ſuſtinet.

Humidioris uentriculi indicia. Cap. LXXVI

TAles minime ſiticuloſi ſunt, & plurimum humorem ſine moleſtia tolerant, edulijsq; gaudent humidioribus.

Frigidioris uentriculi indicia. Cap. LXXVII

FRigidior natura uenter appetendo quidē idoneus concoquendo uero nō idoneus,ea præſertim alimenta,quæ difficulter conficiuntur, quæq; frigida ſunt, in ipſo ergo facile aceſcunt,propterea acidis eructuationibus ſubiacet. idem gaudet quidem frigidis,eorum tamen uſu immoderato facile offenditur,ita & frigidorum quæ extrinſecus incidunt plurimum congreſſum non patitur.

Communia intemperati uentriculi ſigna. Cap. LXXVIII

INtemperies tamen quæ ob morbos uentriculo eueniunt ab innatis eo differūt, φ illæ quidem res oppoſitas,innatæ uero ſibi ſimiles appetant. cæterū uentriculus qui bene concoquit temperatus dicendus eſt,qui nō concoquit omnino intemperatus:ſed ſi nidoroſæ fumoſæq; eructuationes fuerint,immoderati ignei q; caloris indicia ſunt:contrà,ſi acidæ.præterea qui alimenta confectu contumacia facile coquit,is caloris uehementiam arguit: ſi nō coquit,imbecillitatem.obſeruandum tamen ne ob aliquem humorem aliunde uentriculo influentem ſymptomata ſuperuenerint:ob pituitoſos enim humores acidæ eructuationes ſiūt, ob bilioſos uero nidoroſæ,uiroſæq;,aut aliæ quędam extraneæ qualitates,omninoq; accidentia ſingulorum exuberantium in uentriculo humorum oppoſita ſunt.ſed ſi in uentriculi alueo humores fluitauerint,ſuper cibis extabunt quæ uomitu excernuntur.ſi uero intra eiuſdem uentriculi tunicas impacti inhærentesq; fuerint,diſtrahūt fruſtra inanibus nauſeis nihil reddente uomitu.

Pulmonis indicia. Cap. LXXIX

NOn ſolum uentriculus ſiticuloſos aut ſiti carentes,frigidæ aut calidæ potionis appetentes facit,ſed ea quoq; quę thoraci,cordi,pulmoniq; attinent.qui ergo caliditatis ratione ſitiūt,& plus & calidius expirāt,efflantq; uberius & prolixius, atq; in thorace anguſtiam percipiūt minime talem, qualē qui uentriculi aut hypochondriorū uitio laborant,neq; ubi biberint extemplo quieſcūt, frigidaq; potio ſitim magis reſtinguit quàm multa calida. recreat eos maxime aër frigidus inſpiratus, qui uentriculi ratione ſitientibus nihil confert. ita & frigidi thoracis homines à frigida inſpiratione manifeſte læduntur, eſtq; id inſigne frigiditatis indicium.quemadmodum uero frigidum aërem inſpirantes apertam moleſtiam algoremq; percipiunt, ita calido inſpiratu gaudent, ijdem pituitoſa excrementa cum tuſſi expuunt. at pulmones aridi ſuperfluitatibus carent, claramq; uocem reddunt, cōtrà humidi obſcuram & raucam intercurrentibus excrementis ubi acrius impenſiusq; inclamare uoluerint.

Cordis calidioris ſigna. Cap. LXXX

REſpirationis magnitudo,pulſus uelocitas denſitasq;,animi fortitudo, agendi uehementia,& ſi magis intendatur caliditas ira pręceps, furor,audacia,thoraxq; hiſpidus, ac pectus præcipue, & quæ thoraci circumiacent, imò & uniuerſum plerunq; corpus cordis caliditate calidius redditur, niſi uehemēter reſiſtat hepar:ſed & thoracis latitudo caloris indicium,niſi cerebrū magnopere reluctetur.

Frigidi cordis ſigna. Cap. XXXI.

PVlſus temperatis paruiores non tamen neceſſario tardiores,rarioresq;.timidi natura tales,nihil audentes, ſegnes,pectore glabro.

Sicciores cordis ſigna. Cap. LXXXII

PVlſus duri,ira minime prompta,ſed pertinax ubi inceeperit, & quæ uix deſinat. plerūq; etiā iſtorū corpus aridius eſt,niſi quæ hepati attinēt,reluctenť.

Calidi & ſicci cordis indicia. Cap. LXXXIII

DVri pulſus & magni,ueloces & frequentes,reſpirationes pariter magnæ,celeres denſæq;:multoq; magis uelocitati ac denſitati addūt, ſi cordi thorax in

motionum

motionum proportione male reſpondeat. tales omnes hiſpidiſſimum habent pectus cum hypochondrijs, in agendo uiolenti, iracundi, moribus tyrannicis: ſunt enim & præcipites, & pertinacis iræ.

Calidi & humidi cordis ſigna. Cap. LXXXIIII

AT ſi calor cum humiditate dominetur, hirti quidem tales & ad agendũ parati, nõ minus his qui proxime dicti ſunt, ſed non æque ferox iracundia, ad iraſcendum tantum faciles: pulſus molles, magni ac frequentes.

Frigidi & ſicci cordis ſigna. Cap. LXXXV

PVlſus duri, præ cunctis ad iracundiam minime excitantur tales. ſi tamen iraſci cogantur, conceptum furorem pertinaciter ſeruant.

Hepatis calidioris ſigna. Cap. LXXXVI

VEnæ amplæ, bilis flauæ copia atq; in uigenti ætate etiam nigræ. ſanguis illis feruentior, unde & uniuerſum corpus calidius, niſi quæ cordi attinent reſiſtant: hirſutis hypochondrijs ac uentre.

Frigidioris hepatis ſigna. Cap. LXXXVII

VEnarum anguſtia, uberior pituita, ſanguis atq; inde uniuerſum corpus frigidius, niſi à corde caliditas rependatur. glaber his uenter atq; hypochondria.

Siccioris hepatis ſigna. Cap. LXXXVIII

Sanguis craſſior, & paucior, uenæ duræ, uniuerſusq; habitus corporis durior.

Humidioris hepatis ſigna. Cap. LXXXIX

SAnguis plurimus, atq; humidior, uenæ molles, uniuerſumq; corpus non renitente corde.

Calidioris & ſiccioris hepatis ſigna. Cap. XC

HIſpidiſſimum hypochondrium, ſanguis craſſior & paucior, bilis amara plurima, in uigenti ætate etiam nigra, uenarum amplitudo & durities, ita & uniuerſum corpus calidum & ſiccum: cæterum calor à corde propagatus frigiditatẽ quę emanat ab hepate ſuperare poteſt, ſicut contra cordis frigiditas, hepatis caliditatem moderari, ſed ab hepatis ſiccitate fieri non poteſt ut cor humidius ad contrarium habitum tranſmutetur. conſtat igitur utriuſq; iſtorum temperaturis in idem concurrentibus uniuerſum corpus iuxta eorum naturam commutari.

Calidi & humidi hepatis ſigna. Cap. XCI.

MInus quidem calido & ſicco hiſpida reddit hypochondria, ſed plurimũ ſanguinem & uenas amplas, calidumq; & humidum corporis habitum facit, niſi quæ cordi attinent renitantur. at ſi plus æquo utraq; qualitate congruos naturæ terminos dereliquerit, his morbis facile infeſtabitur, qui à putredine & humorum malicia generantur, atq; eo magis ſi humiditas calorem exceſſerit. ſi uero cõtra caliditas humiditati dominetur, mali ſucci minime augentur.

Frigidi & humidi hepatis ſigna. Cap. XCII

HYpochondrium glabrum, ſanguis ad pituitam uergens, uenarum anguſtiæ, uniuerſum corpus frigidius & humidius, niſi cor ad oppoſitum transferat.

Frigidi & ſicci hepatis ſigna. Cap. XCIII.

HEpar frigidum & ſiccum corpus exangue anguſtum frigidiusq; reddit, hypochondrium glabrum, niſi cor reluctetur.

Temperaturæ teſticulorum indicia. Cap. XCIIII

CAlida teſticulorum temperatura ſalax, fœcunda, & marium generatrix, uelox q; in eis & circumiacentibus membris pilorũ productio: frigida oppoſito modo ſe habet. humida multo humentiq; abundat ſemine, ſicca pauco & moderate craſſo: calida & ſicca craſſiſſimo & fœcundiſſimo, celerrimeq; ad congreſſum animal excitat, educitq; in obſcenis uiciniſq; partib. pilos pręcociſſimos, ſuperius

 uſq;

uſq; ad umbilicum,inferius uſq; ad media femora.ſunt prӕterea tales, ſalaces quidem,ſed confeſtim exoluuntur,& ſi eniti uelint,lӕſionem percipiunt.quod ſi humiditas acceſſerit,minus quidem hirſuti ſunt,ſed magis abundant ſemine,& cum nihil magis reliquis appetant, in congreſſu tamen incolumiores perſiſtunt, & ubi caliditas cum humiditate exӕquatur abſtinentia ueneris nocet.ſi uero frigidi & humidi,in congreſſu cito actionem expediunt aquoſumq; ſubinde ac tenue ſemē emittunt,infecundum,aut fœminam generans. at frigida & ſicca teſticulorū temperatura in reliquis prӕcedenti ſimilis,craſſius tamen illi ſemen & omnino modicum:quicunq; autem ſcrotum maxime annexum cum didymis habuerint,& ueluti compactum,hi plerunq; uiribus ualidiores ſunt.

Curatio calidioris temperamenti. Cap. XCV

CVm in calido temperamenti exceſſu bilioſa excrementa exuberent, ſpectare in his oportet nunquid bilis miſceatur cū egeſtionibus, an ad ſuperiorem uentrem erumpat. ſi enim infra deferatur nihil ultra laborandum, ſi furſum uergat,tepida aqua epota uomitu expellatur: ſi uomitus ſit difficilis uinum dulce tepidӕ admiſcens propinato,deinde uomant,prӕſtatq; eos exercere, nō ualido quopiam exercitio,ſed ocioſo & molli. quidam tamen eorum qui calidiſſimi ſunt nullo penitus indigent exercitio,leuis tantum deambulatio & balneum ſufficiet, ubi molliori manu oleo illita inuncti fuerint. gaudent hi potiſſime poſt cibum lauari, ut quidam ipſorum tali uictus ratione pingueſcant.aqueum uinum iiſdem conuenit,ſubtile,album:fulua enim & ualde antiqua calidiora,propterea infeſtiſſima.illud uero in omnibus attendendum qui poſt cibum lauantur, ne hepar male affectum ſit, tales enim poſt cibum loti,in ultimam pernitiem delabuntur. calidi autē & ſicci prӕcipue in uigenti ӕtate,humido uictu indigent,ut alimentis, balneis,& exercitiorum abſtinentia quӕcunq; ualida & multa fuerint,tutoq; in ӕſtate ieiuni mane, & rurſus pranſi lauari poſſunt niſi quodpiam uiſcerū obſtiterit. eoſdem nulla re prohibente aquӕ frigidӕ potus iuuabit. at ſiccioribus temperaturis infeſtiſſima uenus eſt,temperandumq; illis prӕcipue ab ӕſtu, laſſitudine, uigilijs, curis,ab omniq; uehementi motione.bilioſi ſi iraſcantur igneſcunt,& in acutas incidunt febres:cӕterum immutati adauctiq; caloris cōſideranda quantitas eſt,ut pro eius ratione frigida & humida uictus ratio recte poſſit adhiberi.

Curatio frigidioris temperaturӕ. Cap. XCVI

QVicunq; autem frigidiores quidem natura ſunt,in ſiccitate uero & humiditate temperati, nō adeo ad ſanitatē & corporis robur ineptos cenſere oportet. excitandus igitur augenduſq; tantum illorum calor, quantum autem ſiccitati humiditatiq; attinet in tota uiuendi ratione mediocritas eligatur.

Humidarum temperaturarum correctio. Cap. XCVII

POrrò humidӕ naturӕ in puerili ӕtate diſtillationibus & plethoricis morbis uexantur, imò & his qui à putredine eueniunt:plurimis ergo exercitijs indigent exquiſitaq; uentris coctione.quӕcūq; enim in ipſo corrumpuntur alimenta, ӕgritudinū à putredine euenientiū materiӕ in toto corpore fiunt : propterea loti tales ante cibū etiam in aquis calidorū fontiū ſummopere adiuuant. illud uero in his animaduertere oportet,quod etiam omnibus temperaturis cōmune eſt,ut ſolidorum membrorum humiditas innata,quàm diutiſſime conſeruetur,quoniam illi aduerſa ſiccitas uniuerſorum animalium corpora ocyſſime ad ſenectutem perducit. ſi enim innatus humor perpetuo cuſtodiri poſſet,uera eſſet Philippi ſophiſtӕ oratio,immortalitatem pollicentis his qui illi obtemperarent.ergo quod minime exareſcit,tardiſſimo ſenio conficitur:cum tamen uictus humidus plurima excrementa, humorumq; copiam gignat, metiri perquam difficile eſt,quomodo ſimul

mul & morbos arceas & ſenectutem retardes. quantum uero temperaturæ attinet, humidiſſimi, etiam diuturniſſimi ſunt, ac ſi corpori ſuo imperauerint, uſq; ad ultimũ ſenium præ cæteris ſani degunt: ideo ab omnibus prope tum medicis, tum philoſophis, quicunq; corporis elementa exacte nouerunt, hæc temperatura ſummopere commendatur, ut quidam eorum, hanc tantum ſecundum naturam eſſe crediderint. quamuis enim in principio deterior appareat, in melius tamen temporis progreſſu quotidie proficit. propterea qui tali regendo corpori præfuerit, oportunis ante cibum exercitijs, balneisq; & idoneis alimentis, moderatisq; alui & urinæ excretionibus ſingulos quoſq; meatus incolumes conſeruabit. nihil etiam obſtat, apophlegmatiſmos, aptasq; purgationes admittere, ſed præ cæteris edulia eligantur boni ſucci, uinumq; quod urinam ciere poſſit.

Siccæ temperaturæ curatio. Cap. XCVIII

BAlneum temperatæ aquæ & dulciſſimæ omnibus aridis corporibus aptiſſimum eſt. quod bis aut etiam ter ſingulis diebus adhibitũ magis conferet. laſsitudines, uigilias, curas, quàm longiſſime arcere oportet, uniuerſamq; uiuendi rationem humectandi uires habere.

Calidioris ſiccioriſq; temperaturæ correctio. Cap. XCIX

CAliditati cum ſiccitate diuerſas curationes adhiberi uideo, ſed uſus ille frigidorum non adeo culpa caret: hinc enim in ſiccis diſpoſitionibus neceſſarium eſt, non ea tantum quæ uentri attinent, ſed uniuerſum quoq; corpus gracilius reddi.

Calidæ & humidæ temperaturæ curatio. Cap. C

HVmidam uero intemperiem, quę cum caliditate fuerit, adſtringentium ciborum potionumq; frigidarum uſus emendat: eligenda tamen, quibus ſine caliditate auſteritas inſit.

Humidæ & frigidæ temperaturæ correctio. Cap. CI

HVmidiori cum frigiditate temperamento acria cuncta & calida ſumme conueniunt, quibus admiſcere oportet, quæ abſq; manifeſta refrigeratione adſtringunt. eligendum uinum antiquum quod calefaciat, & adſtringat, parciſſimè que exhibendum eſt. ea uero quæ extrinſecus applicantur, his ipſis proportioné reſpondeant.

Frigidæ & humidæ temperaturæ curatio. Cap. CII

TEmperaturæ uero longe uitioſæ ſunt, in quibus humiditas frigiditatem excedit: emendantur balneorũ abſtinentia, plurimis exercitijs, attenuanti uictus ratione, & unctionibus moderate calefacientibus.

QVARTI LIBRI FINIS

Quod medicum operum naturæ gnarum eſſe oportet Cap. primũ
Quod qui non prænoſcantur morbi curari nequeant Cap. ii
Indicia bona quæ Cap. iij
Indicia mala quæ Cap. iiij
Quænam totius ægritudinis prima dies dicenda ſit Cap. v
Quod ægritudinis principiũ trifariam dicatur. Cap. vi
Quid ſit febris Cap. vij
De paroxyſmo,id eſt,exacerbatione (Cap. viij
De remiſſione Cap. ix
Febrilis inuaſionis principium quid Cap. x
Incrementi particularis exacerbationis ſigna Cap. xi
Vigoris particularis exacerbationis ſigna Cap. xij
Declinationis exacerbationis particularis ſigna Cap. xiij
Principium uniuerſi morbi quid Cap. xiiij
Quodnam totius morbi incrementum Cap. xv
Vigoris dignotio Cap. xvi
Totius morbi declinatio Cap. xvij
Quod in morbis qui repente iudicantur declinatio lateat Cap. xviij
Qui liberandi ſunt omnia morbi tempora pertranſire Cap. xix
Vtrum ſerius an citius iudicanda ſit ægritudo Cap. xx
Quomodo noſcatur iudicanda ſit ægritudo nec ne,& quando Cap. xxi
Iam proximæ futuræ iudicationis indicia Cap. xxii
Quomodo noſcendum proba, an improba iudicatio futura ſit Cap.xxiij
Qui boni qui mali iudicatorij dies Cap. xxiiij
Vbi ęgritudinis principium ignoretur & repente non indicata iudicatio appareat quomodo ambiguum explicandum Cap. xxv
De pulſuum ſignificatione Ca. xxvi
De urinarum ſignificatione,& primo quænam optima urina ſit Ca. xxvij
Qualis urina optima Cap. xxviij
Quod non omne album ſedimentum probandum ſit,ubi de humore crudo,& puro Cap. xxix
Vrina tenuis ac palleſcens quid ſignificet Cap. xxx
Vrina tenuis & ruffa Cap. xxxi
Vrina rubea Cap. xxxij
Vrina tenuis miſta, quæ mox extra turbatur Cap. xxxiij
Vrina craſſior micta,& craſſior permanens Cap. xxxiiij
Vrina craſſa quæ poſtea deponit Cap. xxxv
Vrina alba tenuis talisq; permanens Cap. xxxvi
Quænam oleaginarum differentiæ urinarum & quid ſignificent Cap. xxxvij
Quid indicent ſedimenta oroborum ſpecie Cap. xxxviij
Furfuracea ſedimina quid ſignificent Cap. xxxix
Laminea ſedimenta quid portendant Cap. xl
Pultacea in urinis quid indicent Cap. xli
Vrinæ fetidæ ſignificatio Cap. xlij
Vrina nigra quid indicet Cap. xliij
De egeſtionum ſignificatione Cap. xliiij
De egeſtionibus quæ indicationis ratione deferuntur Cap. xlv
De uomitu prænoſcendo & iudicationibus ab ipſo Cap. xlvi
De fluxu ſanguinis narium prænoſcendo & ab ipſo notis Cap. xlvij
Quod per hæmorrhoidas & muliebres purgationes ſæpe ſoluuntur morbi Cap. xlviij
De ſudorum indicatione Cap. xlix
Decernentium abſceſſuum notæ Cap. l
De ſputorum ſignificatione Cap. li

Quæ

Quæ indicent morbũ fideliter exacteꝙ ſolutum Cap. lij
Quæ indicent morbum imperfecte ſolutum eſſe Cap. liij
Prænotio diei in qua æger ſit moriturus Cap. liiij
Quod & horam futurę mortis poſſit artifex prægnoſcere Cap. lv
In acutis ægritudinibus, mortem exquiſite non prædicendam Cap. lvi
De febrium diuiſione ac primo de ephemeris Cap. lvij
De ephemeris à laſſitudine Cap. lviij
De his qui ob uigilias, curas, triſtitiam atꝙ iram febricrint Cap. lix
De his qui ob æſtũ febricitant Cap. lx
De febricitantibus ex algore Cap. lxi
De febricitantibus ob coryzam diſtillationemꝙ Cap. lxij
De febrientibus ob cutis denſationem Cap. lxiij
De febrientibus ob famem Cap. lxiiij
Victus ratio cunctis ephemeris communis Cap. lxv
De febricitantibus ob bubones Cap. lxvi
De ephemeris quæ ob cruditatem eueniunt Cap. lxvij
Curatio ephemerarũ plurium dierum quæ à ueris ephemeris facta cutis obſtructione originem ducunt Cap. lxviij
De ſynochis febribus Cap. lxix
De uenæ ſectione in ſynochis Cap. lxx
De aqua frigida exhibenda in ſynochis Cap. lxxi
Victus ratio in ſynochis Cap. lxxij
Catholica de febribus à putredine euenientibus Cap. lxxiij
De febribus ob putredinẽ Cap. lxxiiij
Communis uictus ratio in omnibus febribus putridis Cap. lxxv
De febribus continuis Cap. lxxvi
Febris ardentis curatio ex Philumeno Cap. lxxvij
Exquiſitæ tertianę dignotio Ca. lxxviij
Tertianæ exquiſitæ curatio Ca. lxxix
Tertianæ nothæ curatio Cap. lxxx
De hemitritęo, id eſt ſemitertiana lxxxi
Quartanæ exquiſitæ dignotio Cap. lxxxij
Quartanæ curatio Cap. lxxxiij
Quotidianæ febris dignotio ca. lxxxiiij
Quotidianæ curatio Cap. lxxxv
De hepialis febribus Cap. lxxxvi
Remedia communia ad has febres quę per circuitus accedunt ex Dioſcoride Cap. lxxxvij
De diſpoſitionibus uiſcerũ ad eryſipelatis naturam tendentibus, ubi et de febre lipyria & typhode, & crymode Cap. lxxxviij
De colliquante febri ex Philagrio Cap. lxxxix
De febribus quæ abſꝙ inflammatione & putredine in calidis ac ſiccis temperaturis contingunt Cap. xc
Ceratum refrigerans Cap. xci
De hecticis & tabidis febribus Ca. xcij
Hecticarum febrium curatio Cap. xciij
De publicis paſſim uagantibus & peſtilentibus morbis Cap. xciiij
De peſtilentia ex Ruffo Cap. xcv
De his qui ob crudorum humorũ multitudinem in ſyncopam incidunt Cap. xcvi
De his qui in ſyncopam incidũt ob flauam bilim os uentriculi afficientem Cap. xcvij
De his qui ob humores tenues in ſyncopam incidunt Cap. xcviij
De alijs cauſis à quibus ſyncopæ fiunt Cap. xcix
De dolore ſyncopam inferente Cap. c
De animi deliquio Cap. ci
De his qui animo delinquuntur ob uentris profluuiũ, fluxum ſanguinis narium & immoderatos ſudores Cap. cij
De animo derelictis ob humorum multitudinem Cap. ciij
De his qui uteri uitio animo delinquũt Cap. ciiij
De his quę ob immoderatam menſium inanitionẽ animo delinquũt Cap. cv
De his qui ſtomachi imbecillitate animo delinquunt Cap. cvi
De his qui ob uitioſos humores eroſionem ſto-

nem ſtomachi ſentiunt Cap. cvij
De his qui in ſtomacho pituitam collegerint Cap. viij
De animi deliquio ob ingentem algorē Cap. cix
De animi deliquio ob uehementem calorem Cap. cx
De his qui ob inflammationis magnitūdinem uel ob febris malitiam, in acceſſionis principio animo delinquūt, & refrigerantur Cap. cxi
De his qui ob ſiccitatem in acceſſionū principijs exoluuntur Cap. cxij
De his qui ob obſtructionem principis membri animi deliquium patiuntur Cap. cxiij
De his qui ob repentinam euacuationem exoluuntur Cap. cxiiij
De his qui ob mœrorē, gaudium, terrorem, iracundiam, animo delinquūt Cap. cxv
De capitis dolore in febribus Cap. cxvi
De uigilijs in febribus ex Galeno Cap. cxvij
De improbo ſopore quem cataphoram uocant ex Herodoto Cap. cxviij
Quomodo linguę aſperitas in febribus emendanda ſit Cap. cxix
Quomodo ſitis extinguenda ex Philumeno Cap. cxx
De aurium inflammatione in febribus ex Philumeno Cap. cxxi
Suppurantis auris medicinæ & de audi tus difficultate Cap. cxxij
De ophthalmia ſeu lippitudine in febribus Cap. cxxiij
De hebetudine quæ à morbo contigerit ex Philumeno Cap. cxxiiij
Curatio diſtillationis ſanguinis è naribus febrim ſequentis Cap. cxxv
Quomodo ueſicæ conſulendum & urinę difficultati in febribus Cap. cxxvi
Quomodo lumborum doloribus cōſulendum ex Philumeno Cap. cxxvij
Curatio ulceris oſſis ſacri in febribus ex Philumeno Cap. cxxviij
Curatio ulcerum, ſcroti & ani in febribus Cap. cxxix
Curatio puſtularum in febribus quas exanthemata uocant Cap. cxxx
De tremoribus in febribus ex Herodoto Cap. cxxxi
Omælyſios confectio Cap. cxxxij
De conuulſionibus in febribus ex Galeno Cap. cxxxiij
De dulcibus conſuetisq́ in febri potionibus ex Philagrio Cap. cxxxiiij
Antidotus quæ diacodion appellatur Cap. cxxxv
Omphacomelitis cōfectio Cap. cxxxvi
Mellis roſati confectio Cap. cxxxvij
Hydroſati confectio Cap. cxxxviij
Apomelitis præparatio Cap. cxxxix
Hydromalum & ceſtiana confectio Cap. cxl
Citoniaci confectio Cap. cxli
Oxymelitis præparatio Cap. cxlij

FINIS

AETII AMIDENI MEDICI CLARISSIMI LIBER QVINTVS IOANNE Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete

De febrium dignotione & curatione.

RECTAM uiuendi rationem, ac regulas tuendæ ualetudinis utiles neceſſariasq́ ad ſanitatis conſeruationē, iam pręcedenti libro tradidimus. didiciſti igit̃ quo qua liue uictus regimine ſunctus, & tu ipſe quàm fieri poteſt maxime ſanus perſiſtas, & reliquis eãdem præſtãs diligentiam congruam ſingulis ſanitatem cuſtodias. at quoniam ſæpenumero ſiue ob incuriam uiuendi, ſiue ob actionum circunſtantias, ſeu certe ob ambientis aeris uiolentiam, ſenſim latenterq́; irrepunt acutarũ diuturnarum ue ęgritudinum apparatus, pręſtat etiam de morbis agere, exordiriq́ ab uniuerſalibus febrium dignotionibus : tum quia præ cæteris redundẽt omnibus communes ætatibus, tum quia non ſine periculo ſunt, & ob accidentium multitudinem, ingẽtes ſecum turbas tumultumq́ rerũ ſerant.

Quod medicum operum naturæ gnarum eſſe oporteat. Cap. I

MEdicum igitur in prognoſtico reliquisq́ Hippocratis uoluminibus exerceri oportet, atq́ naturæ opera ediſcere. dimicanti enim cum morbis, naturæ pro ſalute adipiſcenda ſubſidium ferendum eſt : nam ſi & auxiliarium medicum adepta ſit qui cõmode occurrat, & parentem ægrum nihilq́ in uictus ratione peccantem, facile morbum conſiciet: ſed aſſidentes etiam & quę extrinſecus ſunt conſpirare oportet, ne quid recte peractis obſtare poſſit.

Quod qui non prægnoſcantur morbi curari nequeant. Cap. II

SIgnificationũ uero noſcendã rationẽ à nobis prius explicãdã proponimus: niſi enim prænoſcamus quo nam deſitura ſit ægritudo, fieri nequit ut recta uictus ratio ſuppeditet̃, in acutis præſertim morbis qui præceps periculũ inferunt.

Indicia bona quæ. Cap. III

PRimo occurrit bene colorata facies. poteris enim etiam ex ſola facie ſtabilem fidelemq́ prænotionem accipere priuſquã ægrum tetigeris: ex ſenſibus inq́, qui in ipſa ſunt, uiſu, auditu, odoratu & ex reſpiratione ſine qua nõ uiuimus, cordis affectus declarãte. adeſt & in facie lingua loquendi inſtrumentũ, rationalis animæ robur imbecillitatemq́ nobis indicans. præterea modeſtus decubitus probandus eſt, qualis maxime ſanos decet, & conuerſio facilis, & corpus minime graue, quod æqualem mitemq́ calorẽ non excedat: ſitisq́ quantũ fieri poteſt modica, rationis diſcurſus integer, & ad ea quę offerunt̃ promptitudo, itẽ facilis ſpiratio rectaq́ pulſuũ ſeries. ex iſtis enim & his quę ſtatim dicent̃, robur debilitatemq́ triũ actionũ animæ cognoſcemus. Nam integer rationis diſcurſus cõpoſitusq́ decubitus cerebri ſanitatẽ demonſtrat. à flore uero coloris in facie faciliq́ inſpiratione & ordine pulſuũ, cordis robur arguit̃: quamuis interdũ ſicut in peripneumonia probus faciei color cum deprauato anhelitu uiſitur: ſed nulla ſitis moleſtia & ad oblationes facilitas, iocinoris totiusq́ corporis robuſtã uirtutem indicat. laudandi pręterea ſubleuantes ſomni uniuerſiq́ corporis ſudores, calore tẽperati, æquales, moderati, opportuni, & hypochondrium dolore carens, tangentibus inculpatum. denique excrementa fimi, urinæ & ſputi expedita & concoctionem indicantia.

Indicia mala quæ. Cap.IIII

VNiuerſæ faciei temporumq́ꝫ delapſus, oculi affixi & concaui, inuitæ lachrymæ. at difficilis frigidaq́ꝫ ſpiratio, efflatu maxima, attractu aeris minima, id enim proximā mortem indicat. præterea alba oculorū in ſomnis inſpici, niſi id ſani facere conſueuerint. malū item turpis ad pedes delapſus, pronus in uentre præter morem decubitus, ſtridor dentiū inſolēs, totius corporis abſq́ꝫ cognita cauſa, modo feruor, modo algor, ingens tolerandi difficultas, ſitis inextinguibilis, ardor intrinſecus cum extrinſeco frigore, rationis exceſſus, & ueluti delyrium, ſenſuum ſtupor, ſopor inexcitabilis, appetitus auerſio, algor in inflāmatione circa thoracē & latera, pulſus uel uitioſus uel nullus, perſeuerantes uigiliæ, ſomni turbulenti, ſudores frigidi inæquales, neq́ꝫ à toto corpore emanantes, ſæpe etiam uiſcidi & importuni, alui urinæq́ꝫ præcipue & reliquarū excretionū detentio, aut cum aliqua pernicioſa ſignificatione delatio, peſſimæ tamē omnium maleolentes craſſæ atq́ꝫ atræ urinæ. hæc omnia innati caloris refrigerationem declarant, & in acutis maleficisq́ꝫ morbis ultimā perniciem portendūt: ut quando hypochondria tenduntur, aut principū membrorum quodpiam, cerebrū inq́ꝫ, aut cor, aut pulmonem, aut iecur, aut uentrē, aut membranā coſtas ſubcingentem inflāmatio occupauerit, ubi enim quæpiam talium affuerit ęgritudinū, ſi ſigna appareant inſigniter mala exitium indicant. ſingulorum uero ſignorum uis perdiſcenda eſt, unum enim quandoque ſignum ſidum & potens, pluribus infidis imbecillisq́ꝫ præſtat.

Quænam totius ægritudinis prima dies dicenda ſit. Cap.V

TOtius morbi principium illud tempus dicendum eſt, cum homo ita manifeſte febrire incipiat, ut corporis continuitas contundi ſoluiq́ꝫ uideatur: neq́ꝫ in publicū amplius progredi, ſolitasq́ꝫ actiones agere poſſit, propterea decubitu indigeat. neq́ꝫ enim idem eſt languere & febrire. qui enim capitis dolore, aut appetitus deiectione infeſtatur, aut corporis grauitatem percipit, poteſt omnino in principio ea peragere q̃ prius cōſueuerat, donec inualeſcens morbus uires proſternat.

Quod ægritudinis principiū triſariam dicatur. Cap.VI

PRincipiū proprie appellat̃ impartibilis, atq́ꝫ abſolute prima ægritudinis inuaſio, qua uictus homo decumbit: dicitur etiam principiū quod late ad tertiam uſq́ꝫ diem extendit̃. at quod maxime à medicis principiū intelligitur, eſt totius ægritudinis perq́ꝫ neceſſaria pars, quæ dierū numero non diſtinguit̃, ſed exacerbationum paruitate, & adhęrentium ſymptomatū lenitate. nam ubi exacerbationes adauctæ & ocyus præueniunt, & ſerius deſinunt: & ubi ſymptomata efferantur, incrementū ea pars nuncupat̃: tandiu ergo morbi principiū dicetur, quandiu manifeſta coctionis ſigna nō apparebūt, quod etiā uidetur Hippocrati. in pleuriticis, inqt, ſi ſputū ſtatim appareat, morbū corripit: ſi poſtea apparuerit, ꝓducit. ſuperueniēte igit̃ in excremētis certo coctionis ſigno, ibi ceſſante principio incipit incrementū. at ſi in perniciem morbus inclinet, nulla coctionis ſigna oſtendentur.

Quid ſit febris. Cap.VII

FEbris eſt cordis arteriarūq́ꝫ præter naturā calor robur uitale deterēs, ex ꝓfundo eleuatus acutus mordaxq́ꝫ ſeſe offerens tactui, præſertim circa thoracem, magnarūq́ꝫ arteriarū ſedem, ob quē inæqualitas ac ordinis cōfuſio in pulſu iuxta ſingulas febriū ſpecies acquirit̃.

De paroxyſmo. i. exacerbatione. Cap.VIII

EXacerbatio eſt particularis morbi motus à remiſſione & languore in deterius: particularis motus dicitur ad uniuerſale incrementum comparatus.

De remiſſione. Cap.IX

REmiſſio eſt particularis exacerbationis temporanea quædam quies. remiſſionum quædam ſincera, quædam uiolata: ſincera ex integra aſſidentium morbo ſym-

bo ſymptomatũ quiete diſcernit̃, quæ proprie in his quæ per circuitũ exacerbantur interuallũ uocatur, ueluti ſunt tertianæ, quartanæ, quotidianæ, cephaleæ, morbi comitiales, podagrę & huiuſmodi: uiolata impuraq́ꝫ ex ſymptomatũ natura deprehenditur, ut præcipue in cõtinuis febribus euenit: in his enim ante integrã totius morbi ſolutionẽ nunq̃ꝫ ſincera remiſſio fit, ſed altera exacerbatio alterius præcedentis declinationẽ iugiter excipit.

Febrilis inuaſionis principium quid. Cap. X

FEbrilis inuaſionis principiũ extremarũ partium cõtractio eſt, ſed narium præcipue. refrigerat̃ interdũ uniuerſum corpus, ſimulq́ꝫ cum refrigeratione parua ſæpe tuſſicula irritans exoritur. oſcitatio quoq́ꝫ, pandiculatio, nauſea, uomitus, animi deliquiũ, capitis aut alterius membri dolor, grauisq́ꝫ nõnunq̃ꝫ ſopor, pulſus paruus, cõtractus, tardus, reliquaq́ꝫ accidentia quę inſtãte morbo aſſidere ſolent, excitantur.

Incrementi particularis exacerbationis ſigna. Cap. XI

IN particularis exacerbationis incremento cętera quidem accidentia augentur aſcenduntq́ꝫ. contractio uero ac refrigeratio deſinunt, pulſusq́ꝫ inæquales redduntur, & corpus incaleſcit quidem, ſed non exquiſito calore.

Vigoris particularis exacerbationis ſigna. Cap. XII

IN exacerbationis uigore calor æqualiter diffunditur, minimasq́ꝫ totius corporis particulas obſidet, pulſusq́ꝫ ad ſummum incrementum progreſſi pro ſubiectæ materiæ ratione ſtatum obtinent. cæteraq́ꝫ exacerbationis ſymptomata pari modo intenduntur: eſtq́ꝫ tunc ægro potus exhibendi tempus.

Declinationis exacerbationis particularis ſigna. Cap. XIII

DEclinatio eſt ubi uel quædam uel omnia accidentia quæ diximus, minuuntur, ac pulſus ad ordinem iam quodãmodo conuertuntur: irrorantur quandoque tabeſcente calore membra, concurruntq́ꝫ ſomni mites, ſi ad futuram acceſſionẽ longius ſpatiũ interceſſerit, quod in ſinceris remiſſionibus fit: quandoq́ꝫ eñ ut paulo ſuprà diximus, ſubſequẽs exacerbatio præcedẽti declinationi interſerit̃.

Principium uniuerſi morbi quid. Cap. XIIII

PRædiximus iam illud eſſe totius morbi principiũ, quãdo humanis uiribus ob ægritudinis uiolentiam ſuperatis initium decumbendi fieret.

Quodnam totius morbi incrementum. Cap. XV

VBi exacerbationes cõſuetã horam præuenerint, longiores moleſtioresq́ꝫ & cũ ſęuioribus obtigerint accidẽtibus, incrementũ totius morbi dicendũ eſt.

Vigoris dignotio. Cap. XVI

VBi uero exacerbationes ſtatũ attigerint, ſymptomataq́ꝫ aſſidentia ſibiipſis perq̃ꝫ ſimillima fuerint, ut nihil iam uel accedat uel recedat: tunc recte uigere ægritudinem dixeris: eſt enim uigor totius morbi uehementiſſima pars, præſertim ſi laudabiles iudicationes futuræ ſunt.

Totius morbi declinatio. Cap. XVII

DEclinatio incremẽto oppoſita eſt: ſerius eñ q̃ꝫ conſueuerint exacerbationes inuadũt & breuiſſimæ fiunt. accidẽtia quoq́ꝫ mitiora ſimplicioraq́ꝫ efficiuntur, aut etiam nullatenus apparent, omninoq́ꝫ leuitas remiſſioq́ꝫ ſuccedunt.

Quod in morbis qui repente iudicantur declinatio lateat. Cap. XVIII

QVæcũq́ꝫ repente in uigore iudicant̃ ægritudines atq́ꝫ exacte abſoluuntur, perobſcurã habent declinationẽ, ut ſenſum lateat: ſed nec utilis eius indagatio eſt. nouiſſe enim ſufficit morbũ fideliter tutò & perfecte ſoluendum eſſe.

Qui liberandi ſunt omnia morbi tempora pertranſire. Cap. XIX

SI morbus mitis fuerit acuteq́ꝫ moueatur, & ſigna probanda in ægro apparuerint, quatuor totius ægritudinis tempora percurruntur, conſtatq́ꝫ ſalutem ſubinde futuram: quod ſi oppoſita euenerint, uigorem plerunque mors præuenit.

Vtrum ſerius an citius iudicanda ſit ægritudo. Cap. XX

EX morbi magnitudine & motionis uehementia ſerius ne an citius morbi iudicium futurũ ſit dignoſcit̃: magnarũ enim ægritudinũ præceps motus eſt, præcipitis motus ocyor finis accedit.

Quomodo noſcat̃ iudicanda ſit ægritudo necne, & quando. Cap. XXI

INſignes morbi acuti & uehemẽter moti omnino iudicantur. parui uero qui tardius & ignauiter mouent̃, ſi diuturni ſint, paulatim pleriq; ſine iudicatione ſoluuntur. quidam eorum, ſed raro in abſceſſum deſinunt: tertiana enim licet intermittat, quia tamẽ acute & uehementer mouetur, iudicatur. at quartana, quia diuturna eſt, paulatim plerunq; ſoluitur: ſicut omnes ferè qui ſegnius procedunt. ergo ægri natura primo ſpectanda eſt, flaua ne bili an atra, an pituita exuberet: dein de ætas, temperatura, ſtudium, uiuendi ratio præcedens, ſed & anni tempus & regio, & continentis nos aeris conſtitutio perpendenda. poſtea exacerbationum circuitus, ueluti diximus, conſiderandi utrum intermittant, an minime ſicut in continuis uiſitur: nam ſi feſtinauerint, & ſemper horam ſibi correſpondẽtem præuenerint uehemẽtiusq; incitentur, et per tertias inuaſerint, iudiciũ breui affuturũ indicant: ſin ſegniter progrediantur eademq; hora prorſus incipiant, ſingulisq; diebus accedant, ſeram iudicationem oſtendunt. ſed & excrementorum coctiones attendere oportet, nunquid utiles ſint, & nunquid in iudicatorijs diebus appareant: ſi enim biliosa ſit ægritudo & acute mota, exiſtente ſimul uirtutis robore, & ſtatim ab initio ſigna probanda apparuerint, in primo quaternario iudicatio futura portendit̃: ſin hæc eadẽ nõ niſi in quarta appareãt, iudicatio ſeptimã nõ excedet: benigniſſimæ enim febres quæ cum tutiſſimis ſignis eueniũt in quarta, & prius quandoque deſinunt, inquit Hippocrates, ſicuti contra maligniſſimæ cum pernicioſiſſimis iudicationibus febres in quarta aut prius etiam interimunt.

Iam proximæ futuræ iudicationis indicia. Cap. XXII

INſtante iudicatione tumultus nõ parui corpus ægri colliduntur, ea præſertim nocte quæ iudicatoriam acceſſionem præcedit. quibus inſtat iudicatio, his nox ante acceſſionẽ moleſta, Hippocrates ait. grauitates enim, delyria, ſopores improbi, anhelitus difficultates, uertigines, ſenſuũ obtuſio, capitis, ſtomachi, colli, aliarũq; multarum partium dolores, in nonnullis & aurium ſonitus, uani ſplendoris intuitus, inuitæq; lachrymæ, urinæ detentio, labij alterius ue partis tremor, obliuio, & præſentiũ rerum ignorantia, & ingens quandoq; rigor, ardorq; non antea perceptus, exacerbatio cõſuetam horam præueniens, æſtuatio plurima, ſitis inextinguibilis, clamores queruli, deſultationes uelut exanimati, decumbẽdi ſitus incerti, tot tantaq; eſſe ſolent iudicationis indicia, quę ſpectantibus terrorem incutiunt. hanc ſymptomatum tempeſtatem conſpicatus imprudẽs medicus æſtuat, & cum ægri familiaribus calamitatem deplorans imperitiam pietate rependit. at generoſum medicũ decet gnarum futuri euentus nõ perturbari, & ex pręſentibus haud tantũ iudicationem futuram, ſed qualem etiam præcognoſcere.

Quomodo noſcendũ proba an improba iudicatio futura ſit. Cap. XXIII

IVdicationem optimã, quæ ſola una abſolute iudicatio appellanda eſt, non coniecturis ut reliquas alias, ſed certa firmaq; aſſequimur dignotione: in huiuſmodi enim morbis omnia ſtatim à principio ſigna ſine periculo apparent, ueluti contra in morituris cuncta plerunq; ab initio pernitioſa ſe offerunt. primum igitur omnium ægri robur ſpectare oportet, deinde coctiones ab urinis, egeſtionibus & ſputis. neminẽ enim eorũ qui laudabili coctione præeunte iudicati ſunt, hactenus interijſſe cognoui. tertio præſciendũ queadmodũ in totius morbi & particularis etiam exacerbationis uigore, atque in die prius indicata ſemper optima iudicatio

fiat

fiat:poſtea ægritudinis ſpecies ac mores noſcēdi. ſpeciem intelligo, tertiana ne an quotidiana, an quartana aliáue quædam ſit: mores, ſit ne moderata & mitis, an improba & malefica. nam mores peculiariter liberandus ne, an moriturus ſit æger oſtendent. quod ſi ægritudo in pectore pulmoneue fuerit, excreationes potiſſimū ſpectandæ ſunt: non ideo tamen urinæ & egeſtiones penitus negligendæ. ſi uero abſque alicuius uiſceris inflāmatione febris euenerit, urinæ indicium reliquis præferendum eſt. illud animaduerſione dignum, in pernicioſis morbis extremam uirium imbecillitatem præcipuum maximumq; ſignum eſſe hominem abſq; iudicatione moriturum: tunc enim ne ad pugnam quidem natura excitatur. proximū huic ſignum, ſi ne minima quidem coctionis nota in excremētis appareat. hæc ita ſe habentia, poterunt quidem inſigni aliqua die iudicationem futuram indicare, ſed pernicioſam exitialemq; fore. ad hęc ſpectare oportet uehemens ne ſit & malefica ægritudo, quæ tamen ignaue moueatur. uehementem appello ſemitertianam, peripneumoniā, febrem ardentem & huiuſmodi. quarta enim die ſi ita contingat, conſpici incipiat in urinis atra nubes, aut ſuſpenſus uapor, aut ſubſidentia pariter atra, ſintq; reliqua ſigna & ſymptomata pernicioſa: hic quidem ęger omnino morietur. ſed ſi acute moueatur morbus, in ſexta: ſi tardiuſcule, in ſeptima.

Qui boni qui mali iudicatorij dies. Cap. XXIIII

SEptima à principio dies quam proba præceſſerit indicatio præ reliquis omnibus exacte, fideliter, probe, tutò & aperte ægritudinem ſoluit. ſeptimæ naturā quartadecima maxime imitatur: proxima utriſque nona & undecima, inde decimaſeptima & quinta, poſtea quarta, mox tertia, & uigeſima: ſexta uero ſæpe quidem iudicat, ſed iudicio plerunq; improbo & mortem afferente, aut ſaltem imperfecto infideliq;. qui enim in ſexta iudicantur morbi, et ſi ſoluti apparent, reuertuntur: & ſi perfecta iudicatio, quod rariſſime fit, in ſexta contigerit, periculoſa tamē ac perdifficilis eſt: ſed ſi in octaua interdum, aut decima, aut duodecima, aut decimaſexta repentina morbi ſolutio inciderit, erit ei ſimilis quæ in ſexta fit, infidelis, improba, imperfecta, incerta, non indicata. bonarum malarumq; media quodammodo tertiadecima eſt: neq; enim tanquam peſſima abominanda, neq; tanquam optima amplexāda eſt: id unum bonæ iudicationi maxime neceſſarium, ut prius ab urinis potiſſime, deinde à reliquis quoq; ſignis prænuncietur. ac tertiam quidē quartam et quintam prima ſtatim dies indicabit. quarta uero ſeptimam indicat, ſeptima undecimam, undecima quartamdecimam, quartadecima decimamſeptimam, decimaſeptima uigeſimam. acutarum ægritudinum terminus quartadecima eſt, ita ut ſi hanc exceſſerint ab acutis excidant.

Vbi ægritudinis principium ignoretur, & repente iudicatio non prę-nunciata appareat, quomodo ambiguum explicandum. Cap. XXV

VBi nulla præindicante die repente iudicatio ſuperuenerit, neq; morbi initiū exquiſite noueris, ambiguitatē ſolues, ſi acceſſionū proportionem & dierū naturā perpendas: ubi enim in diebus imparibus acceſſio cōtingat, ſicut in intermittentibus, aut ubi ſeipſa uehementior fiat, quemadmodū in cōtinuis febribus, collige præſentem iudicationem die impari tanq; ſibi magis peculiari eueniſſe. at ſi paribus diebus morbus exacerbet, paribus iudicatio adſcribenda eſt: uehementiores enim exacerbationes iudicatio plerunq; ſequitur. à dierum uero natura ita ratiocinaberis: ſi ambigat utrū decima, an nona iudicatio fuerit, ſingula accidētia recēſebis: quæ ſi mitiora tutioraq; inueneris & bonæ iudicationi leuitas ſubſecuta ſit, nonā iudicauiſſe affirmabis: ſed ſi pericuIoſa improbaq; iudicatio euenerit, cū moleſtis accidētibus ſubſequēte grauitate, decimæ potius iudiciū aſſignandum cenſebis.

De pulſuum ſignificatione. Cap. XXVI

IMminente iudicatione ante omnia pulſus tāgendi ſunt:pulſus enim altus ſicut, & uehemens intrinſecæ excretionis indiciū eſt, ſtabiliſq; nota iam morbi iudicium adeſſe.at ſi uehementer ac ualide digitos percuſſerit,& magnus prçterea ſit atq; in dilatatione magis ꝙ in conſtrictione feſtinet,extrinſecam potius motionē futuram oſtendit:extrinſecam intelligo,ut ſanguinis fluxum,ut ſudorem,ſicut intrinſecam uentris perturbationes & uomitus.ſi magnus fuerit & fluctuans,ac ueluti emolleſcat,ſitq; corpus ipſius roridum, atq; in dilatatione feſtinet,ſudores expectandi ſunt: ſi abſolute magnus uehemenſq; ſit, ac dilatatio contractionem ſuperet,ſanguinis fluxus è naribus indicatur,atteſtantibus præſertim fluxus ſanguinis notis quæ infrà dicentur.at ſi uehemens quidem,nō tamen magnus fuerit, duriorq; ſeipſo ſit & inæqualis,atq; in contractione magis feſtinet,impetu iam ad inteſtina facto iudicatio per uentrem ſperanda eſt.

De urinarum ſignificatione & primo quænam optima urina ſit. Ca.XXVII

IN febrilibus præcipue morbis urinarum ſignificatio utiliſſima eſt,& quoniam quicquid extra naturam eſt,cum eo metimur quod eſt ſecundū naturam, à naturalibus primo auſpicabimur. urina optima ſanorum, boniq; habitus hominum ſubruffa ſubflauaq; eſt,craſſitie moderata,perſeuerāte colore qualis initio fuerat, ſedimēto albo,leni,æquali,ſibi iugiter ſimili multitudine pro potus ratione.in fœminis uero candidiorem maioriq; ſubſidentia, ſicut in pueris multo craſſiori eſſe oportet.pueri enim ingluuiē motioneſq; incompoſitos atq; importunas frequentant.lenem ſubſidentiam continuam,nec diſperſam intellexit Hippocrates, æqualem,id eſt,ſingulis partibus ſibi ſimilem, & quæ non hodie cocta,cras uero cruda appareat.tot igitur in naturalibus urinis obſeruanda,color,liquoris ſubſtantia, & quæ inſunt liquori, ut nubecula, fex ſuſpenſa, fundo inhærens ſubſidentia. quicquid horum præuertatur,cruditatem in uenis indicat.

Qualis in ægris urina optima. Cap.XXVIII

VRina ægrorū optima ſanis ſimillima eſt,ſubpallida,ſubflaua,albam,lenem, æqualem habens ſubſidentiam.reprobatur cui ſex ſuſpenſa inſit.ſimili modo candida lenis, æqualis.deterior eſt quæ pro his nubeculam eiuſdem prorſus naturç habuerit. ſpiritus enim in profundo inſidēs craſſus ac crudus, ſi modicus ſit, materiam quidem ad fundum deferri ſinit, delatam tamen diſſipat atq; uniri non patitur: ſi abundat, uſque ad medium liquorem materiam ſuſpendit, facitq; id quod fecem ſuſpenſam uocamus.ſi uero adhuc magis redundet,ad ſupremam ſuperficiem materiam eleuando nubeculam uocatam perficit. quanto igitur ſpiritus ſubſidentiam diuidit ac ſuſpendit,tanto crudiorem urinam iudicabis: quod ſi neque ſubſidentia,neque fex ſuſpenſa,neque nubecula urinæ inſit,ſciendum naturam nondum quidpiam peccantium humorum maturuiſſe:ſin ſubſidentiā,aut fecem ſuſpenſam aut nubeculam interdum habeat,interdum non habeat,naturæ pugnam cum morbo indicat ancipiti marte dimicantis. in exquiſitis tamen tertianis & ephemeris febribus, nubes ſola aut fex ſuſpenſa ad morbi ſolutionem plerunque ſuffìcit,immo ſæpe laudabilis tantum urinæ color.

Quod non omnis alba ſubſidentia probanda ſit,ubi de humore crudo & puro. Cap.XXIX

CAndidus color materiæ in liquore exiſtentis imperitos ſępenumero decipit, ſubſidentiā probandam putantes, quæ potius improbanda ſit:crudus enim humor candicans cum urina excretus,interdū ſubſiſtit,ut ſubſidentiæ imaginem reddat.ſæpe etiā ex hepate aut renibus male affectis pus eiectum fundo inhæret, ut facile fallat:ſed artificē animaduertere oportet,an in homine renes prius aut hepar aut qdpiā eorū q̄ per urinas expurgari cōſueuere,male habuerint: ita eñ pus erit,qd' etiam fœtore deprehendit.humor crudus à bona ſubſidentia diſtinguitur inæqua-

inæqualitate ſubſtantię:nam neq; ſibi ipſi continuum permanet,ſed diſſecatur in paruas ueluti arenulas,neq; omn no habet ueræ ſubſidentiæ lenitatem. laudabi-les ergo urinę ita progrediunt̃.apparet primo nubes,inde fex ſuſpenſa,poſtremo materia ad fundum matulæ decumbente ſubſidentia conficitur perfectæ coctio-nis nota:ea enim reſidentia indicat naturam extranea noxiaq; recrementa ab utili ſanguinis ſucco ſeparauiſſe,cuius ſanguinis ſerum urina eſt.at in crudis humori-bus contra euenit.ſtatim ab initio plurima copia matulæ fundum petit,toto liquo re improbi coloris exiſtente: inde coctione attenuationeq; paulatim procedente, ad medium liquorem eleuatur,& fecis ſuſpenſio efficitur. ubi uero concoctio at-tenuatioq; multum profecerint,liquoris ſuperficiem inſidet,ac nebulam facit,im-peritosq; decipit,uerentes ægritudinem in deterius proficiſci.

Vrina tenuis ac palleſcens quid ſignificet. Cap.xxx

AB urinę tenuitate cruditas,à pallore concoctio mediocris deprehendit̃,non leue imbecillioris naturæ argumentũ,colorem quidem tanq; rem factu faci lem immutantis,ſubſtantiam uero tanq; difficiliorem relinquẽtis.quod ſi diutius perſeueret,pericl itatur homo,ne ante morbi cõctionẽ deficiat.multa enim tenui-tas improbã cruditatem declarat,quoniam calor ſubtiliores partes depaſcitur.

Vrina tenuis & ruffa. Cap.xxxi

Liquore tenuis,colore ruffa, melior quidẽ q̃ pallida:cruda tamen liquoris ra-tione iudicanda eſt.

Vrina rubea. Cap.xxxii

VRina rubea cruditatem nõ mortem ſignificat,ad maturationem tempore in digens:cum enim ab aquoſiori ſanguine excoletur,qui nondum exactã co-ctionem proprium ue colorem ſuſceperit, diuturniorem morbum fore portendit. in febribus uero continuis quas ſynochas uocãt, ob ſanguinis copiam generatis urina rubea & craſſa cum rubra ſubſidẽtia excernitur, quam conſtat coloris & li-quoris & ſubſidentiæ ratione crudam eſſe appellandam.

Vrina tenuis mincta quæ mox extrà turbatur. Cap.xxxiii

VRina tenuis mincta,quæ poſtea conturbatur ob craſſi ſpiritus copiam cru-da eſt:indicat tamen naturam coctionem incepiſſe.

Vrina craſſior mincta & craſſior permanens. Cap.xxxiiii

QVæ craſſior & mingitur & permanet,nec quidpiam deponit qualis iumen torum eſt, uigere indicat craſſorum humorum ſpirituumq; ueluti fermen-tatione, ideo capitis dolores aut adſunt aut aderũt, propter humorũ turbulentias euaporationesq;.

Vrina craſſa quæ poſtea deponit. Cap.xxxv

QVæ craſſa mingit̃ ac poſtea deponit,ceſſare iam humorũ fermentationẽ at tenuationemq; factam notatu dignã diſcretionemq; inceptam ſignificat.

Vrina alba tenuis talisq; permanens. Cap.xxxvi

EXtremam cruditatem alba tenuisq; urina ſignificat: natura enim nihil peni-tus ad coctionem erigitur,quod euenit,uel ob uirium imbecillitatem, uel ob obſtructionem, uel quod morbus diuturnus ſit:nam in quartanis quæ diuturniſſi mæ ſunt,ob craſſitiem cõtumaciamq; materiæ,tenuis in principio urina excolat̃: mingitur tamen tenuis ob hepatis quoq; renum'ue obſtructionem, ſed à loci do-lore diſcernitur.nonnunquam & in febribus incendentibus urina tenuis eſt, phre nitimq; inſultantem portendit: ardens enim febris ob bilis copiam ſit,cuius colo-re ſi urina nõ inficitur, conſtat bilem in uaſis non permanere, ſed ad cerebrum ob leuitatem aſcendere.ſi ergo in his phrenitis non affuerit, ſcito iam proxime futu-ram.quod ſi præſente phrenitide cum ardentiſſima febri tenuis adhuc & alba uri na perſeueret,perniciem plerũq; portendit:neq; enim cerebri uires iam ab incen-dente febri proſtratæ acumen mordicationemq; bilis iam putrefactæ tolerabunt.

Quænam

Quænã oleaginarũ differentiæ urinarũ & quid ſignificent. Cap. XXXVII

CONſueuit febris eliquare pinguedinẽ, inde carnẽ, poſtremo ſolidas etiã partes incendere. pinguedine ergo liquefacta oleaginæ urinæ excernunť, quæ cum paulatim liqueſcant, habet colliquatio principiũ, incrementum & uigorem: in principio urinæ ita olei colorem imitantur, ut aquoſæ ne ſint, an oleaginæ ambigatur: in incremento inſignior iam & cõſpicatior oleoſæ ſubſtantiæ mixtura detegiť. in uigore totæ omnilariã urinę & colore & liquore oleaginę planè ſunt: eliquata uero pinguedo aut renum tãtum eſt, aut uniuerſi corporis: ſi renum tantũ, copia conſerctim excernitur, calorq́ꝫ plurimus circa renes percipiť: ſi uniuerſi corporis, tarde procedit, & paulatim ſuſcipit incrementum.

Quid indicet ſubſidentia oroborum ſpecie. Cap. XXXVIII

ABſumpto adipe caro liqueſcit, atq́ꝫ in urinis ſubſidẽtiæ oroborum ſpecie apparent: ſed & hæc aut renum tantum, aut uniuerſi corporis ſunt. ſi ergo in febribus talis urina apparuerit, uniuerſi corporis affectum demonſtrat: ſi non adſit febris, renum duntaxat. præterea urina alioqui cruda exiſtente totius corporis uitiũ eſt: ſi cõcocta fuerit cũ ſubſidentia oroborũ ſpecie, renũ ægritudinẽ indicat.

Furfuracea ſubſidentia quid ſignificet. Cap. XXXIX

VBi febris adipẽ totum & maiore partem carnis abſumpſerit, ita ut iam profunditatẽ carnis obſideat, furfuraceæ ſubſidẽtiæ cõtingunt anguſtiores quidem lamineis, ſed craſſiores. accidit quidem & hoc in ueſicæ morbis. quæ uero totius corporis uitio eueniũt, cũ febri & urinæ eruditate iunguntť. cõtrà, quę ob affectam ueſicã cõtingunt, ſine febri cũ urinæ cõcoctione nõ abſq́ꝫ loci affecti dolore excernuntur.

Laminea ſubſidentia quid portendat. Cap. XL

VBi ſolida mẽbra tabeſcere incipiũt, laminea quædã in urinę ſupſicie efferueſcunt, q̃ quidẽ ueſicæ etiã ratione cõtingũt, ſed febri & cruditate & dolore, ut pxime diximus diſtinguunť.

Pultacea in urinis quid indicẽt. Cap. XLI

VBi uero febris obſeſſa profunditate, longe lateq́ꝫ ſubſtantiã incẽdit: ſolidiora iam furfuribus ſedimẽta fiũt, quæ pultacea uocanť. hæc uel ſanguinis aſſationẽ uel uehemẽtẽ ſolidarũ partiũ colliquationẽ ſignificãt: ſi cãdida fuerint, ſolidæ partes colliquanť, ſi rubra ſanguis aſſať.

Vrinę fœtidæ ſignificatio. Putredinem & naturæ mortificationem portendit. (Cap. XLII

Vrina nigra quid indicet. Cap. XLIII

OMnes urinę nigrę cõ feſtim & craſſę ſunt: raro enim aut nunq̃ tenuis ſimul & nigra inuenitur. nam urinæ ad atrum colorẽ permutantur, uel melancholici humoris, uel ipſius atrę bilis excretione, ſiue atra bilis à frigiditate, ſiue à torrefactione genereť: & quodcunq́ꝫ horum trium generũ fuerit, craſſiſſimæ ſubſtantiæ eſt. oportet ergo urinas atras, etiam craſſas eſſe, quæ ubi in acutis morbis contigerint, pernicioſiſſimæ ſunt: præſertim ſi fœtidæ quoq́ꝫ fuerint, & ſubſidentiam nigrã habuerint. fieri enim nequit, ut qui talem urinam meierit, ſalutẽ conſequať: & ſi ſubſidentia quidẽ ſit atra, planè exitialiſſima eſt: ſi fex ſuſpenſa, minor aut nõ ſimilis pernicies: ſin nubecula nigreſcat, minus adhuc periculũ imminet. præterea ater color quandoq́ꝫ frigiditatẽ, quãdoq́ꝫ calíditatẽ aut torrefactionẽ indicat: ſi igitur liuida prius urina, deinde nigra mingať, in cauſa frigiditas eſt: ſin fuluæ nigra ſucceſſerit, cõſtat à nimio calore torrefactã. animaduertendũ tamẽ in febriũ quartanarum declinatione, aut melancholicis delyriis, quando ſoluuntur urinas nigras craſſasq́ꝫ reddi, ſed nos eas in acutis morbis pernicioſas eſſe affirmauimus.

De egeſtionum ſignificatione. Cap. XLIIII

EGeſtio naturalis ſicuti etiam in urinis diximus, tanquã regula quædam à nobis noſcenda, quæ in utram partem deflexerit, coctionis uitium declarat. optima igitur

ma igitur egeſtio mollis compacta æqualisq; eſt, hora ſolita exquiſitiſſime pro ratione alimenti reddita, bilioſo colore, id eſt ſubruffo moderate tincta, nec multum olida. talis ſecundum naturam eſt: conſtatq; ſtomachi inteſtinorumq; robur indicare. quodcunq; horum aberrauerit præter naturam dicetur: nam ſi uel fœtidior, uel aſpera, uel arida, uel dura, uel diuulſa, neq; cum humore ſubacta, uel cum ſtridore, quopiam ue ſonitu, præter rationem excreta: talia cuncta concoctricis uirtutis impotentiam demonſtrant. peiora ex iſtis ſumme quidem ruffa bilis flauæ redundantiam, nigra bilem atram, aut torrefactum ſanguinem, liuida interaneorũ algorem mortificationemq;, pinguis uero atq; oleagina adipem eliquari arguit, colorum diuerſitas cum uehementi fœtore, exuberantem diuerſorũ humorũ putredinem indicat. in his tamen omnibus attendendũ, ne uel alimenta talis naturæ fuerint, uel inteſtina ob innatam imbecillitatem defluxum pati conſueuerint.

De egeſtionibus quæ iudicationis ratione deferuntur. Cap. XLV

AN uero egeſtio alicuius morbi iudicatio futura ſit, nihil habet quemadmodum reliqua, quod aperte ſignificet: ratiocinio tantum aſſequimur, adeſſe quidem iudicationis notas, nec uomitus, aut fluxus ſanguinis narium, aut talium cuiuſpiam ſignum apparere. obſeruandum præterea an plura egerãtur quàm ante iudicationem conſueuerint: ita enim indicatur illac potius impetum fore, detenta præſertim urina. ad hęc inſignis grauitas, dolor, tenſio in hypochondrijs & lumbis, alui excretionem præcedunt: ſed quoniam per hæmorroidas quoq; & per muliebria loca iudicium fieri poteſt, ſuntq; utrorumq; cõmunes quas diximus notæ, animaduertẽdum an propter cõſuetudinem quidpiam horum expectari debeat. ſi uero in principio ægritudinis aut in incremẽto uenter aſſidue humidiſſima egerat, ueluti bilioſa quędam mera, perſeueretq; febris, ac bilis incenſioq; augeantur, periculoſus plerunq; morbus exiſtit: ſi tamen in uigore ſponte citẽ aluus, ſæpiſſime morbus ſoluitur. ſimili modo in diuturnis affectibus citata interdum aluus totam morbificam materiam expulit: ſed in acutis ægritudinibus ſincera nigra nulli commixta & fœtida ubi excernantur, præſertim in principio peſſima ſunt. Incipiente, inquit, quocũq; morbo bilis nigra, ſiue ſuprà ſiue infrà reddatur, letalis. ac rurſus: Quicũq; ob morbos acutos uel diuturnos, uel ob aliquod uulnus attenuati nigram bilim egeſſerint, poſtridie moriunt. non abſolute tamen ſi quis atra egerit, confeſtim bilis atra eſt. contingit enim ſanguinem ubi à proprijs locis exciderit, temporis mora refrigeratũ grumeſcere, nigrumq; aluo excerni: idq; in his præcipue quos hepaticos uocant. diſcernetur atra bilis effuſa ſolo, inſtar enim acerrimi aceti radit fermentaturq;.

De uomitu prænoſcendo & indicationibus ab ipſo. Cap. XLVI

IMminente iudicatione uomitũ expectare oportet, ſi pulſus uehemẽs & in contractione magis feſtinus, duriſſimusq; & inæqualis fuerit. præterea cordis dolor, quem cardiogmon uocant, ingens oris ſtomachi mordicatio ſimul cum capitis dolore, uertigo atq; ante oculos tenebræ imaginariæ, labij tremor, plurimæ tenuisq; ſaliuæ defluxus, nauſea, ilia tactu frigida, ſingula hæc eueniunt bilioſis ac mordacibus humoribus in uentre ac ſtomacho collectis, erodẽtibus ſimul & contrahentibus totam inferioris ſtomachi partem, unde & tremor labij & ſaliuæ defluxus: quod ſi his quoq; rigor acceſſerit, extemplo uomunt. utiliſſimus uomitus qui ex pituita ac bili permixtus eſt, præſertim ſi craſſus non fuerit: ſincerus meraciorq; reprobandus. talis enim uiolentus, difficilis, diſtrahens, præter id quod puræ etiam bilis dominantis indicium eſt. ſed uarietas quoq; culpanda, ut ſi humores uomantur liuidi, nigri et porracei, mali ſunt, ut teſtatur Hippocrates. ſi quis uero ſimul omnes uomuerit, letale eſt: peiores horum in acutis incendẽtibus que

morbis

morbis liuidi & nigri, præſertim ſi fœtidi ſint. hic quoque aduertendum, ne ſanguinis qui ad uentrem defluxerit, ibiqꝫ moram contraxerit grumi excernãtur: plurimis enim id per certos quoſdam circuitus euenit, quod tantum abeſt ut lędat, ut etiam peracto uomitu conſerat.

De fluxu ſanguinis narium prænoſcendo, & de indicijs ab ipſo ſumptis. Cap. XLVII

FVturi è naribus fluxus peculiaria ſigna præcedunt, ſplendor ante oculos ob humorem flauum: hebetudo ob uaporum multitudinem, iiſdemqꝫ cauſis oculorum rigor, faciei præcipue malarum rubor, iliorum abſqꝫ dolore extẽſio, anhelitus difficultas ob ſanguinis tranſitum per thoracem, capitis colliqꝫ dolor, pulſatio temporũ proxime cum iudicatoria acceſſione inuadens, neqꝫ ab ægritudinis principio aſſidens. delyria ſæpenumero repentiniqꝫ inſultus, pulſus alti, uehementes, magni, in dilatatione magis feſtini. quod ſi ad hæc pruriant nares, iam iam proxime ſanguis erumpet: præſertim ubi uehementior circa faciem ac tempora dolor inſtiterit, ac ſi ſano quoqꝫ fluere conſueuerit, iam ſpem prope certam cõcipies. talia futuri ſanguinis fluxus indicia ſunt, quæ ſi in principio crudo exiſtente morbo apparuerint, periculum minantur: his enim in principio apparentibus, inquit Hippocrates, uehemens delyrium portenditur, & plerunqꝫ moriuntur. ubi uero manifeſte coctiones præcipue in urina affuerint, & in morbi uigore conſtiterint, ſalus affertur. ſoluunt etiam huiuſcemodi ſanguinis fluxus, uiſcerum inflammationes, in febribus præſertim ubi κατίξιν, id eſt ſecundum meatuum rectitudinem fiant, ut inflammato hepate è dextra nare, ſplene uero è ſiniſtra, facillima hinc medico cõiectura, ut narem etiam diſtinguat qua profluuium futurum ſit cognita à membro dolente cauſa. ſoluit præterea fluxus ſanguinis narium phrenitidem, non tamen lethargum aut peripneumoniam.

Quod & per hæmorroidas & muliebres purgationes ſæpe ſoluuntur morbi. Cap. XLVIII

VIdimus ſæpenumero hæmorroidibus erũpentibus, aut muliebri profluuio, ſolutas ægritudines: oportet tamen in his quoqꝫ coctionem præcedere, & morbi uigorem accedere, ut bona tutaqꝫ iudicatio fiat: iudicant hæc inſignis grauitas & lumborum præcipue, ſed ſuminis quoqꝫ dolor & tenſio.

De ſudorum indicatione. Cap. XLIX

FEbrim per ſudorem ſoluẽdam ab ipſius feruore noſcemus, ut ſi febris ardens fuerit quam cauſon appellant: bilioſus enim hic morbus eſt, & cum uehementer mouetur rigorem inducit. ſi ergo imminente iam iudicatione pręter rationem aluus aut urina retineanť, rigor expectandus eſt: ſi uero utraqꝫ ſimul ſiſtanť, neqꝫ uomitus ſanguinis ue fluxus indicia fuerint, plurimus ſudor neceſſario conſequetur: præſertim ubi inualeſcente exacerbatione ægri in locutione uacillent, calidioresqꝫ extrinſecus fiant: uaporqꝫ quidam tepidus non antea ſolitus reddatur è corpore, qualis in his contingit qui nuperrime loti ſunt, pulſusqꝫ magni, alti, ueloces, in dilatatione magis feſtini, ac ueluti fluitantes fuerint, tunicaqꝫ arteriæ mollis ac ſubhumida appareat: uniuerſaqꝫ corporis ſuperficies pruriens, tenera & quandoque rubra: hæc ſi coctione præcedente atqꝫ in die decretorio laudabili, inqꝫ decretoria acceſſione contigerint, ſalutem illaturos ſudores indicabunt. conſtat ſalubrem ſudorem moderate calidum eſſe oportere toto corpore effuſum, leuitatem iucunditatemqꝫ ægro afferentem. frigidi uero ſudores cum acuta quidem febri letales, inquit Hippocrates, cum mitiori uero morbi longitudinem indicant.

Decrementum abſceſſuum notæ. Cap. L

SI uero in abſceſſum uertatur morbus ſalubriter ſe habente ægro, ſummopere aduer-

aduertendum eſt:nam febri longa & continua perſeuerante,tenuibusq; et crudis urinis abſq; ulla ſubſidentia exiſtentibus,ſi poſtea in aliquo inferiori membro,ueluti cruribus aut articulis ſine cognita cauſa præcedente grauitas, aut tenſio,aut ardor,aut dolor emergat,abſceſſum futurum expectato.at ſi anhelitus difficultas quæ repente inuaſerit,repente ſedetur: dolorq; & grauitas capitis cum ingenti ſopore & ſurditate ſubſequatur : in quapiam glandularum quæ ſunt poſt aures abſceſſum fore neceſſe eſt.in hyeme uero his qui triginta annos exceſſerint, potiſſime abſceſſus fiunt.

De ſputorum ſignificatione. Cap.LI

IN laterum pulmonumq; affectibus ea quæ proprie appellãtur ſputa ſubſidentiæ urinarum uicem gerunt:nihil enim expuere ſed arenter tuſſire tantũ, quemadmodum in urinis extrema cruditas eſt:ſin humida quidem educi incipiant, ſed exacte cruda,ſubobſcura eſt adhuc inconſtansq; tranſmutatio, deſiniq; tunc prima ægritudinis pars,uidelicet principium. ubi uero paucula maturaq; expuũtur, continueq; ſubinde plura & facilius educuntur,id iam incrementum uocamus.at ubi iam planè matura, plurima ac facillima excreãtur, ad uigorem morbi peruentum eſt:ubi tandem ſimili quidem modo matura placidiſſime educuntur,ſed pauciora amoto dolore,iamq; patiens facile ſpiret,& facile morbum ferat,tunc certiſſima declinatio ſucceſſit. Illud præ cunctis aduertendum , uelocius ne an tardius ſputa excreari incipiant:nam & Hippocrates in pleuriticis inquit, Sputum ſi ſtatim à principio apparuerit,morbum corripit: ſin poſterius, producit.porrò ſputa ſubruffa,ſubflaua,ſubſpumea & ſubtilia,ſolius cruditatis indicia ſunt,nullum ultra inſigne malum portendentia:exacte uero flaua,ruffa,uiridia, ſpumea,uiſcida, rotunda,nigra,uituperanda omnia. præter ſanguinem enim quicũq; reliquorum humorum ſincerus purusq; fuerit , uitioſam indicat diſpoſitionem à malo caloris temperamento generatam.ſed qui ad ſanguinis pituitæq; naturam tendunt, moderati ſunt: qui uero ad bilim flauam aut atram receſſerint,periculoſi.attendẽdus quoq; ſcreandi modus:ſcreatus enim facilis quantum in ipſo eſt,probandus: difficilis,culpandus,præcipue ſi quæ ſcreãtur liuida ſint aut nigra,aut æruginoſa, aut quæ carbonibus iniecta uehementer fœteant.

Quæ indicent morbum fideliter exacteq; ſolutum. Cap.LII

MOrbum exacte fideliterq; ſolutum cenſere oportet, ubi omnia ſimul ſalutis ſigna conuenerint : ſiue igitur in uigore repente iudicata ſit ægritudo,ſiue in declinatione paulatim euanuerit , nunquid ſtabilis firmaq; hæc ſalus credenda ſit,his ſignis colligito. primum maximumq; probæ ac fidæ iudicationis indicium eſt,maturatio in diebus indicantibus cum robore uirium præmonſtrata:deinde ſi in die impari iudicatio fuerit,febrisq; à decretorio quieuerit,reliquaq; omnia accidentia receſſerint:& ſi color in facie totoq; corpore pro euacuationis ratione floridior ſit,pulſus laudabilior,uires in aſſurgendo ualidiores,maiorq; ad ſingula agilitas,coctionesq; alimenti & diſtributiones,actionesq; naturæ uniuerſæ inculpatæ fiant,reualeſcatq; pro refectionis ratione corpus,cutisq; naturalem habitũ conſequatur. talis optima iudicatio eſt, ut tutò iam alere congruaq; uictus ratione & balneis uti poſſimus.at ſi iudicatio deliquerit,morbus recidiuus eſſe conſueuit.

Quid indicet morbum imperfecte ſolutum eſſe. Cap.LIII

REcidiuam uerendam iudicamus , quando ſoluta quidem uidetur ægritudo, permanent tamen urinæ,pulſusq; prioribus ſimiles,priſtinusq; pallor & grauitas,reliquaq; omnibus his quæ proxime retuli oppoſita:utq; ſummatim dicam, quoties præter rationem ægritudo ſoluitur,recidiuam timeto.

Prænotio diei in qua æger ſit moriturus. Cap. L IIII

MOrbo ad perniciē tendente in ſingula quaqꝫ inuaſione exacerbationes ſpectare oportet, an quotidie, an alternis diebus, an alio quodāmodo excitentur: & ſi ex non intermittentibus febris fuerit, attendendū, diebus ne imparibus, an paribus magis angatur æger: conſtat enim ea die uel nocte quæ moleſtior expectatur, moriturum. quod ſi uirtutem morbus lōge ſuperet, ſtatim morietur: ſin uirtus quidpiam reſiſtat, poterit unam alteramue diem ſuperuiuere, fieriqꝫ omnino nequit, ut moriturus ad morbi declinationem perueniat. perquam rarum enim eſt in declinatione aliquem ratione morbi interire, niſi aliqua ſuperueniēs ægritudo priorem exceperit. neqꝫ tamen neceſſarium eſt obiturū morbi uigorem attingere: plerunqꝫ enim uel in principio uel in augmento moriuntur ægri.

Quod & horam futuræ mortis poſſit artifex præcognoſcere. Cap. L V

CVm quatuor ſint particularis exacerbationis tempora, obſeruare oportet, quanam diei noctis ue hora exacerbatio moleſtior fieri ſoleat, & qua eiuſdē exacerbationis hora æger ſeipſo grauior ſit, ſiue id in prima inuaſione, ſiue in incremento, ſiue in uigore contingat. eadem enim hora qua ignauior languidiorqꝫ fuerit, omnino morietur. in exacerbationum principio pereunt, quibus inflammationes magnæ in principibus membris eueniunt: aut hi quibus humoribus craſſis ac uiſcidis confertim interius cōfluentibus, meatus ſpirituum repente obſtruuntur, tanquam ſuffocata extinctaqꝫ natura, haud ſecus quàm flamma plurima uiridium lignorum mole reſtingui ſoleat. in uigore autem & in incremēto ob uiolentiam ægritudinis expugnata natura, moriuntur ægri, ſed in declinationibus intereunt quibus uitalis tenor paulatim exoluitur: nam in pernicioſis declinationibus imbecillior ſubinde factus paulatim decidit pulſus, elabente ſimul cum reliquis omnibus febrili quoqꝫ calore, ita ut inde opinionem quandam ſpei melioris imperiti cōcipiant. at ægri interim uel ad ſellam ſurgentes, uel aliter ſe mouentes, animo delinquuntur, modicumqꝫ quidpiam ac uiſcidum exudantes intereunt.

In acutis ægritudinibus mortem exquiſite non prædicendam. Cap. L VI

ACutarum ægritudinum fallaces ſunt coniecturæ: hinc enim repentinum periculum, hinc peruagantes humores, hinc igneus præcepsqꝫ febris impetus certi termini notas præuertunt: propterea & Hippocrates acutarum inquit ægritudinum non omnino tutæ ſunt prædictiones uel ſalutis uel mortis.

De febrium diuiſione ac primo de ephemeris. Cap. L VII

INter ægritudines ob intemperiem contingentes, febris quoqꝫ connumeratur, quando calor præter naturam ita inualeſcit, ut hominem aperte lædat, conſuetisqꝫ actionibus interdicat: qui quidem uel qualitate diſtinguit, prout magis aut minus intenditur, uel ſubiecto. nam uel ipſum cordis corpus, uel humores, uel aeream ſubſtantiam incendit. à quopiam enim eorum ſemper incipit calor, & niſi ſalus præuenerit, reliqua duo genera progreſſu tēporis ſimul afficit. in ſpiritibus ergo ephemera, in humoribus febris putrida, in corpore cordis hectica accenditur. quidam enim facili calore febriunt, ut lignum ſole calefactum. quidam feruētius ardent, tanqꝫ lignum ab igne inflammatum, ut iam fumus reddatur. quidam plane exuruntur, ſicuti lignum ad carbonis naturam tranſiens. erunt itaqꝫ tria febriū genera, ephemera, putrida & hectica. ſed de ephemeris primo habēdus eſt ſermo, quæ abſqꝫ ulla prorſus putredine ſpiritu tantū inflāmato ſicuti diximus, generantur, diem ferè non excedētes, unde & ephemeris nomen inditum. ægri enim poſt primam declinationem loti, alimentoqꝫ boni ſucci & humido recreati, à ſecunda acceſſione immunes euadunt, propria inſeparabilisqꝫ ephemerarum nota eſt, in prima ſtatim die urinarū cōcoctio & caloris ſuauitas. tranſacta acceſſione certior

dignotio

dignotio ab arteriarũ motu percipitur, ſanis omnino ſimili, quod nulli cæterarum febrium contingit: nec paruum ſalutis indicium ægri leuitas eſt, urinæq; poſt febrim longe meliores ꝙ in principio fuerint. lotos præterea nec horror ullus inſolens, neq; alia quædam moleſtia infeſtat. ſi ergo poſt balneum ſubſequentẽ leuitatem deprehenderis, eos iam tuto ales, uinumq; affatim bibendum dabis, quãtum præſenti negocio ſuffecturum uidebitur. ad hoc febriũ genus parati ſunt è quorũ corporibus nihil uaporoſum, ſed acre fumoſumq; effluit: quo retento calor inde collectus febrilis reddit̃. procatarticæ uero cauſæ ſunt, laſſitudines, algores, uigiliæ, curæ, triſtitiæ, iræ, rigor, æſtus, cruditas, cutis cõdenſatio quæ tranſpirationem impediat.

De ephemeris à laſſitudine. Cap. LVIII

PRæ laſſitudine febrientium cutis aridior ꝙ in cæteris ephemeris ſit, acciditq; id præcipue his qui poſt plurimos labores etiam refriguerint: in quibus poſt febris quoq; declinationem ariditas perſeuerat, pulſusq; paruiores fiunt. qui uero non ita defatigati fuerint, roridos quoſdam uapores è profunditate corporis reddunt, pulſusq; magnos habent. hos dulci prius tepidoq; oleo ſuauiter perfricatos ad dulciũ aquarum lauacrum ducere oportet. quod ſi in balnei quoq; aere morari permiſeris, ratione frigiditatis, nihil nocebis, poſtremo quietem imperabis.

De his qui ob uigilias, curas, triſtitiam atq; iram febrierint. Cap. LIX

OB uigilias febricitantes improbus quidã color cum ſubobſcuro tumore, cauitasq; oculorum incerto motu uix genas attollentium diſtinguit. ob triſtitiam uero aut curas affectis, oculi non concaui tantùm, ſed aridi quoq; fiunt: omnibus his paruitas pulſus communis eſt. at qui ob iram febricitãt, neq; oculorum cauitatem, neq; improbum colorem, ſed amplam caliditatem, tãquam ex profundo eleuatam, maioresq; pulſus habent. prædicti ergo omnes, neq; frictionibus neque multis indigẽt balneis, ſed oleo nihil adſtrictionis habente affatim perfundendi, parceq; fricati pro conſuetudine lauandi.

De his qui ob æſtum febricitant. Cap. LX

OB æſtum febricitantes, ſtatim à principio refrigeratione plurimiſq; dulciſſimarum ac temperatiſſimarũ aquarum lauacris, ſolaq; modici olei perfuſione, ſine frictione curare oportet: ſintq; capiti applicata quæ refrigerent, ut omphacinum, ex eoq; confectũ roſaceum ſale penitus carens. ad quæ refrigerãda uas ita in puteo ſuſpẽdito, ut aquam attingat: ſed & oleum gelida aqua aſperſum, aut uaſe extimo niue illito efficacius reddetur, quod ita algefactum deinceps lana excipies, ac ſuſpenſa in ſublime manu exprimẽdo ſincipiti inſtillabis: idq; inceſſanter ad febris uſq; declinationem efficies. poſtea dulcium & temperatarũ aquarum lauacra admouebis, ita ut aeris balnei tranſitus tantum concedatur.

De febricitantibus ab algore. Cap. LXI

SI quis algefactus ob detẽtas fumoſas intra cutim trãſpirationes febriat, is quoque ad balneum in febris declinatione ducendus eſt, caputq; & ante lotionem & poſtea, irino unguerito, aut amaracino, aut nardino fouendum.

De febricitantibus ob coryzam diſtillationemq;. Cap. LXII

OB coryzam febricitãtes, ſi à frigore cruditateúe diſtillatio fuerit, ante coctionem lauandi nõ ſunt, ſed caput irino, aut amaracino, aut nardino fouendũ. at ſi ob æſtum excalfacto capite diſtillatio contigerit, attracta inſtar cucurbitulæ ab inferioribus membris materia, ij ſtatim ad dulcium temperatarumq; aquarum lauacrum ducendi, frigidaq; mergendi, et ſcaturienti riuulo ſupponendi, inq; ipſo balneo caput oleis frigidis moderate irrigandum.

De febrientibus ob cutis denſationem. Cap. LXIII

DEnſatur cutis aut algore, aut qualitate adſtringente præter morem inducta,

quod aluminoſa balnea maxime poſſunt. talium cutis ad ſummam conſtipationē peruenit, ut tactu quoq; diſcernaẗ caloris motus mitior quidem prima manus adiectione, ſed diutius perſeuerante tactu acrior ſubinde fit, urinæ nequaquam uelut reliquorum ſubruffæ, ut iure eos non ali conqueri nequeamus: ideo nec corporis tumor concidit, neq; oculi caui aut aridi fiunt; immo quibuſdam humidiores eminentioresq; ſunt, q̃ peculiaris natura poſtulet, quoniam non exhalarunt, ſed intra potius occluduntur materiæ: eadem cauſa nec minores pulſus inuenies, uelut in curis, triſtitia, uigilijs, immoderatisq; exercitijs. hos poſt exacerbationis declinationem dulciſſimæ temperatiſſimæq; aquæ lotionibus curare oportet, iubereq; ut in aere balnei perſiſtant, oleoq; dulciſſimo tepido perfuſos, moderata ſuauiq; frictione recreare, dandumq; tenue alimentum, ac uinum ſubtile & album.

De febrientibus ob famem. Cap. LXIIII

SI ob famem febris cõtigerit, declinãte exacerbatione ad balneum æger ducendus eſt, plurimoq; dulciſſimo ac tepido oleo perfuſus ſuauiſſime fricãdus, diutiusq; in calida continendus: egreſſo uires reficiendæ, inde rurſus ad balneum ducendus, calidaq; immergendus. mox ubi egreſſus fuerit, ſedata balnei perturbatione calida propinanda, tum ptiſanæ cremor exhibendus, & interdũ ex albo iure piſces ſaxatiles.

Victus ratio cunctis ephemeris cõmunis. Cap. LXV

AD omnes ephemeras febres in uictus ratione cõmunis intẽtio eſt, ut edulia boni ſucci omninoq; concoctioni parata, diſtributioniq; idonea prębeãtur: calefactis quidem atq; iratis quę refrigerent & humectent, algentibus quæ minus nutriunt & moderate calefaciunt, uigilijs aut triſtitia aut nimia cura cõfectis quæ humectent pariter ac ſomnũ concilient, defatigatis quæ maxime nutriant. eos uero qui ad calidiorem ſicccioremq; corporis intemperiem diuerterint, oportet interdum uel in primo exacerbationis impetu ſtatim nutrire. uinũ omnibus ephemeris exhibendũ aquoſum, album, ſubtile: nam præter id quod coctionem adiuuat, urinas etiam & ſudorem prouocat: ſed uigilijs aut curis aut triſtitia maceratis uberius concedendũ, defatigatisq; quantũ conficere dominariq; poſſint: iratis tamen priuſq; omnino affectũ exuerint, uinum non tutò datur.

De febricitantibus ob bubones. Cap. LXVI

VBi abſq; procatartica cauſa inguinis inflammatio acceſſerit, ſanguinis multitudinem in uniuerſo corpore plerunq; ſignificat, eſtq; amplior in his q̃ in ſupradictis calor, facieſq; rubicunda ac tumida apparet. uena ergo incidenda eſt, priuſq; putrefacta in loco inflammato materia febrim à putredine incendat. poſt uenæ inciſionem tenui uictu uſq; ad ſalutem utendum, inguini ante phlebotomiã adſtringentia repellentiaq; applicanda, poſtea quæ relaxant ac per halitum digerunt. quibuſcunq; autem uel ob ictum pedis digitum uel tale quidpiam inguinis inflammatio aduenerit, & huius cauſa ephemera cõſecuta fuerit, tales in his quæ agenda ſunt, medico minime parent, ſed ulceri tantum, ob quod inflammatio euenerit intendentes, declinante exacerbatione lauãtur. arcendi à uino omnes qui ob bubones febriunt, tenuisq; uictus exhibendus, quouſq; liberentur.

De ephemeris quæ ob cruditatem eueniunt. Cap. LXVII

IN corporibus uitioſorum humorum accedentibus cruditatibus, uelociſſime febris accenditur, minuſq; incommodum ſequitur, ſi in cruditate uenter inferius erumpat: ſed non paruum ſequetur, ſi detineatur. febriunt tamen crudorum quidam etiam ſi fluxus aduenerit. ubi ergo ſola ea quæ corrupta fuerãt, euacuata cognoueris, declinante febri lauato & nutrito: ſed ſi euacuatio excedat, præſtat abſque lotione nutrire, obſeruando ea quæ uentri attinent, cuius curatio duplex. ſi enim non deſeranẗ amplius, abſinthiũ modica aqua madefactũ cum oleo in diplomate

mate decoquito,& hoc uentrem foueto: mox pãnum purpureum oleo perfuſum apponito. quod ſi imbecillius os ſtomachi fuerit, maſticham cum unguento nardino ad glutinis cõſiſtentiam cõmiſceto, purpuramq; hoc illitam applicato, ſintq; tactu calida quæ apponuntur: nam tepida ſtomachi tenorem exoluunt. ſed adhuc perſeuerante profluuio ſatius eſt optimo oleo è citonijs quidpiã nardi & uini modicum cõmiſcere: ad idem facit etiam maſtichinũ. ſi uero poſt euacuationem incendatur uenter, oleo è citonijs ſimili modo utitor, aut cerato quod ex ipſo conficitur. fluore autem alui diutius permanente, polenta nutriendi ſunt ægri, & pane qui ὀξυλιπὴς, quaſi ex aceto & pinguedine confectus uocatur: polentæq; punicorum ſuccus aut pirorum, ſed præcipue citoniorum addendus. ubi profluuiũ quieuerit chondrus alicæ, gallorũ teſtes, piſces ſaxatiles cum iure albo, ex fructibusq; autumnalibus adſtringentibus nonnulli offerantur. quod ſi appetendi uis deciderit, ita ut cibos ahorreant, medicamẽtum pepticon appellatum exhibeatur, quod ſucco aut carne citoniorum ac melle conficitur: nihilq; in eo uel ſaltem perquam modicum piperis ſit. ſi uero detenta aluo quiſpiã ob cruditatem febricitet, alimento adhuc in ſtomacho perſiſtẽte, conetur patiens plurima tepida epota immiſſoq; digito aut penna, totum quod infeſtat euomere: inde fouendo hypochondria quieſcere. at ubi iam ad inteſtina nutrimentũ deſcenderit, iubendum ut decliui facie ac ſtomacho recumbant, uenterq; fouendus ac ſomnus conciliandus. poſt ſomnum ad educenda excrementa glans ſupponenda, aut mitiori clyſteri quale eſt furfuris decoctum, aluus mouenda. uictus tenuiſſimus ſit plurimum abſterſionis continens. ſi flatus adſint cyminum, aut ruta oleo decoquenda, decoctumq; inijciendum: inde ita euacuato uentre alimenta exhibenda, & ſi placido ſomno quieuerint, poſtridie lauandi perfuſo uentre cum nardino unguento pauculo uini admixto: & poſt balneũ ſimili modo tenui uictu regendi. quod ſi tertia quoq; quidam febrile attulerit, ne ſic quidem timendum, ſed eodem pacto lauandi, moderateq; nutriendi dando ante cibum quodpiam ex his medicamentis, quæ ad iuuandam coctionẽ fiunt oxyporia appellata, & præſertim quod ex citonijs malis conficitur, quantum eſt cochleare unum.

Curatio ephemerarum plurium dierum quæ à ueris ephemeris facta cutis obſtructione originem ducunt. Cap. LXVIII

OBſtructis uaſis quæ prope cutim ſunt, in quaſdam febres decidit ex ephemeris perperam ab initio curatis: euenitq; id præcipue corporibus quæ uitioſos ſuccos ob nimiam edacitatem collegerint. In his prima ac ſequenti die non eſt in pulſu putredinis ſignum ratione dignum, neq; in urinis cruditatis. perſeuerante tamen declinatione neq; oportune recedente, ſuſpecta tibi ſit diſpoſitio. neceſſe enim eſt uitioſos ſuccos niſi perfecte exhalauerint, putreſieri. ſi ergo patiens puer aut ſenex fuerit, uenæ inciſionem nõ tolerat: medijs ætatibus aſſentiente uirtute ac notis plenitudinis atteſtantibus, pro uirtutis ratione & obſtructionis magnitudine ſanguinem mittito: maior enim in maioribus obſtructiõibus, minor in minoribus febris accẽditur. euacuata uero multitudine rarefactisq; meatibus, fumoſa quoq; ac fuliginoſa excrementa per halitum digeſta, pauciora reddentur, ſed ante euacuationem aperientibus medicinis nõ tutò utemur. quæ enim abſtergendi uim habent penetrando craſſos uiſcidosq; humores in uenis contentos conuerrunt, & anguſtorum meatuum obſtructionẽ congeminant: immo ſi cuti quoque abſterſoria applicentur, periculum eſt, ne ad obſtructos meatus aliud quidpiam trahat̃. ut igitur tuta & interius ductio, & exterius attractio fiat, utiliſſimũ eſt pro uirtutis ratione corpus exinanire, inde exinanito, non multos poſtea cibos & medicamenta abſtergentia adhibere: cibos quidem ſicut ptiſanam & aquam

mulſam: medicamenta ſicut oxymeli ex aceto tantum & melle confectum. quæ enim cum oxymelite concoqui ſolent, ueluti calamenthũ & ſimilia, febres incendunt, quod & uinum facit. oxymeli uero febres nõ auget, & generoſe abſtergit. tranſacta tertia ubi neq; in pulſu putredinis, neq; in urinis cruditatis ſignum appareat, ſuſpectaq; iam hora qua prima die febris inuaſerat prȩterierit, audacter lauandus homo: & ſi exacerbationis ſuſpitio hora decima fuerit, ante ſextam lauandus, atq; ubi in balneo corpus incaluerit, oleo dulci tepido perfundẽdus, & moderatiſſime fricandus eſt, deinde extergendus abluendusq; exterius, eligendo quidpiam quod temperate abſtergat, qualis & hordeacea farina & lomentũ: inde in tepida primo, mox etiã in frigida immergendus. poſt balneum uero ſi iam hora ſuſpecta trãſierit, moderate nutriendus eſt. ꝙ ſi circa decimã exempli cauſa, conturbatio quædã ſuſpecta ſit, nihil præter aquã exhibendũ in qua parum apij decoctũ fuerit: poſtea cõgruo tempore alẽdus erit, ubi hora quã uerebaris, nihil incõmodi attulerit. ꝙ ſi etiam attulerit, erit omnino moderatũ & leue, ut poſtridie tutò & lauare & alere poſſis. ſed ubi magna obſtructio inuaſerit, neceſſario putredo conſequitᷣ. huic ergo curatio quȩ ad febres putridas paulo infrà docebitᷣ adhibenda eſt.

De ſynochis febribus. Cap. LXIX.

SYnocha febris appellatur, cuius ab initio uſq; ad finem una eſt exacerbatio, alterius nullo prorſus indicio apparente. quæ corporibus boni habitus, multi ſanguinis ætatisq; calidioris peculiariter euenit: conſiſtit enim in calidi ſanguinis nondũ putridi copia, in quo plus æquo exaugetur calor, cum tranſpiratio à nimia ebullitione prohibeatur, quemadmodũ muſto in lagenis occluſo accidit: huius febris tempus præcipuum uer, tresq; ſunt omnino differentiæ. aut enim eadem magnitudine à principio uſq; ad finem perſiſtit, aut addendo quidpiam procedit, aut auferendo: id accidit prout maiores uel minores tranſpirationes fiunt, iuxta rariorem aut denſiorem patientis corporis habitũ. cauſa quæ has febres incendit, multitudo feruorq; ſanguinis eſt, interdum etiam craſſities. curationis igitur intentio erit multitudinẽ inanire, calorẽ præter naturã extinguere, craſſitiemq; incidere, ſi affuerit, atq; ita priſtinum temperamentum imbecillis partibus comparare.

De uenæ ſectione in ſynochis. Cap. LXX.

VAlida exiſtente uirtute, aſſentiente ætate, nulloq; alio inſigniter renitente, ſanguis auferendus, præſtatq; uſq; ad animi deliquiũ ducere, modo uirtus ferat: quibus uena non inciditur ad ſummum diſcrimen perueniunt, niſi uel uirĩũ robore, uel copioſo ſanguinis fluxu, uel plurimo ſudore à certa pernicie redimantur. cum multitudo enim in uaſis amplius contineri nequeat, obſtruit extenditq; corporis molem, ita ut infringantur quandoq;, recludanturq; uaſa præcipue nariũ. ergo feſtinandum eſt ut ſanguis auferatur, quantum uires tolerauerint, ſcilicet ut uaſorum facultas tranſpiratione uentilationeq; reſtituta naturale temperamentum conſeruans, more priſtino humoribus dominetur. animaduertendæ tamen ad uenam ſecandam regulæ. nam præcedente alimenti cruditate tandiu differendũ eſt, quandiu coctio in uentriculo peracta fuerit, & ab inteſtinis excrementa egerantur. ꝙ ſi poſt uenæ ſectionẽ uereberis ne nouus ſanguis erumpat, ut muliebris fluxus, aut hæmorrhoides, tantũ in phlebotomia ſanguinis relinquẽdum, quantum ad eorum locorum euacuationem ſuffecturum uidebitur. ſed ſi eodem omnino tempore uel menſes moueantur, uel hæmorroides aperiantur, totum negocium naturæ permittito: quæ ſi poſtea quantum oportebat non eduxerit, tunc uenam ſecato, ut utrunq; ſimul iunctũ perficiat quod ſeorſum defecerat. idoneus eſt ad phlebotomiã corporis habitus durus, multi ſanguinis, denſus, exhalationi reddendæ cõtumax, & humida aeris cõſtitutio. uenæ aũt ſecandæ obſtant, pueri-

lis ſeni-

ks ſenilisq́ ætas, temperatura calidiſſima & ſicciſſima, eiuſdemq́ naturæ tempus
& regio, & qui humidioris naturæ ſunt, adiuncta præſertim caliditate, cum raro
totius corporis habitu, & qui os uentriculi perq̃ bilioſum habuerint, aut imbecil/
lum, aut uegetioris ſenſus: tales eñ uniuerſi in uenæ ſectione, exolutionibus diffi
cillimisq́ animi deliquijs parati ſunt. ſed cui uena incidenda eſt, etiã ſi triginta ęta
tis annos non exceſſerit, languidus tamen ſit mollis, pinguis ac candidus, angu/
ſtasq́ uenas habeat, huic uel nihil uel parum admodum ſanguinis detrahes: nihil
quidem detrahes ubi æſtas, uel eiuſdem naturæ tempus obſtuerit. parum uero in
reliquis anni temporibus ſiue cõſtitutionibus. nõnunq̃ enim inter ipſas medico/
rum manus, quidã animi deliquio correpti, nõ amplius reuixere, qui certe non oc
cubuiſſent, ſi citra uiriũ exolutionẽ euacuati forent. alij reliqua deinceps uita ob
nimiã inanitionem in frigidiorẽ temperaturã delapſi ſunt, quorum aliqui decolo/
rati in deprauatũq́ habitũ uerſi, deniq̃ interierunt: aliqui pernicioſis morbis cõſe
ctu fuere, qualis eſt aqua intercus, ingensq́ illa ſpirãdi difficultas, quã orthopnœã
uocant, & cætera huiuſmodi. longe igit̃ præſtat quemadmodũ me aſſidue facien
tem uidiſtis, neq̃ dierũ numero, neq̃ tantũ plenitudini attendere, ſed uiriũ quoq̃
robur in omnibus quidẽ, ſed in ſynochis maxime febribus perpendere: ubi eñ ui/
res perſtiterint, nõ in ſexta ſolũ & ſeptima, uerũ in alijs quoq̃ deinceps diebus ue
na ſecanda eſt.

De aqua frigida exhibenda in ſynochis. Cap. LXXI.

AT ſi æger curandus ſit, qui non prius tantũ phlebotomię præſidiũ omiſerit,
ſed nunc quoq̃ uel metu, uel alia occaſione eandem effugiat, ad frigidã ex/
hibendam accedere oportet, diſtinguẽdo quod inde nocumentũ ſubſequi poſſit:
nam ſi paruum, uel nullum omnino prænoueris, frigida pura exhibenda eſt, uſq̃
ad bibentis ſaturitatẽ: exhibendi tempus erit quando in urinis coctionis ſigna de/
prehenderis: cauere enim principiũ & incrementũ debemus, & totius morbi par/
ticularisq́ exacerbationis uigorẽ eligere. nã ſi oportuno tẽpore frigida exhibeat̃,
ſolidorũ membrorũ naturã excitat, quę excitata attenuatis primo humorib. utiles
quidẽ retinet. inutiles uero aut per aluũ, aut per uomitũ, aut ꝑ ſudores expellit. q̃
ſi æger ſanitatis tẽpore frigidæ potor fuerit, audacius propinato, experimẽto edo
ctus uiſcera frigidæ occurſum toleratura. ſi eñ aliquod membrũ adeò frigidæ na
turæ fuerit, ut à frigida potione etiã ſanum lædat̃, futurũ omnino nocumentũ ue/
reri oportet: ſed ſi ſanos frigida nõ lædebat, prorſus neq̃ febrientes lędet, ignei ca
loris multitudine, ueluti maximo ꝓpugnaculo in profundo exiſtẽte. ideo in exan/
guibus & pauciſſimæ carnis hominib⁹, gelida potio fallax, extẽplo eñ ſolidas ani
malis partes carne nudatas ꝑtranſit. eadẽ ratione hectici frigida neq̃ multa neq̃
ſincera indigẽt, quoniã gracilia & exãguia corpora illorũ ſunt: in q̄bus igit̃ ægris
nõ leuem ſuſpitionẽ cõcepimus, à frigida prorſus abſtinebimus, reliq̄sq́ utemur
præſidijs quæ obſtructiones aperiãt, humorũ copiam euacuẽt, & feruorem febris
remittãt. importunus uero gelidæ potus craſſos uiſcidosq́ humores attenuari ac
diſcuti ꝓhibet: propterea ſi inflãmatio in aliquo uiſcere, ſiue eryſipelas, ſiue ad du
ritiei œdematis ue naturã uergens affectus fuerit, nihil ad eorum curationẽ frigi
dæ potus confert: ſed protinus quidem febri iam factæ extinguendę nõ leuẽ com
moditatẽ afferre uidet̃: cauſa uero permanẽte ubi à frigida corpus denſatũ fuerit,
febris altera priore difficilior incẽdit̃. & hoc quidẽ nocumẽti genus uideri poſſet
toleratu facilius, ſed multis quibus uiſcera ſunt imbecilla, à frigida potione incom
modum minime cõtemnendũ superuenit: cuidã enim os ſtomachi uſq̃ ad ꝓpriæ
actionis internitionem affectũ eſt, ut uix poſtea deglutire poſſet. alterius uẽtricu/
lus adeò refrixit, ut ſumma cum difficultate cõcoqueret. cuiuſdã hepar ita uiola/
tum eſt, ut in hydropem inciderit. plurimorũ uero colum, pulmo, renes, ueſica, aut

aliud quidpiam à frigida oppreſſum deinceps ad peculiares functiones imbecil/lum permanſit.nõnulli extemplo ac bibiſſent,in orthopnœas,improbos ſopores, lethargum,parotidas,conuulſiones,tremores,apoplexias inciderunt: atq; ut ſum matim dicam, omne neruoſum genus à frigidæ potu uiolatur. noui me iſta enu/merando,formidoloſum te ad frigidam exhibendam reddere.uidiſti me tamen ſę penumero in arte exercenda ſuo tempore & ut oportebat, hoc uſum præſidio,æ/gris ſemper abſq; ullo prorſus nocumento profuiſſe.

Victus ratio in ſynochis. Cap.LXXII

HIs quibus uena ſecta eſt,poſt duas à ſectione horas ego ſemper ptiſanæ cre/morem exhibeo,quietemq́; impero:ubi à ſomno excitati ſunt, rurſus ptiſa/næ cremorem præbeo, in qua prorſus uictus ratione uſq; ad tertiã perſiſto.quar/ta die balneum plerunq; admitto:nam poſt uenæ ſectionẽ ſi ualidæ uires fuerint, & uſq; ad animi deliquium ſanguis detractus ſit, alui profluuium non multo po/ſtea neceſſario conſequitur: attenuatis ſcilicet humoribus, ſubleuatisq; ac ueluti excitatis uiribus.accidit interdũ & bilis uomitus,cui ſtatim totius corporis uapor humidus,deinde ſudor ſuccedit, ut in quarta iam tutò lauari queant.omnino au/tem in cõtinuis febribus,& quæ dictæ ſunt, & quæ poſtea dicentur,quando uni/formem à principio uſq; ad finem exacerbationẽ habuerint, alere ægros oportet quo tempore ſani cõſueuerãt,& ubi maiorẽ leuitatem perceperint:ita ẽm alimen tũ facilius ferent.q̃ ſi uires robuſtę fuerint,& ęgritudinis uigor ꝓxime expectef, tenuiſſimo uictu utendũ eſt:ſin cõtrà uires ſint imbecillæ,haud ſine ingẽti diſpen dio uictus tenuis exhibeť.ergo in cibis offerendis uiriũ robur diligẽter perpende/re oportet.

Catholica de febribus à putredine euenientibus. Cap.LXXIII

INtercepta tranſpiratione latentes in toto corpore meatus obſtruũtur,per quos fumoſa fuliginoſaq́; excrementa quotidie diſſlabãtur. obſtructionis diſpoſitio ſi modica ſit & accurate tractetur,ephemeram febrem facit.ſi uero aut magnitu/dine, aut medicorum ignauia à conſueto ephemerarum tempore exciderit, aut ſynochus fit,aut alia febris earum quæ à putredine fiunt.tranſpirationis impedi/mentum multifariam gignitur:tum condenſatis meatibus ob duritiem uel frigidi tatem cutis, tum obſtruentibus humoribus uel propter multitudinem, uel craſſi/tiem,uel lentorẽ. interceptis ergo quotidie efflari ſolitis fumoſis fuliginoſisq; ex/crementis,uiolatoq; in nobis calore natiuo, alius præter naturam calor exoriens, humores quidem primo quod humidi ſint putrefacit & corrumpit:progreſſu ue/ro temporis etiam adipem & carnes ſolidaq; ipſa corpora incẽdit. putredo autem eſt totius ſubſtantiæ putreſcentis corporis ad corruptionem mutatio,à calore prę ter naturam illata. cæterum putridi humores aut intra uaſa contenti continuas & nunquam uſq; ad exactam morbi ſolutionem quieſcentes febres producunt: aut extra uaſa excidentes per totum corpus delati, quampiam certis periodis acce/dentem, & deinde intermittentem febrim accendunt, ut tertianam, quartanam, quotidianam & huiuſmodi. cauſa uero cur in continuis humores extra uaſa non excidant,aut ipſorum multitudo eſt,aut craſſities,aut lentor. quemadmodum er/go ubi inanimata corpora putreſiunt,primo amputamus quantũ iam ex illis cor/ruptum fuerit,atq; ſic poſtea reliquũ in aere frigido ſuſpendentes ſalubres diffla/tiones molimur:eodem prorſus modo humanorum corporum putredinem emen damus,quicquid iam corruptum eſt pro uirili noſtra extirpantes, & moderata ue luti ſuſpenſione & difflatione refrigerantes,ad exquiſitum naturæq; conueniens temperamentum reducimus. ubi igitur primo de non intermittentibus febribus tractauerimus,ſeriatim poſtea de reliquis agemus.

De ſe/

De febribus ob putredinem. Cap. LXXIIII.

QVando in uaſis uniuerſis, præſertim maximis circa alas & inguina exiſtentibus, calidior ſanguis ęqualiter exuberãs putreſcit, ſynocha febris cum putredine generatur: quæ quidem carnoſis copiam ſanguinis ac denſa corpora habentibus, calidoq́ꝫ excremento repletis, plerunqꝫ cõtingit. horum iam febrientiũ pulſus eſt maximus, æqualis, uehemens: arteriæ ſubſtantia, neqꝫ durior, neqꝫ mollior, quàm naturæ cõueniat. uelocitas & frequentia febris magnitudinem cõſequuntur, ſuntqꝫ hæc cõmunia ſigna huius & alterius ſynochæ quã ꝓxime ſuprà diximus. hanc uero putredinis notæ in urina & pulſibus & caloris qualitate apparentes peculiariter comitantur. huiuſmodi febrium curatio utriuſqꝫ generis particeps eſt, eius inquam quę cum putredine & eius quę ſine putredine fit: propria tamen earum ſubſtãtia & uniuerſa natura è genere putridarũ eſt: quatenus uero una tãtũ exacerbatio à principio uſqꝫ ad totius morbi ſolutionem protenditur, communicat cum ſynochis quæ ſine putredine eueniunt. huius igitur proprietatis ratione tantũ cum ſynochis in curatione conueniunt: in reliquis uniuerſis medicatio bifariam diuidẽda eſt, ita ut pars ad putredinẽ, pars ad ipſarũ naturã dirigatur. In his enim febribus ſanguis eſt qui putreſcit, eãdemqꝫ omnino regulã in reliquis quoqꝫ febribus pari modo ſeruari oportet, ut curatiõis indicationẽ partim à putredine, partim à propria ipſarũ natura ſumamus, ut pituitæ uel utriuſqꝫ bilis. quoniã ergo in putridis febribus ſeptem res præter naturam occurrunt, à quibus indicationes colliguntur: humorum inquam copia, craſſities, lentor, obſtructio, tranſpirationis detentio, putredo & febris nõ intermittens, ſingulis earum ex aduerſo medebimur, multitudini inanitione, craſſitudini attenuatione, lentori abſterſione, obſtructioni apertione, tranſpirationis detentioni ſi fuerit ob quidpiam impactum cuti cum diſcutientibus occurremus, ſi propter condenſationem cum his quæ rarefaciunt: deinde putredini cum abſtergentibus, alterãtibus, immutantibus, poſtremo febri cum refrigerantibus: ergo ſi uirtus ualida fuerit, uena incidenda eſt, remota prius uentriculi cruditate & reliquis impedimentis, ueluti ſuprà diximus: nunquam enim q̃ cõueniunt prætermittere oportet. & quoniã neqꝫ obſtructio, neqꝫ putredo ſola uenæ inciſione curari poſſunt, tanquam quæ alijs medicamentis indigeant, propterea pars ſanguinis reſeruanda eſt, quę tempori ſanationis ſufficiat, ne forte poſtea ob indigentiam neceſſitas occupet importune nutriendi. ſi enim febris naturam ſpectabis, ne minimo quidẽ alimento patiens indigebit: ſin ſanguinis inanitionem, prorſus alendus erit. alterum ergo duorum neceſſarium, aut alendo febrim augere, aut non alendo uirtutem minuere. præſtat itaqꝫ ſicuti diximus, quidpiam ſanguinis reſeruare, peculiare animalis partibus alimentum futurum: ægro enim ſorbitiones tantum ſufficere debent, ueluti ptiſanæ aut aquæ mulſæ, quibus potius medicamẽtorum loco quàm alimenti utimur. quod ſi ob aliquam cauſam uenæ ſectio omiſſa ſit, tenuiſſimum uictum eligimus. at ubi iam humores concocti ſint, eorumqꝫ craſſities attenuata, febri in uigore exiſtente, frigida exhibenda eſt, quemadmodum in ſynochis diximus, niſi quid eorum quæ iam retulimus, interdixerit. quod ſi etiam frigidæ auxilium prætermittatur, ad alia remedia accedere oportet quæ obſtructiones aperiunt, & multitudinem euacuant, feruoremq́ꝫ ſedant, ſicuti iam docuimus, & infrà quoque referemus.

Communis uictus ratio in omnibus febribus putridis. Caput LXXV

SVmmatim in omnibus putridis febribus humores qui iam putruerũt per urinas, per aluum ac per ſudores purgandi ſunt: id enim omni putredini perpetuũ. ꝙ ſi ſponte ad os uentriculi impetum fecerint, uomitu educito, alioqui ad uomitũ

contu-

contumaces præter naturam non irritato, ne ſtomachi uirtus exoluatur, qua maxime indigemus in morbis. eligenda quæcunq; abſq; calefactione & exiccatione prædictas euacuationes perficiant: ueluti ptiſanæ cremor & aqua mulſa, oxymeliq; ſimplicius & apomeli, & radicis apij decoctum. aqua igitur mulſa quantũ ad craſſos humores incidendos, ad uiſcidos abſtergendos, atq; ad excretiones prouocandas præſentaneo remedio bibitur in febribus à coarctatione quam ſtegnoſim uocant, & à putredine euenientibus, ſed præſertim in ſynochis putridis: febrilem tamen calorem exauget: ideo exuberãte calore à mulſa abſtinendum eſt, & ptiſanæ cremor eligendus. ſi uero pertinaces obſtructiones adeſſe coniectabimur, oxymeli propinabimus: ſed & oxymeli immoderate bibitum abradit inteſtina, ac tuſſim excitat, neruoſasq; partes uiolat, ut omnino difficillimũ ſit remedium inuenire quod nihil lædat, ac multum cõferat. euenitq; id ob complicationem multarum diſpoſitionũ naturam excedentium quæ in humano corpore fiunt: propterea his qui à cuiuslibet rei occurſu facile læduntur, præſtat ptiſanæ cremorem exhibere, quouſq; ualidiori alimento uti facultas dabitur. quod ſi aluus non obtemperet, abluenda eſt oleo ſolo & mulſa. uniuerſum uero corpus exterius ante inanitionem diſflari non oportet, ſed poſt inanitionem diſflandũ, utendumq; tepidi caloris medicamẽto, quale eſt chamæmalinũ oleum. in hoc etiam tempore quando inquam diſflaueris ac per halitum digeres, memento uinum aquoſum bibitum omnes excretiones mouere. apparente uero in urinis certo coctionis indicio, poterunt quoque lauari dulciſſimo ac temperato potabilium aquarum balneo.

De febribus continuis. Cap. LXXVI

Continuæ febres eiuſdem generis ſunt cum intermittentibus, eiuſdem generis intelligo, ut tertiana exquiſita, cum exquiſito cauſo, id eſt, febri ardente. quotidiana cum febri quæ quotidie quidem inuadit, ſed non intermittit. exquiſita enim febris ardens in ſe omnes continet notas, quas etiam exquiſita tertiana, hoc tantum ab ea differens, quod neq; cum rigore inuadit, neq; in quietem deſinit. ſimili modo quæ ſingulis diebus exacerbat, eadem omnino eſſet cum quotidiana, ſed quia non intermittit, idem tantum genus reſeruat. nec diſſimilis prorſus ratio eſt de quartana intermittente & continua. conſtatq; in his neq; frigus præcedere, neq; ſudorem ſequi: quemadmodum neq; in febri ardente. in febri enim ardente, inquit Hippocrates, rigor ſuperueniens ſoluit ęgritudinem. differt febris ardens à ſynocha putrida, ꝙ hæc à putreſcente ſanguine fiat, & ꝙ una tantum ſit à principio uſq; ad finem exacerbatio. ardens uero febris à flaua bili putreſcẽte incendit, & alternis diebus excitata habet quandam febris quietem, & ueluti remiſſionem.

Febris ardentis curatio ex Philumeno. Cap. LXXVII

A Flaua igitur bili putrefacta gignitur febris cõtinua ardentiſſima, neq; medicis neq; ægris inducias præbẽs: lingua enim horum exareſcit, nigreſcit, exaſperatur, ac uentriculi eroſio, ſitis intolerabilis, uigiliæ, ſæpe & delyrium infeſtat. hæc à principio benigne placideq; tractanda eſt: ubi uero in urinis ſigna coctionis appareant, & iam uigeat ægritudo, tunc acrius oppugnanda, & ad frigidæ potum accedendum, niſi quidpiam hic quoq; prohibeat, eorum quæ in ſynochis numerauimus. prima ardentem febrim patientium præſidia ſunt, ut decumbãt in frigido loco ad ſuauem auram expoſito, à qua purus diſfletur aer, culcitra molli quę frequenter ſternenda eſt: ſtragula tenuiſſima ſint, & minime ſordida, quæ aſſidue mutẽtur, habeatq; lectus inſignem latitudinẽ, ut ad diuerſas ſubinde partes membra calefacta traduci cõmode queant. tum aer ignauior flabello exciteẽ: pectus ac ſtomachus foueanẽ palmulis tritis cum uino & roſaceo, aut oleo citoniorũ. congruunt & refrigerantia, ſicut palmites triti, ſeris, polygonum, plantago, ramenta

cucurbitæ

cucurbitæ,lactuca,rumex acidus,complicenturq; ſingulis micæ panis præmade-
factæ,aut polenta.ab horum tamen uſu cauendum eſt,quin potius ſudariolum te
nue complicatum, oleoq; & aqua calentibus madefactũ ſtomacho & pectori ap-
plicetur:id enim febrium ardorem mirum in modum ſedat. lana quoq; quantum
manu capiť,aqua & oleo roſacco calefactis imbibita è ſublimi in pectus expreſſa
feruoris uehementiam facile obtundit.hæc autem calida eſſe oportet,nam tepida
membrorum uigorem exoluunt. quod ſi perquam modicum nitri addideris, for-
ſan & ſudorem excitabis: nec fruſtra in ardentiſſimis febribus etiam acetum ad-
miſcebis.cibi uero offerendi ſunt minime acres, ut lactucarum ſcapi in diluta po-
ſca deraſi,aut cucurbitæ eodem modo præparatæ, aut priſanæ cremor dilutior ſi-
ne ſale,aut alia re conditus.interdum etiam poſt cibum frigidam deglutiendã da-
to,quantũ eſt cochleare unum uel duo,ſintq; omnino potiones eorum liquore la-
cteo,abluantq; ora,& gargariſſentur frigida aqua refracta. ſucco præterea roſarũ
ad cochlearis menſuram ſtomachum recreabis,atq; alias huiuſmodi refrigeratio-
nes machinaberis,uirentibus myrthi,uitis,roſarumq; folijs ſolum ſternendo,& a-
quam ſæpius irrigando, riuuloſq; moliendo aquarum quæ ex propinquo ſuaui-
ter inſtrepant.tempus uero epithematum & reliquorum refrigerantium in uigo-
re eſt exacerbationis: nam in earum principijs & incrementis ambigente adhuc
corporis affectu, & calore uiſcera obſidente, talia applicata ſenſum diffundendo,
& in profundum repellendo calorem maioris nocumenti occaſionem præſtant.
igneus enim calor interius repreſſus, uehementiori rurſus ardore excitatur. at in
exacerbationum uigore,explicato iam per uniuerſum corpus calore,reſiduũ cir-
ca uiſcera derelictum haud ægre extinguetur.non ab re igitur ubi hęc ſuo tempo
re adhibentur, ægri melius ſperare incipiunt, & leuiori ſiti infeſtantur. quidã etiã
rorido efflante uapore deliniti ſomnum capeſcunt.cęterum inſtante totius morbi
uigore,& nullo eorum quę dicta ſunt prohibente,frigida iam tutò exhibenda eſt.
ſi igitur tutò exhiberi poſſe confidimus,nullam neq; uiſcerum,neq; capitis læſio-
nem uerentes, ut toties repetiuimus, danda ſincera frigida. quod ſi timor quam-
uis minimus obſtiterit,primam potionẽ refractam propinabimus:quæ ſic refran-
getur.ſumito temperatæ aquæ cyathum unum, cui quinq; ſinceræ frigidæ admi-
ſceto:& ſic ſuſpectis corporibus præbeto. quidam & olei roſacei cyathum unum
frigidæ bibendæ infundentes propinant:nam ita roſaceum moderate refrigeran-
do corpuſq; oleagino liquore illinendo,non ſinit ipſum à frigida lædi,ſed & uigo-
rem quendam roſaceum uentriculo lubricitatemq; præſtat. quidam pro roſaceo
oleum citoniorum exhibent. balneum uero in ardenti febri eis tantum congruit,
qui abſq; tumore aliquo ad inflammationis eryſipelatis'ue naturam tendente fe-
briunt,in uriniſq; apparuerint coctionis ſigna: ſitq; patiens adoleſcens, carnoſus,
æſtatis tempore,cõſtitutione calida & ſicca,in febris uigore, qui ſe in frigidum la
uacrum inijciat innatetq;,ita enim forte ſudorem excitabit:quod ſi frigidæ lotio-
ni aſſueuerit,remedio maxime fidat:nam uenter in biliosa excremẽta facile erum
pet. moderatiori uero exiſtente febri robuſtaq; uirtute ſimul cum coctionis indi-
cijs,cõferunt dulcis temperatæq; aquę balnea,& ex unctionibus chamęmalinum
oleũ,præſertim ubi cõtinens aer frigidus ſit.ſed ſi euenerit ut frigido exiſtẽte aere
ardens febris uehementius incendať, perexiguam inde ſpem ſalutis concipies:&
ſi in tali cõſtitutione ne ſigna quidem coctionis appareant, uirtuſq; ſit imbecilla,
fieri omnino nequit ut æger euadat. neq; igiť lauandũ,neq; ungendũ, neq; medi
cinis rarefaciẽtibus procedendũ,neq; uinũ,neq; frigida exhibenda.ubi eñ deſpe
rať ſalus, iniquũ eſt pręſidia plurimis cõferentia imperitorũ calũniæ fruſtra obij-
cere.equidem quoſdã inertes medicos noui, imitantes quidem quæ à nobis recte
tractan-

frigido aere existente
febris ardentiss.a

tractantur, ſed his qui omnino morituri ſunt, ſtulte adhibendo & uanam abſum-
pſerunt operam,& rerum uſum frugi alioqui & opportunum, ſuſpectum horren
dumq; reddidere. at nos & occaſiões et remedia docemus,ad hos qui ſaluari que-
unt:deſperati uero nihil prorſus hac arte indigent.

Exquiſitæ tertianæ dignotio. Cap. LXXVIII.

EXquiſita tertiana in bilioſioribus natura corporibus plerũq; cõſiſtit,& uigẽ-
ti ætate, tempore maxime æſtiuo,calidis & ſiccis regionibus, ſimiliq; aeris
conſtitutione,& uita laboribus,uigilijs,curis,ac ſolis feruori addicta. adhæc ſi per,
quàm exigua alimenta præſertim calida ac ſicca,eiuſdemq; facultatis potiones &
medicamenta uſu immodico acceſſerint, ijs facile incendetur tertiana febris:quæ
cum à flaua bili putrefacta excitata & extra uenas delata generetur, à principio
ſtatim inſignem rigorem affert : in hoc à quartanæ rigore differentem, quod cor-
pus ſtimulet, & tanquam ulceret: quartana uero uehementi tantum frigore pro-
fundum magis obſidẽte inuadat. in quotidiana ne rigor quidem præcedit,ſed tan
tum extremorum refrigeratio . eſt etiam in tertianis pulſuum exactus ordo & æ-
qualitas:qui tamen ad uehementiam,magnitudinẽ ac frequentiã in exacerbatio-
nis incremento excitãtur. ſequitur in uigore ſitis & ardor,ut abiectis ueſtibus de-
nudetur æger,ampleq; & frequenter ſpiret, exuffletq; ueluti flammam, frigidãq;
potandã flagitet. Paulo poſtea feruore æqualiter per totum corpus extenſo,ſi ma
num thoraci inieceris,occurrit primo plurima ac mordax caliditas,& cum aliquo
tanquam uapore reddita: non multo tamen poſtea euincitur tactu, ac tum potus
iam ægro exhibendus eſt:qui ubi biberit,exiemplo inſignem è cuti calidi uaporis
copiam reddit futuri ſudoris nunciam. uomitus etiã bilis excitatur,& aluus erum
pit : harum febrium urinæ bilioſæ, ſubruffæ ſubflauæq; ſunt & moderate craſſæ,
quæ ſtatim nubeculam albam aut fecem ſuſpenſam laudabilem reddunt. ruffiori-
bus uero urinis exiſtentibus, neq; fecis ſuſpenſione, neq; nubecula,in primo cir-
cuitu apparentibus,ægritudo ad ſeptem circuitus extendetur,ſed exquiſita tertia
na quæ prima die ſubſidentiam albam,lenem & æqualem oſtenderit,tertium cir-
cuitum non excedit : eſt autem exquiſita tertiana quæ in integram quietem deſi-
nit,cuius exacerbationis ſpatium maximum ultra duodecim horas non produci-
tur:quod ſi producatur,eam non tertianam exquiſitam, ſed extenſam uocamus.
ſi uero quotidie febris cum uehementi frigore inuadit,& cum alijs tum urinarum
tum pulſuum tum cæterorũ notis quas diximus,duplex tertiana appellatur, quæ
ob bilis multitudinem,craſſitiem,ac diſſimilares partes contingit.

Tertianæ exquiſitæ curatio. Cap. LXXIX.

EXquiſitam tertianam tanquã à flaua bili genitã quàm maxime fieri poteſt,
humectare ac frigefacere oportet : & quæ ad ſtomachum confluunt per uo-
mitum exinanire,urinasq; ac ſudores ducere,aluũq; clyſteribus mollientibus cie-
re. potiones uero in quibus anethum aut apiũ præmaduerint, urinã mouere poſ-
ſunt. quod ſi maturationis notæ apparebunt,tutò iam aquam in qua abſinthij co-
ma præmaduerit,propinabis : quo tempore balneum quoq; aquæ dulcis,potabi-
lis,temperatæ cõueniet,cui neq; nitrũ,neq; aliud quidpiam adiectũ ſit. ſed & hy-
drelæo.i.oleo & aqua perfuſos ægros calidam ingredi hortabimur:ibiq; quandiu
potuerint immorari. qui uero balneis delectari ſolent,uel bis loti modo id oportu-
ne fiat,nõ delinquũt:imò ne aberrabunt quidẽ,ſi apparentibus coctionis notis ſæ-
pius lauent. uinũ his ante morbi coctionẽ omnino prohibendũ,inchoante coctio
ne,aquoſum,tenue, parce primo exhibendũ, inde appropinquãte ſalute uberius.
alimenta quæcunq; refrigerãt & humectant,tertianis exquiſitis cõueniunt,ut a-
triplex,blitum,malua,lactuca,cucurbita . è reliquis uero ptiſanæ cremor,& alicæ
chondri

chondri ſorbitiones, piſcesq; ſaxatiles, atq; è uolucrum genere, quæ molliores carnes habent, ac gallorum teſtes, ſuilliq; pedes & cerebrum, ac porcellorum extremitates, utiles ſunt. uitelli etiam ouorum, ſorbendi, guſtandumq; è fructibus quidpiam eorum qui facile concoquuntur. abſtinendũ à cunctis dulcibus, acribus, ſalſis, nidoroſis uiroſisq; edulijs & potionibus, uinoq; antiquo, & natura calido.

Tertianæ nothæ curatio. Cap. LXXX

IN tertianis impuris ægri ſtatim ab initio lauandi non ſunt, ſed ubi coctionis notæ apparuerint, neq; ſanè quotidie ſed alternis diebus alendi, & quies adhibenda, hypochondriaq; fouenda, dandæq; concoctu faciles ſorbitiones, & uenter inferior clyſteribus non adeo mollibus abluendus. ſi etiam ſanguinis ablatione indiguerint, nõ omittendũ, ſed à principio cõfeſtim diſtinguendo quę loco de uenæ ſectione docuimus, tantumq; ſanguinis educendum quantũ præſenti negocio ſuffecerit. uictus ratio quemadmodum in exquiſitis tertianis nõ omnino refrigeret, & humectet, ſed aliquid quoq; recipiat quod incidat. præiacet enim craſſior, neque adeo calida bilis. ergo ptiſanæ cremor adiecto piperis modico, aut hyſſopi, aut origani egregie conuenit, & mulſa in qua nardi ſpicam decoxeris, reliquaq; uniuerſa, quæ abſq; plurima calefactione & exiccatione urinam prouocant, præcipue tamen poſt ſeptimam diem aqua in qua abſinthiũ maduerit iugiter exhibenda eſt: multos quoq; iuuit oxymeli potum, & quidpiam eorũ quæ placide uentrem mouẽt, ubi proba coctionis ſigna in urinis appareãt. uomitus uero à cibo diutius perſeuerante febre adeo excellit, ut multos nouerim hoc uno præſidio exacte ſanatos

De hemitritæo, id eſt, ſemitertiana. Cap. LXXXI

VBi putreſcens pituita putrefactæ bili admiſcetur, ſemitertiana ex utriſq; cõpoſita febris producitur. quotidiana igitur cũ extremitatum refrigeratione inuadente, tertiana uero cũ rigore, ex ambobus his mixtus horror infertur, rigore quidem mitior, ſed refrigeratione uehementior: quibus ſimul confuſis neutrum eminet. ortus huius febris duplex eſt. aut enim fit duabus exacerbationibus ſtatim à principio ſimul congredientibus, ambabus mutuo confuſis: aut ſeorſum ſingulis accedentibus. ubi igitur tertiana excedit horridior febris inuadit, imò in progreſſu quidpiam quoq; rigoris acquirit, adeſtq; omnino caliditas maior, & bilis uel uomitu uel ſeceſſu pellitur, aut humidus uapor exhalat, exuberante pituita aut dominante, extremorum refrigeratio pręcellit, horrorq; minuitur, nec ſitis aut ardor inualeſcit. ubi uero æquales magnitudine fuerint, tertiana intermittens, & quotidiana continua, exacerbatio cum horrore quidem accedit, ſed ubi pituita excitata dominiũ ſibi uendicauerit, contractiones rurſus horroresq; fiunt: imperante uero bili calor repente occupat. & hæc eſt exquiſita ſemitertiana, ex imbecilla duarum febrium complexione producta, tertianæ inquam intermittentis, & quotidianæ continuæ. non exquiſita uero eſt in qua uel bilioſus humor, uel pituitoſus redundat. ſi ergo ex utroque dictorum humorum ſemitertiana conſiſtit, cura quoq; exhibenda eſt tum tertianæ quam iam retulimus, tum quotidianæ de qua poſtea dicetur.

Quartanæ exquiſitæ dignotio. Cap. LXXXII.

EXquiſita quartana omnibus quidem ætatibus, declinanti tamen maxime peculiaris eſt, quamuis Hippocrates libro de hebdomadibus, uigentem maluerit, uideturq; illi idem homo bis quartana occupari non poſſe. idem, inquit, homo quartana bis non laborat, neq; laborauit unq;, neq; laborabit, ſi ſemel euadit. propterea ſecundũ ſingulorũ naturã, ætate uigente fit. neceſſe enim eſt uigentẽ hominis naturã hoc tempore quartana laborare, tranſacto uigore & à quartana & à laborandi tempore abſolui. naturæ uero melancholicæ huius febris feraces ſunt, è

temporibus autumnus præſertim q ſeipſo frigidior aridiorq; ſit: edulia, potus, uniuerſaq; uiuendi ratio, frigida & ſicca, & lienes aucti. peculiare illi eſt ut nõ ſtatim à prima die incipiat cum rigore, imò plerunq; ex alterius ſebris decidentia gignatur, præcipue ex his quæ nullo ſeruato ordine accedunt, erraticæ appellatæ: progrediente tempore iam rigor inuadit, inualeſcitq; quotidie uſque ad totius morbi incrementum, cuius ſenſus non pungentis ſtimulantis ue cutim, ſicut in tertianis, ſed uehementem algorem inducentis, & tanquam oſſa frangentis eſt. audire igitur licet patientes detorqueri ſibi oſſa, perfringi carnem. pulſus parui, debiles, tardi, rari, in principio acceſſionum ſiunt, ut tales in aliqua uſquam diſpoſitione haud facile inuenias: uidebitur enim tibi in prima acceſſione arteria interius detrahi, & reddita prohiberi, ut quamuis æger fuerit adoleſcẽs, decrepitæ ętatis arteriã motione imitetur. quod ſi huius pulſum naturalẽ antea cognoueris, aut alia ægritudine laborantem in principio acceſſionis uiſeris, nihil ultra expectabis quin plane aſſeras hanc primo inuadentem quartanam fore, adeo immenſam quandam tarditatem raritatemq; in arteriæ motione deprehendes. urinæ in principio quidẽ tanquam per craſſiorem materiam excolatæ, ſunt albæ, tenues, aquoſæ: progrediente uero ęgritudine ſeriatim coloratiores ſiunt, craſſamq; ſubſidentiã deponunt, ac declinante exacerbatione ſudoris multitudo conſequitur. Ruffi.

Quartanæ quæ à principio uitio lienis inuaſerint diuturniores ſunt, deprehenduntur à colore corporis, & cruditatibus, & q haud facile ſecedat aluus, itẽ à lienis tumore, quodq; in ſiniſtram magis decumbant, quibus periclitatur homo, ne tandem temporis progreſſu in hydropem decidat. at quibus inflammatur hepar, colore albicantes ſunt & toto corpore turgidi, urinæ ſubruffæ, ſandarachæ colorem imitantes, tangentibus dextrum hypochondriũ tumor occurrit, maior in his quàm in ſplenicis anhelitus difficultas, maior tuſſis, qui deniq; in hydropem ineuitabilem delabuntur.

Quartanæ curatio. Cap. LXXXIII

CVm quartana in principio moderate benigneq; agendum, nullum ex fortioribus medicamentis exhibendo, non euacuando niſi inſignis quædam nota ſanguinem redundare indicet: tunc enim ſanguis temperate auferendus, & ubi uenam diuiſeris, ſi defluens ſanguis craſſior fuerit, audacter inanito. præcipue id inuenitur in ſplenicis. ſed ſi flauus tenuiſq; apparuerit, confeſtim reprimito, uenamq; incidito interiorem, aut mediam ſiniſtri cubiti, ſi lien laboret: ſin hepar, dextri, ac uictum congruũ eligito minime flatuoſum, & qui quàm maxime fieri poteſt, uentrem molliat. ſi congruis alimentis non mollitur, clyſteribus primo mitioribus, poſtea etiam acrioribus irritato. à ſuillis carnibus abſtinendũ, & reliquis quæ uiſcida tardiq; tranſitus ſint, & edulijs omnibus quæ refrigerant, & humectant. uinum exhibendum modicum, tenue, candidum, moderate calidum, ex auibus montanæ, è piſcibus qui molles carnes uiſciditate carentes concoctuque faciles habent. alimenta ſale macerata, & ſinapi concedendum, atque dierum aliquot interuallo diatriumpepereon, aut dioſpoliticon congrue dabitur, imò probe fecerit patiens ſi quotidie pipere utetur. frictiones, deambulationes, reliquaq; hominum ſtudia non omnino prohibenda. à balneis ſi fieri poſſit, omnino abſtinendum conſulo, frictionibus tantum adhibitis. quod ſi breuis, neque adeo uiolenta quartana fuerit, nihil deterius erit in diebus inter acceſſiones medijs ad conſuetas exercitationes proficiſci. hæc quidem in principio & augmento facienda: uigente uero ægritudine ſubtiliori uictu utendum, & quies in longum tempus imperanda, ac uiſceribus prouidendum, ſouendo, illinendoq; his quæ molliant, aperiant, & flatum diſcutiant, ueluti hordeacea farina, ſemine apij, iride, cymi-

no, pinu terreſtri, ruta, utendoq; epithematis quale eſt polyarchium uocatum, & diaſtyracos, id eſt quod ex ſtyrace conficitur: inde & ad urinam prouocantia accedendum, mulſam propinando, in qua ruta, aut anethum decoctum ſit. mox apparentibus coctionis notis, purgandũ medicamentis, quæ atram bilim euacuant, nõ ſemel tantum, ſed ſæpius, ſi ita oportuerit. congruit quartanarijs epithymum, ſed præcipue elleborus niger ſine moleſtia euacuat, item uinum dulce infuſum in colocynthidis cauitatẽ: admiſcendũ tamen ſingulis quidpiam anethi, aut apij, aut dauci iucunditatis gratia. conuenit etiam ſummopere aloëticũ Oribaſij ſic habẽs. aloës, drach. centum, ſpicæ nardi, aſſari, maſtichæ, croci, xylobalſami, ſing. drach. vi. caſiæ, drachm. xij. epithymi, drachm. vi. corticum radicis ellebori nigri, drach. viij. confice cum decocto pulej pilulas ad orobi magnitudinem & dato pro uiriũ ratione. poſſunt & melle decocto confici, nec parum proderit ſi betæ aut oſtreorum decoctum aſſidue potetur. utendum etiam uomitu à cibo, & à raphanis, niſi quid prohibuerit: plurimi enim qui ad hoc præſidium confugerunt, quidam exacte ſalutem adepti ſunt, quidam ſubinde leuius tulerunt ægritudinem: nam haud ſolum infeſtos humores è ſtomacho reddunt, ſed inde quoq; rectius concoquunt. quod ſi nihil impediat albus quoq; elleborus mire ſubuenit, primo rhaphanis infixum ueluti libro de purgantibus medicinis docuimus, inde ipſius etiam ellebori ſubſtantia. quibus uero uomitus nõ conceditur, his exacte prius per ſeceſſum purgatis, dandum medicamentum è uiperis quod theriacam uocant, reliquaq; uniuerſa, quæ laudantur in febribus: quale illud eſt nobis conſuetũ, ab omnibus comprobatum, quod recipit ſucci cyrenaici, myrrhæ troglodyticæ, piperis, foliorũ rutæ uiridium partes æquales. ſingula ſeorſum teruntur, inde commixta cum rutæ contuſæ ſucco conficiuntur in pilulas, daturq; quibuſdam obolus unus, quibuſdam ſemis. Aliud. Aſclepiadæ, quod & ſomnum conciliat, quo ipſe utebatur. Piperis longi, myrrhæ troglodyticæ, ſucci papaueris, caſtorei partes æquales, confice & utere: dato obolum unum aut ſemis cum oxymelite duabus horis ante acceſſionem. Aliud. Ad quartanarios: conferens etiam arthreticis. Quartanarijs dato poſt balneum duabus horis ante acceſſionem, drach. i. cum oxymelite: arthreticis, cum mulſa. aſphalti, id eſt, bituminis, unc. i. alibi, drachm. ſ. myrrhæ troglodyticæ, drachm. i. alibi, drachm. ii. confice cum folijs menthæ uiridibus contritiſſimis, & utere ut prædiximus. quicunque uero in principio ægritudinis, aut omnino ante uigorem, quampiam harum medicinarum exhibuerunt, aut pro ſimplici quartana duplicem inuexere, aut certe morbũ auxere, difficilioremq; reddidere, & ſi prius dupla fuerat triplicauerũt, uel prorſus infeſtiorem uehementioremq; concitauerunt. quendam ego medicum noui, qui in triplici quartana ante morbi uigorem auſus theriacam exhibere, efferatis omnibus, iniectaq; febri cõtinua hominem interemit. cõſueui inquit Archigenes quartanam patientibus exhibere ſeminis trifolij, aſphaltidis, drachm. i. in mulſæ cyathis quatuor. iiſdem mirifice opitulatur, bitumen Iudaicum tritum è uino temperato potum circa drachm. iiij. alibi, drach. i. hanc uero medicinam nullam penitus moleſtiam afferentem ſæpe ego feliciſſime expertus ſum, ad hos quibus lien cum aquæ intercutis principio intumeſcit. cum folijs quinq; hederæ corymbiferæ, myrrham troglodyticam ad fabæ quantitatem terito, & cum hemina mulſæ dulcioris propinato. caſtoreum etiam potum algorem ſedat, carnis morbiditatem abſumit, & coctionibus quæ in uenis fiunt opitulatur, atq; ad motum ignauos excitat. Ruffi. Aqua in qua abſinthium maduerit noxios humores è uentriculo pellit, & coctiones iuuat, propterea abſinthium potantes non expuunt. idem iocinoris & lienis inflammationes ſedat, urinas ducit, & in mulieribus menſtrua. at ſi homo uel ita aſſueue

rit,uel habitus naturalis alui ductione gaudeat,ſolcantq́; uirulenti quidam humores egeri,lac nouiſſime mulctum propino,uel aſininum,uel ſi maiorem purgationem deſidero, equinum, libentius tamen caprinum exhibeo, tum quod familiarius,tùm ꝙ magis paratum ſit.inchoans ergo à tribus heminis addita ſubinde ſingulis diebus hemina ad ſeptem aſcendo, poſtea integram periodum intermitto, rurſusq́; à tribus heminis auſpicatus, altera quotidie adiecta ad ſeptem peruenio, mox ſingulas dictim auferendo ad unam redeo, iterumq́; per duos integros circuitus deſiſto,atq́; ita ſimul & morbus recedit,& corpus nutritur.eligendum animal boni ſucci cuius lac propinatur: in quorum uero ſtomacho neq́; aceſcit,neq́; in nidorem tranſit,neque turbulentias mouet,etiam in acceſſionis die,ſorbitionis loco moderate exhiberi poteſt,addita perquam modica panis buccella.at uigente morbo manifeſtiſſimis,q́; coctionis notis apparentibus, cunctisq́; uiſceribus bene habentibus,hominem nactus qui ad id ſanitatis tempore aſſueuerit, ante acceſſionem proxime futuram duas heminas frigidæ cōfertim potandas exhibeo, & mehercle multos ita ab algore liberaui, nec raro febres deleui. confert etiam liguſtrino unguento,aut ſicyonio corpus perfundere,tum ante acceſſionem algori arcendo,tum poſt acceſſionem,frigori extrinſeco propulſando.tradit Dioſcorides plantaginis radices quatuor tritas,& ante acceſſionem è uino bibitas quartanarijs cōferre,& radicis aſpalati drach.i.cum caſtorei obolo tritam, & glycyrrhizæ drach. duas ex aqua potas, & uerbenacæ rectæ quartum à terra geniculum è uino propinatum,ſicut tertium tertianas ſanare,& radicis libanotidis drac.i.è uino ſimiliter potam.ad algores totum corpus oleo perfundi oportet,& extrema calido quopiam unguento illini,deinde ueſtibus contegi,& imperare ut quiete iaceant.

Quotidianæ febris dignotio. Cap. LXXXIIII

QVotidiana febris pituitoſas naturas maxime infeſtat, hyemis tempore frigida & humida conſtitutione,ſenili ætate,& puerili propter ingluuiē,præcipue ſi frigidas humidasq́; regiones incolant, ocioſamq́; uitam in rerum ſaucitate degant. quod ſi etiam à cibo lauerint, confuſoq́; alimentorum ordine pituitoſis uefcantur,haud facile erit id febris genus euitare. rigor non ſtatim à prima die inuadit,progreſſu uero temporis non rigor ſed refrigeratio quędam occupat ad excipiendum calorem contumaciſſima. pulſus primo,præſertim in ipſo acceſſionis inſultu,ordine carentes,inæquales, ſine multa motionum uelocitate, aut uehementia. non incendit hæc febris ægros, neq́; ad crebros anhelitus, ingentesq́; ſpiritus efflationes cogit, aut ad frigidam petendam, ſed minime omnium ſiticuloſa eſt.nullus omnino in primis diebus ſudor,neq́; unquam exacta febriendi quies attingitur,color cum pallore albicans,urinę in principio tenues,poſtea craſſæ turbulentæq́; fiunt, ſingulis diebus exacerbationes inuadunt, in febris quietem licet nō integram deſinentes,occupantq́; fere decem & octo horarum ſpatium: propterea & amphimerinæ uocantur,ꝙ amborum diei inquam ac noctis participes ſint.

Quotidianæ curatio. Cap. LXXXV

QVotidianam curantes poſt primos dies oxymelite utimur,atq́; his quæ urinam egregie prouocant, omninoq́; uictus ratio ad res incidentes declinat: circa uigorem autem ſtomacho conſulendum ori præſertim ipſius, ubi inflammetur,inde poſt cibum & rhaphanum ſumptam uomitus imperandus, pituitaq́; euacuanda, his quæ inferius ducunt, reliquaq́; uiuendi ratio ad cōmunes intentiones dirigenda, attenuantibus enim & incidentibus tum cibis tum medicamentis procedendum eſt.

De hepialis febribus. Cap. LXXXVI

PRædicti generis,pituitoſi inquam, febris eſt quæ priuatim hepiala nuncupatur,quando ægri febrientes eodem tempore in ſingulis corporis partibus ca-

lorem ſimul & frigus percipiunt. gelidiſſima enim pituita, quam uitream uocant, ſi ſine putredine fuerit, ſolum rigorem inferet, ſin putredo mediocris acceſſerit, hepiala generabitur: exuberante uero putredine rigor quidē præcedit, ſed pura ſubinde febris ſubſequitur, frigore à caloris multitudine ſuperato, ut in exacerbationis incremento, aut uigore ne tantillum quidem ſuperſit. ſæpe etiam contingit ut uitrea pituita aciditatis ſimul particeps ſit. curatio qualē in quotidiana diximus adhibenda eſt, niſi ꝙ hæc, maiori indiget inciſione.

Remedia communia ad has febres quæ per circuitus accedunt ex Dioſcoride. Cap. LXXXVII

OMnino ad uniuerſos circuitus, & rigores, danda quæ ſudorem mouere poſſint, qualia ſunt, ſeminis apij drach. i. duabus horis ante acceſſionem è uino bibita, uel ariſtolochiæ drach. i. uel iridis, drach. ii. uel calamenthi decoctum, cum caſtorei drach. i. quotidianas uero & quartanas, chamædryos decoctum aſſidue potum ſanat. eadem poſſunt carei, ferulæ, & uerbaſci ſemina, eiuſdemꝙ; uerbaſci radix & ſuccus è uino. Aliud Galeni ad omnem periodum ſed quartanariam præcipue: datur duabus horis ante acceſſionē, confert & calculoſis, dyſentericis, ſtomachicis, nauſeantibus, languētibus, lippientibus. Seminis hyoſcyami albi, apij, aniſi, ſtyracis, ſing. drachm. iiij. croci drach. iij. alibi, drach. x. opij drach. iij. caſtorei, myrrhæ, ſing. drach. ii. confice cum aqua, & fabæ Aegyptiæ quantitatem cum aquæ cyathis duobus propinato. medicamenta etiam, tum quod pæonia uocatur, tum quod è ſulphure uiuo cōficitur, audacter exhibeto: ad omnem enim periodum, ſed præcipue ad quartanariam & quotidianam, mirifice confert.

Aliud ad omnem periodum ex Aphrodæ monumentis. Seminis hyoſcyami, myrrhæ troglodyticæ, opij, ſtyracis, ſing. drach. i. croci, zingiberis, aloes, ſing. drach. x. & obolos tres è melle aſſumito, & ad ponticæ nucis magnitudinem exhibeto cum aquæ cyathis tribus: præungito tamen extrema & tibias, & ſomnū concedito. ego huic deſcriptioni addidi caſtorei drach. i. & mirifice agebat. Linimenta communia ad omnes periodos. Quæ illinuntur cum oleo terenda ſunt, conferuntꝙ; his quibus per circuitus acceſſiones cum rigore contingunt, corpus fouendo, ſudoresꝙ; mouendo. flos chamæmali tritus, in paſtillos redactus in umbraꝙ; exiccatus & uſus tempore ex oleo illitus, uiticis & libanotidis ſemina ex oleo, ſalis flos, nitrum, aphronitrum, lauri baccæ, pirethrum, apij ſemen, hypericū, calamenthum, canchry, caſtoreum, conyza, coſtus, coccus cnidius, cum nitro, aceto, & oleo, laurinum oleum, liguſtrinū, amigdalinum, irinum, gleucinum, ocimū, chamædrys, uua taminia. Aliud ad tertianas, quartanas, & reliquas periodos.

Myrrhæ drach. viij. caſtorei, alibi caſiæ drach, x. piperis, drach. xij. uuç taminiæ drach. iij. nitri drach. iiij. liguſtrini ungenti aut cuiuſpiam ſimilis, lib. i. myrrham, uuam taminiam, & reliqua uino diſſoluito, tundito, & cribrato, ceratumꝙ; illis infundens ſubigito, & uſus tempore ſumito huius medicamenti partem unam, & liguſtrini tantundē, & illine. Aliud ad tertianas & quartanas. Cocci cnidij, aphronitri, piperis, partes æquales cum irino unguento, ad glutinis conſiſtentiam aſſumito, & extrema blandius confricato, ſudores enim mouet atꝙ intra duas, tres ue ad ſummū periodos ſanat. Aſclepiadæ linimenta ad acceſſiones cum rigore.

Hoc, inquit Aſclepiades, præſidio multos tertiana detentos liberaui. aphronitri drach. ii. myrrhæ drach. i. piperis, gran. uiginti, cerę drach. iiij. olei liguſtrini, aut irini, aut gleucini, aut amigdalini, unc. vi. arida humidis cōnectito, utitorꝙ; unica ante acceſſionem hora, pedesꝙ; præcipue fricandi ſunt, unde algor oriri incipit.

De diſpoſitionibus uiſcerum ad eryſipelatis naturam tendentibus,

ubi & de febre lipyria, & typhode, & crymode. Cap. LXXXVIII

ERyſipelata in uiſceribus quoq; nonnunq; fiunt, ardentẽ febrim, & hecticam inferentia. ſi ergo cryſipelas in uentriculo ſit, febris quæ inde incenditur lipyria nuncupatur. ſi in hepate typhodes. ſin in pulmone crymodes. indigent primo hæ febres eduliis, potionibus, & extrinſecis linimentis, refrigerantibus, humectantibusq;. ꝙ ſi hectica pura nulliq; morbo cõmixta fuerit balneis curatur, quemadmodum reliquæ quoq; caliditates ac ſiccitates. ſi uero uiſceribus eryſipelata aduenerint, uigente morbo frigida potio ſtrenue ingerenda eſt, ſtrenue dicere conſueuimus ubi confertim frigidiſſimam, & plurimam inculcamus. ſed ante uigorem frigidam nõ niſi coacti dabimus, id extorquente ægro, uel ꝙ gelidæ potioni aſſueuerit, uel ꝙ ſitim nõ ferat. extrinſecus uero refrigerantia illinenda ſunt. & ſi nihil profeceris, ad gelidam potionem confugiendũ, & ad epulas magis refrigerantes. cõgruũt his pręcipue tenerę ac prędulces lactucę, quas frigidiſſima lauabis aqua, ſolas ita edendas ego quidẽ optimũ duxerim, ſed quoniam interdũ guſtui quoq; adblandiri oportet, aceto plurima aqua temperato condire poteris. acetum eligendum quod exquiſitiſſime à uinoſa ſubſtantia receſſerit. benefacit & extra illitus lactucæ ſuccus, ſed & ſedi quoq;, & umbilici ueneris, & ſeridis, portulacæ, attriplicis, rumicis quam oxalidem uocant, ſolani, plantaginis, addito arido pane trito, & oleo roſaceo uel alio quopiam refrigerante. pręſtantiſſimũ quoq; eſt quo nos utimur. ex acerbis oliuis ſuo tempore ſuccũ exprimimus, deinde in mortario, cũ uirentibus portulacis cõtundimus, & quod inde excolamus in uaſe recondità aqua frigida obruimus. ſatius tamẽ erit uas niue incruſtari, atq; uſus tempore tenuiſſimam farinam hordeaceam admiſcere, rurſusq; irrigare ut liquidius fiat. quod deinde emplaſtrũ molli thorulo illinimus, & hypochondriis applicamus, & ubi intepuerit ſtatim remouemus, nouumq; apponimus, idẽ ſæpius ſeriatim replicando, donec æger frigiditatem in profundo percipiat, nec de ſiti conqueratur. miſcemus interdũ omphacinũ oleum, aut roſaceum, ubi eriſypelas ad ſanguineæ inflammationis naturam diuerterit. miſeram olim mulierem uoce intercæpta ſupinam ſolo recubantem, pulſu formicarũ motũ imitante, manibus pedibusq; algefactis. putaui morbum hunc eſſe calidum: nam præter eas pernicioſiſſimas notas deprehendi quoq; anhelitum crebriorem, inſignis anxietatis, & calidioris ægritudinis ilia aut thoracem obſidentis indiciũ. ferebatur ab aliquo aſtantiũ, audiuiſſe ſe exclamantem mulierem ſtomachũ ſibi incendio torqueri, gelidæq; potandæ ingenti deſiderio tabeſcere, unde & pauimenti frigiditatem iacens attrectando quæritabat. hinc ego capta fiducia frigidæ cochleare bis ac ter in os uiolente iniiciens, percæpi aquam ſenſim labiis arentibus attrahi, atq; inde colligens ob igneum in uentriculo inhærentem affectum, frigidam planè appeti, illico uberius propinaui: confeſtim oculis annuere, indicare ita fieri oportere. tunc ego diacodium cũ cnidio uino frigida diluto in os infudi, nec multo poſtea cum iam ſenſim muſſitaret, pluſculum potus exhibui uini ſuauis pro cnidio frigidæ mixto, illeuiq; os uentriculi, ſedo & lactuca cum pane trito, & roſaceo, frigentiaq; applicaui, ob morbi caliditatem, & ꝙ æſtas adeſſet, donec ægra frigiditatem perciperet.

De colliquante febri ex Philagrio. Cap. LXXXIX

COlliquatio uocatur ubi quoddam per ſeceſſum excernitur non ex alimentis uel ex his quæ concoquuntur, ſed ex humoribus à toto corpore in aluũ confluentibus, haud diſſimile bili quę quotidie euomi aut excerni ſolet: fœtore tantũ differt, & ꝙ hoc excrementũ ruffius ſit, craſſitiẽ continens glutinoſam, quandoq; oleaginam, aut adipoſam. colliquatio morbus hic appellaẽ, quod nuperrime coagulata caro & pinguedo ab ardentiſſima febri ſoluitur ac liquatę, imò diutius perſeuerante

ſeuerante morbo,ſolidæ quoq; partes tabeſcunt:propterea hæc febris reliquarum
omniũ difficillima eſt . conſtat illi extinguentibus rebus occurrendũ, quampluri/
mam frigidã exhibendo, cataplaſmata,& epithemeta refrigerantia thoraci & hy/
pochondrijs applicando,dandoq; alimẽta quæ frigefaciãt,& humectẽt, de quibus
partim loco de ardẽtibus febribus diximus,partim proximo capite explicabunt̃.

De febribus quæ abſq; inflammatione & putredine in calidis ac ſic/
cis temperaturis contingunt. Cap. XC

QVicunq; temperatura bilioſi,habitu graciles exarenteſq; ſint, ac ſtomachũ
exquiſitiſſimi ſenſus habuerint,& ad bilim paratũ,quoties inedia,aut uigi/
lijs,aut laſſitudine affecti fuerint, ſub æſtiuo præſertim ſole profecti, uel mœrore,
curiſq; uehementer confecti,facillime horrent,ac febriũt.bilioſæ enim naturę ho/
mines ob ieiunia & reliqua nuper dicta in morbos qui à bili fiũt prompte delabun
tur,ac primo inæqualitatẽ percipiunt, poſtea horrorẽ, & niſi ab irritamento deſi/
ſtant,ciboq; refocillent̃,protinus febriunt : nempe mordaces uapores humoreſq;
per ſenſibilia delati corpora horrorem rigoremq; incutiũt, denſata inde cuti tanq;
quę aridior natura ſit,excrementa fumoſa fuliginoſaq; efflari ſolita detinentur,fe/
bris.q; accendit̃, niſi, ſicuti dixi,cibo præueneris. oſtendi tibi ſæpe numero plures
ita febrientes pręſertim ex his qui à longa ægritudine reſumunt̃, quorũ alicui cũ
forte incipiente tunc horrore in foro occurriſſem , deducto in proximam offici/
nam, ubi panem è diluto uino obtuliſſem, horrorẽ repente expugnaui, & febrim
compeſcui, alioſq; permultos in proprijs domicilijs cum uel inchoante horrore,
uel paulo poſtea acceſſiſſem,protinus alui,& ut cõpendio dicam omnibus tali in/
temperie laborantibus quibuſcunq; in principio acceſſionũ occurri panẽ ſtatim è
uino diluto obtuli , ſemperq; horror illico profligatus & febris oppreſſa eſt. nihil
enim ęque ad hanc febrẽ arcendam cõferet,quàm alimentũ ciuiſſime exhibitũ.qđ
ſi interdũ paulo ſerius nutriueris,febris quidẽ nõ accendetur,ſubexiguus tamẽ ca
lor inuadet,& ſi ſerius adhuc immoraberis æſtus ſuperueniet,qualem ambigas fe
bris ne ſit appellanda.ſin ab horroris initio duę horę peractæ ſint,perſeuerante ad
huc horrore,tunc quoq; nutriendus eſt æger.pręfari tantũ oportet,ſebriculam le/
uem futurã,quã humidi uapores cõſequant̃.hęc ubi ita cõtigerint,lauandus,rur/
ſuſq; alendus eſt.at ſi horrore cõfecto, exortaq; iam febri accerſaris, tũc quidẽ nõ
nutrito,ſed declinante exacerbatione haud expectata febris quiete nutrito,datoq;
in uigore aquã permultã calidam.omnino aũt in exarentibus morbis exacerbatio
nes nõ prius deſinũt, q̃ balneis humectantibuſq; alimentis ſqualorẽ irrigaueris,
ideo nõ declinantibus tantũ paroxyſmis ſed uigentibus quoq; frequenter nutrio:
inedia em̃ in huiuſcemodi temperaturis, pręcipue ſi febricitẽt nõ tantũ noxia eſt,
ſed pręcęteris cũctis etiã pernicioſiſſima.aut em̃ in febres ardentes incidũt, & ex
his niſi mors pręueniat ad hecticas,poſtremo ad tabẽ delabunt̃: aut ſtatim à prin/
cipio hectica febris accendit̃.à prima igit̃ morbi origine nutriendi ſunt,qui talem
temperaturam ſortiunt̃:ubi uero laſſitudine,ira,curis,uigilijs,mœrore,quibuſdã,
uel omnibus ſimul,exareſcens corpus in febrim inciderit,ſqualente ob ſiccitatẽ cu
ti,caloreq; igneo obſidente, uerendum ne hectica febris inuadat hominem,æſtate
pręſertim,ac cõſtitutione calida & ſicca.indigent ergo humectantibus refrigeran
tibuſq; edulijs ac potionibus: in quibuſcunq; enim caliditas cum ſiccitate redun/
dat,uirtus neceſſario imbecilla eſt.fieri enim nequit ut corpus uehementer calidũ
& ſiccũ etiã adiecta febri ualidũ perſtet:ideo q̃ celerrime ptiſanę cremor,& chon/
dri iuſcula, paniſq; bucella exhibenda, deinde ad frigidam potionem accedendũ:
cõfeſtim enim extinguitur,exacteq; deſinit febris,ſi neq; inflammatio,neq; putre
do affuerint.ſi tamẽ inſignẽ quampiam noxam futurã conijcies,potũ inhibeto,&

cum his quæ exterius occurrunt, molire medicationem. exterius occurrũt aer nos continens, & quæ poteſtate frigida ſunt & humida, ac dulcium aquarum lauacra. aëre ſi temperatus eſt utendũ, tanq̃ qui nihil habeat redundantis. qđ ſi uel calidior ſit, uel frigidior, calidiori ſubterraneas domos opponito, apertas, pflatas & ad boreale cœlũ uergentes, peculiares in illis auras machinando, uel quibuſdam ueluti euripis, ad quos frangantur aquarũ riuuli, uel defluxu plurimæ frigidæ ex imminenti dolio: id enim repente etiam ſomnũ conciliat: frigida item ſincera pauimentum aſſidue conſpergito, ac roſis quàm plurimis uitiumq; palmitibus & myrti cæterarumq; arborum frigidarum frondibus ſternito, prohibendusq; erit conuentus hominum frequens: nam inde calor augebitur. at ſi frigidiſſimus aër fuerit, ſicuti in hyeme, corpus permultis operimentis foueto: frigus enim condenſando adſtringendoq; cutim exardentium humorum uapores efflari non ſinit, longeq; maior à frigida inſpiratione utilitas expectāda eſt, quàm è cutis refrigeratione. ex his quæ exterius applicantur, eligenda ſunt abſque uehementi adſtrictione refrigerantia, ne cutis obſtruatur: nec tantum frigida eſſe oportet, quæ ego optima iudico, ſed tenues quoq; partes habere, quàm maxime muniri in frigidis rebus poſſunt, aut ſaltem nullam aliam inſignem qualitatem annexam retinere. ſimpliciſſimum omnium quæ infrigidant & humectant medicamentum eſt, quo ego ad eryſipelata & pudendorum inflammationes in principio uti ſoleo.

Ceratum refrigerans. Cap. XCI

CAndidiſſimam ceram eliquatam frigida inſpergito, & manibus ſubigẽs diu lauato, quam deinde bis ac ter eliquatam ſemper frigida pura ablues, poſtea ablutæ roſaceum ex optimo oleo omphacino pręparatum admiſcebis, ut ceræ ſit, unc. i. roſacei, unc. iiij. quæ deinde ſimul ad ignem colliquabis, poſtea ubi refrixerint diu uerſabis, coniectaq; in mortarium piſtillo ualide ſubiges, aquam dulcem frigidiſſimam quantum imbibere poterit paulatim inſtillando: poſtremo in laguunculam puriſſimæ aquæ plenam conijcies ſingulis diebus aquam immutando. hoc medicamentum, tenuiſſimo panno illinens nõ toti thoraci ueluti quidàm faciunt, neq; totis hypochondrijs applicato, ſed illi pręcipue loco ubi plurimus caloris ſenſus percipitur, iugiterq; permutari oportet priuſquam manifeſte incaleſcat.

Aliud. Acidi rumicis ſucco tenuiſſimam farinam hordeaceam exceptam in molle linteolum duplicatũ aſſumito & frigidum applicato. idem poſſunt portulacæ, ſedi, tribuli uiridis, polygonij, ſeridis, & lactucæ ſucci cum uua acerba, aut farina hordeacea, earundemq; herbarum folia trita utiliter applicantur. ſed id quoq; nõ aſpernandum: palmularum pinguium carnem in poſca meraciori decoquito donec conflacceſcant, admixtaq; tenuiſſima polenta applicato. q̃ ſi aridius uideatur, addito prædicti cerati, aut optimi roſacei modicum. congruit & quod è ſucco roſarum & tenui polenta conficitur, ipſæq; roſæ contuſæ, & appoſitæ. hæc eligimus uehementer refrigerandi gratia. ſi uero id moderatius fieri maluerimus, non deeſt emplaſtrorum leniter refrigerantium multitudo. uidi enim ego frigido medicamento hypochondrijs applicato, alium quidem hominẽ difficili confeſtim anhelitu, alium autem ſubita tuſſi correptũ, quo remoto paulo poſtea utrunq; nocumentum ceſſauiſſe. balnea quoq; dulcium calidarumq; aquarũ, ſed magis temperatarum utiliſſima his qui calida & ſicca intemperie præcellunt, lauandiq; ſunt hecticorum more in ſecundo balnei domicilio calido prius hydrelęo perfuſi, deinde ſtatim in aqua temperata primo, poſtea etiam frigida immergendi, in frigida tamen parum morentur. at ſi inflammatio quædam in uiſceribus fuerit, à balneis abſtinere oportet. illud ſciendum, ſi in febribus huius generis inflammatio quoq; in aliquo principe membro acceſſerit, omnino morituros ægros, præcipue ſi pul-

mo

mo, aut membrana coſtas ſubcingens, aut uentriculus, aut hepar, inflammentur. nam quantum ad membrorū inflammationem attinet minime alendi ſunt, quantum uero ad uirium imbecillitatem crebrius alendi, ut neceſſarium ſit aut non nutriendo uires reſoluere, aut inflammationes augere nutriendo.

De hecticis & tabidis febribus. Cap. XCII

HEctica febris appellatur, quando calor præter naturam tam immoderate exceſſerit, ut iam ſolidam ſubſtantiam ſimilarium partium cordis inuaſerit, ut tantam ſanandi difficultatem mirari non oporteat. primo igitur feruor naturam excedens teneram & nouiſſime concretam membrorū ſubſtantiam ut adipem & carnem colliquat, diſcutit, & abſumit, inde humiditatem corpus alentem diffuſam inq; morē roris per ſingulas animalis partes aſperſam deſtruit, poſtea carnoſum quoq; genus adoritur, fibris membranoſiſq; ſolidorum membrorū partibus inſitum, quod abſcindentes coqui abiectis fibris ad uſum coquinæ transferunt. hectica febris proprium finem conſequitur ubi ſolidam ſimilarium ſubſtantiam areſcerit, unde & tabes uocatur. hecticarū uero febriū duplex genus eſt. alterū quod poſt febres ardentes plerunq; fit, quæ tam diuturnæ fuerint, ut uel humiditatē corporis cordis, temporis longitudine abſumpſerint, uel manente adhuc humiditate, ipſum cordis corpus accenderint, haud ſecus quàm lucernarū flamma interdū ſoleat nō abſumpto oleo, funiculum urere. alterum quod ſtatim à principio inuadit, primo ortu ab ephemeris nō diſſimile, mœrore, ira, laſſitudine, æſtu aut quopiam tali generatū. huic generi ſi mature occurrat̃ haud ægre ſanabitur, ſed quæ febris tabem attigerit curationē non admittit, iam enim ad tantam caliditatē & ſiccitatē corporis temperatura delapſa eſt, ut idem patiat̃, quod funiculus lucernarū peruſtus. friatur enim facile & ſuperfuſo quantumuis oleo uix ægre accenditur, & circumpalpitante perexigua quadam imbecilliq; flammula, paulatim deficit, donec tandem extinguatur. cognitu facillima hæc febris eſt: nam priuſq; uel pulſum, uel calorem attigeris oculos ſpectabis ingenter concauos, ueluti in ſcrobibus quibuſdam defoſſos, lippienteſq; arida quadam ſorde, ſqualoremq; in tota cuti cōſpicies qualis præcipue in his eſt, qui in puluere integram diem ſub æſtiuo ſole perambulauerint: defluxit etiam à colore flos ille uiralis, cutiſq; in fronte arida diſtenſaq; eſt, genæ frequenter ueluti ſomnolentæ conniuent, neq; tamen id ſomnus eſt, ſed impotentia uigilandi: præterea in collapſis temporibus loca concaua apparent: nam quid aliud tandem hunc hominem eſſe dixeris, quàm oſſa & cutim: uentrem certe ſi denudaueris nihil planè ibi eſſe inteſtinorum, uel uiſcerum iudicabis, adeo ilia uehementer thoraci adhærent, arente & ſqualente cuti, quam ſi apprehendas digitis ueluti marſupij corium conſequetur. exquiſita igitur tabida febris, ſicuti dixi, curationem non admittit, tabente uniuerſo corpore inſtar exarefactæ arboris uel ab igne, uel ab ingenti quapiam ſiccitate. appellaturq; ex ægritudine ſenecta: eadem enim ſine febri contingunt ultimo ſenio confectis, extincto penè calore animali. mors tamen his qui ſponte ſenuerint ſine moleſtia accedit, ducente natura habitum ad frigiditatem & ſiccitatem: at tabida febris non modo ſicca, ſed calida quoq; eſt. illud hecticis uniuerſis commune eſt, lenitas & à principio uſq; ad finem æquales eſſe. maxima quoq; erit hæc & minime anceps nota, adhibito alimento calor incenditur, pulſuſq; magnitudine ac uelocitate intenditur, euenireq; id uidetur haud aliter quàm in calce aut feruefactis lapidibus aqua frigidiſſima aſperſis. excitatur enim extemplo calor ſqualore exareſcens ab humida ſubſtantia recreatus. tandiu ergo hectica febris dicetur, quandiu natiua humiditas reſeruatur: ubi uero iam ambigi poſſit ſuperſit ne ex ea quidpiam, planè tabes eſt. nos uero ad has tantum enitemur, quas ſanari poſſe ſperabimus.

Hecticarum

Hecticarum febrium curatio. Cap. XCIII

HEcticas febres priuſq; ad tabem deueniant omni conatu refrigeramus,ſum-
ma ergo medēdi in humectando infrigidandoq; collocaẽ, tam his quæ extra
applicanẽ,quàm quæ intra ſumunẽ,è quibus eſt & inſpiratus aër.hecticos omnes
etiam ſi tabeſcere incœperint, modo alia febris nō complicetẽ, uel ab humorũ pu-
tredine,uel ab inflammatione,audacter lauato,citra laborẽ tantũ. labore eñ uires
exoluuntur,quas maxime ſeruari oportet. ergo in lectulo æger ad balneũ ducen-
dus eſt,& ubi ad primam balnei manſionẽ peruenerit, in calida ſindone ad id præ
parata collocetur,quatuorq; ſint in ſingulis angulis qui ſindonem ferant.inde nu-
dus ad ſecundam manſionẽ delatus, totus ibi perfuſus oleo dulciſſimo tepido ad
tertiam ſubinde manſionẽ ducatur,& labro immergatur, ſitq; aër balnei tempera
tus, cōparata illi humiditate calidæ aſperſione in parietes.temperatiſſimam uero
eſſe oportet aquam in qua moderate commoretur,ne quidpiam è propria humidi
tate hauriatur,cauendo ne perfundaẽ caput.delatus inde quatuor adoleſcentibus
ſindonem geſtantibus,in frigidam repente proijciatur:uitet tamen in ea ne tantil-
lum quidẽ morari, ſed eductus ſubito alia ſindone inuolutus in lectuloq; locatus
molliſſimis linteolis ſuauiſſime detergatur, tum perunctus indutusq; in cubiculũ
reportetur, quod uelim balneo proximum. ita lauandos monemus qui iam tabe-
ſcunt. at qui hecticis febribus nondum tabeſcentes laborant, etiam abſq; ſindone
lauari poſſunt:lectulo tamen aut uectabulo quopiam geſtari, oleo perſundi, cali-
da immorari,frigidam tantum attingere,detergi,perungi, atq; in cubiculum redu
ci quemadmodum & præcedentes, oportet.hactenus de balneis. de alimentis de-
inceps dicendum, quæ omnibus conſtare arbitror frigida & humida eſſe oporte-
re:talis eſt ptiſanæ cremor frigidus ſumptus,& alicæ chondrus,in ptiſanę morem
conditus.cōfert & modicus panis aqua frigida madefactus,ſed cauendum ne epu
larum frigiditas ſit ita exquiſita quemadmodum potionis eſt. potus enim cito in-
caleſcit facileq; pertranſit meatus, at quæ comeduntur ſorbenturq; ſi immodera-
te frigida fuerint,diutius cōmorando frigiditate uentriculum afficient. ubi febris
diuturna ſit,aſinæ quoq; lac exhibendum, obſeruando ne in ſtomacho denſetur
in caſeum.quod ſæpe nos docebit æger priſtinæ conſuetudinis memor,alioqui &
à nobis deprehendemus modico uſu ſenſim tentando.à melle aũt cum lacte com-
miſcendo, quàm maxime fieri poteſt in hecticis febribus abſtinendũ conſulimus,
primo die aſinini lactis calicem non excedemus, producta in cubiculum aſina, ut
lac adhuc caleſcens potetur.quod ſi recte coquatur,nec putreſcat,augeri licebit ſe
micalicem, reliquũ uictum offerendo qualem exiccatis uentriculis conuenire ſuo
loco docebimus.quanto tamen uehementior in hecticis caliditas eſt quàm in illis,
tanto remedijs indiget frigidioribus, diligentiaq; maiori, ne ualidiorum præſidio
rum uſu nocumentum ſequatur.

De publicis,paſſim uagantibus,& peſtilentibus morbis. Cap. XCIIII

PVblicos cōmunes'ue morbos appellare cōſueuimus, qui multos ſimul homi
nes occupant, quorũ ſicut generatio,ita & cauſa cōmunis eſt.cōmunia ergo
alimenta cōes generant ægritudines, & uitioſæ aquæ potus, laboresq; uel nimiũ
immoderati,uel nimiũ parci,fames ac ſatietas, prӕſertim q̃ ingentẽ penuriã ſucce
dente copia cōſequiẽ.maxime tamẽ loci natura morbos cōmunes affert,inſpirato
aëre putrida euaporatiōe cōtaminato,uel ob multitudinis cadauerũ cōtagionẽ,ſi-
cuti fit in bellis,uel ob paludũ ſtagnorũ'ue exhalationẽ,uel cuiuſpiã cauernę pro-
pinquitatẽ, uenenoſam aurã expirantis,qualia euenire frequenter ſolent. conſtat
aũt aërẽ nos cōtinentẽ aſſidue temperaturas euertere, ubi plus æquo uel calidior,

uel ſiccior, uel frigidior, uel humidior fiat, reliqs enim cauſis nō omnes ſimul obij/cimur, neq; tota die occurſamus. at uniuerſis circunfuſus aër, perpetua inſpiratio/ne neceſſario animalium corpora ad proprium temperamentum trahit. redditus ergo aër ſeipſo calidior & humidior peſtilentem infert conſtitutionem: peſtilentis febris occaſio ab humoribus uitioſo uictu collectis, & ad putredinem paratis inue hitur, ut ſi quis moderatis laboribus prudentiori caſtigatoq; uictu degat, omnes iſtos affectus illæſus pertranſire poſſit: quod nos præuidentes ſtatim inchoante cō ſtitutione corpora quæcunq; humidiora nouimus, omni conatu exiccamus: quæ ſicciora in habitu priſtino cōſeruamus: quæ excrementis redundant, inanimus ob ſtructionesq; meatuum aperimus, & abſtergimus. utq; ſummatim dicam, oppo/ſitorum obiectu ſanitatem cuſtodimus, interdum refrigerando, interdū ſi ita opor tuerit calefaciendo. quiſpiam etiam accenſa ingenti lignorū mole poterit aërem tanquam frigidum & humidum ad contrarias qualitates conuertere, quemadmo/dum Hippocratem athenis feciſſe ferunt, & Acronem agrigentinum.

De peſtilentia ex Ruffo. Cap. XCV

OMnia uaſta, in peſtilentia, nihilq; ut in reliquis morbis latet, plurima diuer/ſaq; urgent, delyria, bilis uomitus, hypochondriorum tenſiones doloresq;, exuberantes ſudores, extremorum frigus, profluuia bilioſa, tenuia, & flatuoſa, uri næ quorundam aquoſæ, tenues, quorundam bilioſæ, quorundam nigræ, ſubſiden tijs ſuſpenſionibusq; deprauatiſſimis, ſanguinis ſtillicidia è naribus, thoracis ar/dor, linguæ combuſtæ, uigiliæ, conuulſiones uiolentæ, aliaq; per multa mala, ſicut ulcera, & carbunculoſa, & omnino pernitioſa in peſtilentia fiunt, tum in uniuerſo corpore, tum maxime in facie, & tonſillis. futuram peſtilentiam ſagax ingenium, & temporum obſeruatione, & brutorum infortunio deprehendet. ſi enim aëris ui tio gliſcit peſtilentia, priores aues uiolabit contagium: ſin ob terrarum exhalatio/nes, quadrupedum prima calamitas. hæc ubi diſcuſſeris illud quoq; animaduerti/to, quodnam tempus anni ſit, quænam totius anni natura, hinc enim commodiſſi/mas uictus rationes inuenies: nam recte habebit, ſi tempus ſiccum fuerit: ſin humi dum, neceſſe eſt uictum ad ſiccitatem conuertere, ut humidū quod redundat, ab/ſumi poſſit. hominum etiam cōſuetudines attendendæ, remouendaq; omnia, quæ cunq; infeſta ſanitatis tempore intellexerimus. uentri præterea conſulendum, & ſi in uentriculo pituita ſit uomitu ducenda. at quibus ſanguis excedit, uenæ ſectio confert, ductioq; per urinam, & reliqua prouocantia. ſi uero ardentem febrim pa/tiatur æger, & feruor thoracem obſederit, non eſt adeo uerendum, modo pruden/ter fiat, pectori refrigerantia applicare, frigidamq; potui ſed nō paulatim dare. ita enim à plurimo uentriculi calore ſuperata uiolatur, & in igneam ſubſtantiam con uertitur. plurima ergo confertim exhibenda, ut multitudine flammam extinguat. quod ſi ardor quidem interius ſit, extima uero & ſummitates frigeſcant, tenda/turq; hypochondrium, & uenter colliquamenta quædam ſuperius inferiusq; red/dat, adſintq; uigiliæ, delyria, & ſcabrities linguæ, his adhiberi oportet, quæ calefa/ciunt: totis enim uiribus enitendum ut à profundo calor ad corporis ſuperficiem retrahatur.

De his qui ob crudorum humorum multitudinem in ſinco/pam incidunt. Cap. XCVI

FEbricitare nonnulli incipiunt, ex ingenti crudorum humorū collectione, ore ſimul uentriculi ob cruditatem, uel ob aliam cauſam uiolato. his intumeſcit hypochondriū inq; maiorē molem quàm naturæ cōueniat corpus augetur, colore candidiore, aut tumorem quendam præferente, nōnullis & nigriore liuidioreq;,

quem

quem aliqui plumbeum uocant,pulſus pro caloris ratione paruiſſimi,debiliſſimi, & omnino inæquales.ubi igitur humores nimia copia uires opprimunt, & craſſitie multitudini adiuncta corporis meatus obſtruūt,diſpoſitio multis de cauſis pernicioſa eſt,& ſyncopę generatrix,tum animal nō alendo, tum ſuffocando,tum exſoluendo,corrumpendoq; corporis temperamentum.crudi enim humores anteq̃ concoquantur,nutrire non poſſunt, nimij uero opprimunt tranſpirationesq; obturant,& calorem extingunt. quod ſi neq; opprimunt, neq; obturant, tardiſſime tamen alendo exoluendarum uirium occaſionem præſtant. non ergo his ciborum copia confertim offerenda,neq; craſſæ frigidæ'ue ſubſtantiæ, ſed quæ calefaciant & attenuent, cuius generis etiam medicamenta ſint, quantū homini febricitanti concedi poteſt. uinum dilutum,tenue,album,permittendum, niſi uehementer febriant,quod raro in hac diſpoſitione contingit,quā ſegnes plerunq; febres ſequuntur.præcipue tamen ſenibus uinum congruit,non mane uſq; ad meridiem, ſed ueſpere potius ad noctem.iunioribus ſtatim à principio non exhibendū.nemini horum uena abſq; diſpendio maximo inciditur,inanitione quidem indigent, ſed neque ſanguinis miſſionem,neq; purgationem ſuſtinent : nam qui ſuſtinebūt, cum ſine his quoq; in ſyncopam delabantur. quomodo ergo ſanabuntur , qui euacuatione egentes euacuantia non ferunt. nullum ego in eis alium inaniendi modum quàm per frictionem inuenio.cōfeſtim igitur à principio inchoandum,crura quidem primo à ſupremis ad infimas partes linteolo moderate aſpero,deinde & brachia ab humeris pariter ad partes imas perfricare. ubi uero iam artus ſatis incaluerint, uereamurq; ne frictionis nimietate ſenſus quiſpiam laſſitudinis inuehatur, mollienti oleo,quale dulciſſimum eſt,utendum . cauendum quàm maxime ab omphacino,& his quæ adſtringunt. hyemis tempore etiam aliquo quod per halitum digerat uti potes,quale eſt ſicyonium, chamæmalinum, anethinum, & huiuſmodi.inde deterſo oleo, ad ſpinæ quoq; frictionem accedendū, linteo primum, mox oleo.deinceps ad crura rurſus & ſubinde ad brachia, tum deniq; ad ſpinam remeandum, idem prorſus tota die ſeriatim repetendo, in ſplendido quodam & minime humenti domicilio cuius calor ſit temperatus.aqua mulſa his maxime conuenit,in qua decoquat̃ hyſſopus,ut primis tribus dieb.neq; edulia,neq; ſorbitiones, neq; potus largior cōcedendus ſit,ſed mulſa tantum alternatim fricando,ut ſolum illud tempus interſit quod ſomno datur.illud ſciendum,plurimam quidem frictionem illis,ſed non plurimum ſomnum conferre,neq; enim humores diſſolui,uiſceraq; obrui oportet.moderate igitur & ſomnus & uigiliæ ſunt cōcedendæ.ꝙ ſi eorum pulſus paruus ualde prorſusq; inæqualis fuerit,extremum periculum imminet.tantū ergo ea facere curabis quę proxime diximus,reliqua erunt ſuperuacua. ꝙ ſi moderate uehemens,magnus,æqualis ſolutusq; fuerit, attende quæ uentri attinent, & niſi excrementa ſpontina probe ſecedant, clyſteri ſecurus ablue:euenit enim ut ab epota mulſa uniuerſa moles in primis uenis colligi ſolita euacuetur, eam intelligo quæ ſimam hepatis partem & meſenterium occupat.ſi alui ductio redundauerit mulſam magis decoquito, ita enim minus ducit. ſi nihil profeceris ptiſanæ cremorem dato:hoc etiam non ſuccedente,ſorbitione ex alica chondri alito.ſemper tamen pulſus conſulendi:nam ſæpe ad imbecillitatem, aut inæqualitatem,aut paruitatem repente proruunt, quo tempore panis ex uino temperato exhibendus eſt, niſi uentriculi aut hepatis inflammatio obſtiterit.his inflammatis repleto ſimul crudis humoribus corpore & pulſu ita peruerſo,æger omnino deſperandus.morte igitur prænunciata,& nullo adhibito medicamento te inſontē præſtabis.in quibus uero ſalutis ſpes erit,quæ in omnibus eſt,qui abſq; inflammatione laborant,ſi à principio occurras, turpiſſimū mihi uidetur ut æger in ſyncopam

cadat

cadat. ubi autẽ craſſiores humores adeſſe ſenſeris, pro mulſa oxymeli exhibebis, æſtatisq; tempore ſi patiens frigidæ potor fuerit, oxymeli frigidum dato, hyeme cunctis omnino calidum. balnea his infeſtiſſima aer q; nos continens qui multum uel calidus uel frigidus ſit. neq; igitur lauari oportet, neq; decumbere, æſtate quidem frigido loco, hyeme uero tepido, utraque enim intemperies nocet: balneis in æſtate, cæterisq; calorificis adhibitis diffundũtur humores crudi paſſimq; per corpus diffluunt, cum periculo pulmonem & cor occupandi, interdum & cerebrum inuadendi, ut præſtet in hepate potius ac uenis reſidere. in domibus uero plus æquo frigidis, & in hyeme omninoq; algenti aere, crudi humores incocti perſiſtũt, & hepatis obſtructiones augent, ſi paruiores adſint: ſi non adſint, generabũtur tamen ob retentorum conſtipatorumq; humorum craſſitiem. à cataplaſmatis ergo & fomentis abſtinere oportet, donec magna multitudinis portio partim euacuetur, partim coquatur. nam qui talia in huiuſmodi diſpoſitionibus adhibẽt, inflammationes ipſimet pariunt, neſcij ſuis importunis remedijs hypochondria uiolari. hęc tibi agẽda ſunt ubi à prima ſtatim die ad curationem acceſſeris. ubi uero poſt ſyncopæ caſum uocatus ſis, hypochõdrijs nõ inflãmatis panis buccellã uino fuluo madefactã præbeto: & ſi æſtas adſit & conſtitutio calida, aqua frigida uinũ dilue: ſi contrà, calidam miſceto. ubi ſyncopæ accidentia quieuerint, tentato potionẽ calidam: præſtat enim in tota curatione calidã exhibere, ueluti ad crudorũ coctionem magis proficuã. inde ad frictionẽ accedendũ, quemadmodũ ſuprà diximus.

De his qui in ſyncopam incidunt ob flauam bilim os uentriculi afficientem. Cap. XCVII

AD ſyncopã quæ ob bilem flauã os uentriculi afficientẽ euenerit, frigidæ potiones exhibẽdę: nõnunq; & uinũ calidũ, natura fuluũ, ſubtile & antiquũ.

De his qui ob humores tenues in ſyncopam incidunt. Cap. XCVIII

QVi ob tenues humores in ſyncopam incidunt, ita ut celerrime tum per ſudores tum per occultos halitus exoluant̃, ex oppoſito curant̃ his qui ob crudos humores laborant: ob crudos enim paulatim euacuamus, cũ uirtus copioſam ſubitãq; euacuationẽ non ferat. humorũ uero tenuitate deficientes paulatim alimus: quos tamen ſi ſtatim à principio integra adhuc uirtute ſuſceperimus, paulatim nõ alimus, cum copioſius alimentũ ſemel exhibitũ conficere facile queant. & quemadmodũ priores dicebamus pernicioſe habere, ubi aliquod uiſcerũ inflãmetur, hi quoq; pariter deſperãdi ſunt, quorũ uiſcera iam prolabente uirtute inflammatione uiolentur. neq; enim eos iugiter alere poſſumus, ſed in declinationibus tantũ, neq; interim nõ alendo ſaluari queunt. In his affectibus cadaueris facies cõfeſtim apparet, nares acutæ, oculi caui, prolapſa tempora, aures frigidæ, et reliqua deinceps. ſolet quidẽ & talis facies interdũ uideri, ubi æger uel plus nimio egeſſerit uel uigilauerit, uel mœrore cõfectus fuerit, niſi q̃ primũ cibus offerat̃: ſed quæ ab huiuſmodi cauſis euenerit, paruũ diſpendium minat̃. ſi uero ſine his appareat, ultimã perniciem portendit: præſertim ſi talis ſtatim à morbi principio emerſerit: neq; enim æger ad morbi coctionẽ ſufficiet. ergo erit neceſſario nutriendus, extimaq; cutis denſanda, & cubiculi aer refrigerãdus, ueluti docuimus ubi de febrientibus ob aridã intemperiẽ diſſerebamus. illinẽdæ adſtringẽtes unctiones, alimentaq; danda quæ nõ adeo facile defluãt, nõ mulſa, nõ ptiſanæ cremor, ſed panis & iuſcula ex alica chondri, fructusq; acerbi & putredini renitẽtes, tum ipſi ſoli, tum cũ pane & chondro aqua elixato. danda etiã ſorbiliũ ouorũ uitella tantũ, & gallorum teſticuli, & porcorũ cerebella exquiſite aſſata aut probe elixata. nã crudiora ſupreme nocẽt. deniq; omnia agẽda ut craſſiorẽ materiẽ reddamus, cutimq; denſemus, & tranſpirationes arceamus. neceſſariũ his uinum à principio dilutũ inter epulas ſumptum.

De alijs cauſis à quibus ſyncopæ fiunt. Cap. XCIX

SVnt aliæ porrò cauſæ quatuor ob quas ſyncopæ eueniunt: ingens dolor, uigiliæ, inanitio immoderata, & interdum motio delyrantium: quintam ſi libet adijcito, principiorum intemperiem. Ac celerrima quidem mors corde affecto, deinde & cerebro, ſequitur.

De dolore ſyncopam inferente. Cap. C

DOlor eſt temperaturæ repentina mutatio, & ſolutæ continuitatis perceptio: conſtat enim non tantum ubi corpora repente & confertim à propria natura demoliuntur, ſed etiam ubi à cõtrario ad congruum & ſibi naturalem habitum ſubito retrahuntur, dolorem fieri. nouimus ſæpe ſub frigidiſſimo cœlo profectos algentes manus amplo igni repente obtuliſſe, atq; inde uix tolerabilem dolorem in radicibus unguium ſubito excitatum. quærentes ergo qua ratione ægroti doleant, nulla exterius apparente, aliqua interius ſcrutanda eſt, quæ uel nimium calefaciens, uel refrigerans, uel ſubſtantiam ſenſibilis corporis diuidens, nobis dolendi occaſionem præbeat. Ac primo quidem conſiderabimus, cuius naturæ eſſe oportet, quod corporis diuiſionem facere poſſit: neceſſarium igitur eſſe uidetur, ut ſi continuum ſeparari uelit, uel fractione, uel contuſione, uel eroſione ſeparetur. fractio autem ab extenſione, contuſio à grauitate, eroſio à mordaci qualitate producitur. quod ſi nihil exterius fuerit uel extendens, uel opprimens, uel mordicãs: conſtat cauſam intrinſecam eſſe. porrò extenſio aut ab aliqua ſubſtãtia corpus ipſum cõtinens extendente, aut à nimia ſiccitate fit: ſicut cõtuſio ab aliquo duro tumore adiacente, & mordicatio ab humore acuto. diſquirendum ergo plurimus ne humor uel flatus tranſitu carens, quod in colicis euenit: an tumor opprimens ſicut in inflammationibus fit & ſcirrhis: an humor mordax, an aridus affectus, ut in conuulſis, an frigus uehemens, an calor cauſa doloris fuerit. & ita ad ſingulorum correctionem accedendum. cæterum ſtupidus dolor à frigido affectu inuehitur, ſicut pulſans à magna inflammatione. ſi uero ſenſum ueluti infixi teli, aut terebræ perforantis perceperis, craſſi inteſtini quod colon uocamus, peculiaris dolor eſt: nam qui renes infeſtat, aggrauans magis certa ſede infigitur, dextrum aut ſiniſtrũ lumbum retrorſum obſidens, nec quemadmodum colicus huc illuc circumuoluitur. mordicans dolor membranis attinet. qui uero ἀιάττων quaſi diſcurrens uocatur, in magnis contingit hemicranijs, diſcerniturq; ubi à membro primarie patiente ueluti à radice quadam inchoans dolor, ad partes utrinq; adiacentes celeri motu defertur: ita ut ambobus extenſis terminis nerui utrinq; trahantur. non multo enim dolore afficiuntur nerui per latum diſtracti: membrana uero uniuerſæ cuti ſubiacens ſtupidũ os extenſoriosq; infert dolores. at quæ uentri interiacet, dolens, quaſi diuelli uidetur. ſunt enim & aliæ membranæ inæqualiter inſitæ, & exterius uentrem ambientes. oſſium membranas obſidentes dolores profundi, opinionem inferunt tanquam oſſium dolentium. quando ergo exterius nulla doloris cauſa apparuerit, præcedẽtem cauſam & uictum attendito: ſi enim inſolenti ocio marcuerit, aut plura alimenta quæ multum nutriant homo ingeſſerit, aut ſolita excretio detenta ſit, doloris cauſa multitudo eſt. extemplo igitur inaniendus, nam ita licebit tutiſſime humorum fluxum repellentia dolenti loco applicare: ideo peccante multitudine, ſi uires atteſtentur, uena maior ſecanda eſt, quæ inflammato aut dolente membro propinqua fuerit: ſin uirtus ſit debilis, reuellendum tantum aut deriuandum ſurſum aut deorſum, aut utrinq;, uel frictionibus procedẽdum. ſi uero deprauati humores in cauſa fuerint, potius purgare oportet. utriſq; cõcurrẽtibus, utraq; inanitio adhibenda eſt, ſanguinem prius mittendo, deinde purgando. ꝙ ſi his peractis dolor perſiſtat, cõſtat uiolato membro noxium humorem impactum

eſſe

eſſe, cõſtat & curationem cum his quæ per halitũ digerunt faciendam. ſimili modo in colicis ob flatuoſum ſpiritũ, uel uiſcidam pituitã contingenti dolori fomẽtis irrigationibusq; medemur. ſi uero tumor opprimens, aut cõtundens dolorem excitet, tumori obſiſtendum cum his quæ attenuãt ac rarefaciunt: ſin à mordaci humore contingat dolor, è regione opponuntur quæ calefaciunt & attenuant. anethum autem uiride oleo elixatum & calidum, patientis membro irrigatum dolorem ſedat, & ſomnum conciliat.

De animi deliquio. Cap. C I

SVb una deliquij animi appellatione multæ ſpecies continentur, ſingulæ quàrum ſingulas exigunt curationes. de his catenus nunc agemus, quatenus ſatis ediſcat aliquis, quomodo repentinæ inuaſioni extemplo occurrendum ſit. differt animi deliquium à ſyncopa, quod deliquium animi ſenſu motuq; intercepto abſque ſudore repente proſternat hominem. ſyncopa uero tam uigilantes quàm ſopitos occupat, cum ſudoribus omnino quos ſyncopticos appellari receptum eſt.

De his qui animo delinquuntur ob uentris profluuium, fluxum ſanguinis narium, & immoderatos ſudores. Cap. C II

A Morbo quem choleram uocant, & alui profluuio, & quouis alio nimiarum inanitionũ genere, derelictis animo, frigidã inſpergito, & nares atq; os uentriculi perfricato, aut digiti pẽnęue immiſſione uomitum cieto, cruraq; ac manus pluribus uinculis uehementer cõſtringito. crura ſi ſupra eruptio fiat, manus, ſi infrà. ijſdem uinum tenue conſeret antiquum frigida temperatum. balneum uero alui profluuijs conuenit, ſed deliquijs à fluxu ſanguinis narium, aut ab immenſo ſudore euenientibus infeſtiſſimũ: tunc enim refrigeratione & adſtrictione non remiſſione indigemus: uinum tamen frigida temperatũ ſicuti diximus, his quoque utiliter exhibetur, quibus neque extrema uincire oportet, neq; uomitum prouocare, neque omnino quidpiam mouere, ſed condenſare & refrigerare: ideo cubiculi aerem frigidæ auræ obiectamus, ſtrato pauimento, myrthis, roſis, uitium palmitibus, & huiuſmodi adſtringentibus.

De deliquijs animi ob humorum multitudinem. Cap. C III

EOs qui ob humorũ multitudinẽ animo delinquunt, plurimũ fricare oportet & calefacere, uincireq; malleolos ac manuum radices. quod ſi febriant, à balneis omnino & uino inhibendi ſunt, dandaq; potio oxymelitis.

De his qui uteri uitio animo delinquuntur. Cap. C IIII

QVæ ob uteri affectum exoluunt mulieres, ſuccurrito oxymelite, uincito ac fricato, præſertim crura, ſi uteri cauſa ſuffocentur. quod ſi reuellatur uterus attrahatur ue, cucurbitulas inguinibus ac femoribus applicato: naribus fœtida, utero bene olẽtia, & quæ relaxare calefacereq; poſſint medicamẽta adhibeto.

De his quæ ob immoderatam menſium inanitionem animo delinquuntur. Cap. C V

AT quæ ob ingentem menſium euacuationem animo delinquuntur, manus potius ligato & fricato, cucurbitulasq; pectori applicato.

De his qui à ſtomachi imbecillitate animo delinquuntur. Cap. C VI

VBi ob ſtomachi imbecillitatem deliquium animi fit, cataplaſmatis roborantibus utimur, è palmulis, uino, polenta, croco, aloe & maſticha: fomentisq; ex abſinthio, oleo de citonijs, maſtichino, nardino, & uino. quod ſi ſtomachus ardeat, miſcendum quidpiam ex refrigerantibus, ut ramenta cucurbitæ, ſucci uel lactucæ, uel portulacæ, uel ſolani, uel ſeridis, uel rumicis acidi, uel uuæ acerbæ. hæc enim non tantũ refrigerat, ſed adſtringit quoq;. ijſdem frictio extremorũ egregie cõfert. ubi ergo per hęc profeceris, ad balneũ ſtatim ducendi ſunt, & q frigiditatis

ſenſum pceperint dato ijs uel cõfectionẽ diatrionpepereon,uel ipſum piper albũ.

De ijs qui ob uitioſos humores eroſionem ſtomachi ſentiunt. Cap.C VII

QVicunq; ob uitioſos humores os ſtomachi erodentes exoluuntur, his calida epota uomitũ præcipito:ſi parum obediat uomitus,manus prius ac pedes & partes ſtomacho adiacentes foueto: inde immiſſione digiti aut pennæ uomitũ excitato.ſin id quoq; non ſucceſſerit,ad alui proritationẽ declinato cum his quæ ſupponuntur.ubi ita profeceris,abſinthij comam in mulſa elixatam bibendã dato,& ad corroborandũ ſtomachum, tum cum extrinſecis, tum cum intrinſecis omni conatu incumbito,animaduertendo ne hęc à principio fiant:comam inquã abſinthij & alia huiuſcemodi exhibere : ſed poſterius ubi iam uitioſi humores & excremẽta à ſtomacho & uentre inanita fuerint.

De his qui in ſtomacho pituitam collegerint. Cap.C VIII

QVi ex plurima frigida pituita in ſtomacho collecta exoluuntur,ijs oleo calido in quo abſinthium decoctum ſit,q̃maxime uentriculum fouemus:inde mulſam in qua hyſſopus aut quid tale maduerit, aut oxymeli cum pipere propinamus,& medicamentũ diatrionpepereon aut dioſpoliticon exhibemus:ſummatim uictum qui incidere poſſit eligimus.

De animi deliquio ob ingentem algorem. Cap.C IX.

IIs qui ob nimiũ algorem exoluũtur, eadem omnino quæ morbo bulimo appellato conſerunt prorſus calefaciendo, uinum calida temperatum,& alimenta calorifica exhibendo,fricando,& prope ignem fouendo.

De animi deliquio ob uehementem calorem. Cap.C X.

QVi ob nimium calorem uel à præfocanti aere , uel à multa in balneo mora contractũ delinquuntur animo,reſtitues ſi cõfeſtim frigida inſperges,uentilabis,ſpirãtiq; auræ obijcies,& os uentriculi fricabis denudabisq;:tum deinceps uinum atq; alimenta exhibebis.

De his qui ob inflammationis magnitudinem uel ob febris malitiam in acceſſionibus animo delinquuntur & refrigerantur. Cap.C XI

ARtus egregie fricato & foueto, manusq; ac pedes uincito,uigilias imperato,& ut penitus ab epulis & potione abſtineãt.optimũ hic eſt, ut futurã cladem pcognoſcas,occurrasq; ante acceſſionẽ cũ eis quę recreare poſſe conſideris.

De his qui ob ſiccitatem in acceſſionum principijs exoluunt̃. Cap.C XII

MAxime intereſt prę uidere,in acceſſionum principijs caſuros in ſyncopam : ſi enim duabus aut tribus horis ante exacerbationem alueris,contrectariq; pedes ac manus iuſſeris,non interibunt. alimenta eſſe oportet concoctu facilia & ſtomacho conferentia.q; ſi inſigne periculum futurum intellexeris, panem prius ex uino aut chondrum alicæ uino madefactum præbeto.ubi uero ſyncopam mediocrem ſperaueris, uinum ne dato, ſed punicorum ſuccum aut citoniorum , aut alicuius adſtringentis fructus epulis commiſceto. poſt exacerbationem uſus fructuum neceſſarius non eſt:qui uero in repentinum diſcrimen incidunt,his uini calidi & panis & chondri alicæ quidpiam perq; modicum dato : nam ſi alimentum uel copioſius uel coctu contumacius dederis,illico ſuffocabis.

De his qui ob obſtructionem principis membri animi deliquium patiuntur. Cap.C XIII

OB principis membri obſtructionẽ animo derelictis oxymeli dandũ,& potiones ex hyſſopo,origano,puleio & melle, alimẽtaq; egregie incidẽtia:craſſa eñ & uiſcida magnũ inferunt nocumentũ. ab his ergo penitus abſtinendũ, artus pfricãdi & uinciẽdi ſunt,et potionib.urinã ciẽtibus utendũ,apio,petroſelino,dauco,& huiuſmodi,ubi inſignis succeſſit utilitas:uinũ etiã dilutũ antiquũ,ppinãdũ.

De his

De his qui ob repentinam euacuationem exoluuntur. Cap. CXIIII

OB repentinam amplamq́ abſceſſus eruptionem aut inciſionem aut inanitionem aliam ueluti menſium, ubi quis animo delinquit, confeſtim rebus odoratis animum reuocato, inde iuſculis concoctu facillimis alito.

De his qui ob mœrorem, gaudium, terrorem, iracundiam animo delinquuntur. Cap. CXV

QVi uero ob mœrorem, gaudium, terrorem, aut iram attoniti euadunt aut exoluunt, odoribus & his quæ per os aſſumunt, recreatos uomere cogito. De cardiacis & bulimo agetur ſuo loco, ubi de ſtomachi uitijs pertractabimus.

De capitis dolore in febribus. Cap. CXVI

RAtione febris caput dolentibus lux inimica eſt, concuſſo enim uiſu cerebri membranæ agitantur: pedes his ſuauiter palpandi ſunt, extrema contrectanda & cõprimẽda, calor à carbonibus, lucernis & ſole, et à fumo redditus prohibendus, ingrati odores & uaporoſi, clamores, iræ, aſſidua potatio & oris ablutio, uitãda omnia: extemplo enim aut ab ipſo ore, aut à ſtomacho humefacto copioſus uapor ad caput attollitur, quod alioqui ignitum eſt. plurimis præterea irrigationibus occurrendum, oleo omphacino, aut optimo roſaceo madefactum lanæ manipulum ab alto digitis exprimẽdo, ut in riuuli morem moderato percuſſu decidat quod irriguum eſt: ac niſi aeris qualitas obſtet, frigidum ſit oportet, aut ſuapte natura aut ſtudio paratum. increbreſcente dolore in aures quoq; roſaceum inſtillato, & tempore ita ſuadente ac dolore cum aliquo ardore infeſtante, ſucci ocymi aut polygoni aut menthæ trientem aut quadrantem admiſceto: nec fruſtra aceti modicum addideris, in quo pręſertim quidpiam ſerpilli decoctum ſit. perſeuerante dolore ad ſanguinis miſsionem recurrendũ, niſi quid obſtiterit: quædam etiam utiliter odoranda concedes, ut myrthum, roſam, puleium. fronti & ſincipiti cataplaſma applicato, & polygono trita cũ polline hordaceæ farinæ & ſeridis ac plantaginis folijs. quod ſi uioletus iam dolor obſederit, hyoſcyami folia uiridia aut papaueris cum mica panis adhibeto: præſtat uero amygdala amara madefacta cortice adempto & cum mica panis cõtuſa, temporibus & fronti applicare: aloe etiam ex aceto aut crocomagma utiliſſime illinitur: certe lumbrici terræ illiti mirum in modum illico opitulantur. aluum iſtorum facilem eſſe oportet, obſeruandum tamen ne ſtomachus uehementer uexatus patiendi conſenſum in caput afferat, enitendumq́ ut noxia uomitu pellantur, ac ſtomachus corroboretur.

De uigilijs in febribus ex Galeno. Cap. CXVII

VBi uigiliæ exceſſerint, manus crurać uinciri oportet, hora maxime ſomno capeſcendo conſueta, monendumq́ ut ſæpius genas aperiendo conniuendoque defatigentur: inde repente ſolutis uinculis ſublataq́ lucerna plurimum ſilentium imperare.

De ijſdem ex Herodoto & Philumeno.

VIgilantium puluinaribus ſupponendi papaueris albi caliculi, aut nigri radices, aut poma mandragoræ, aut hyoſcyamus: uiride etiam papauer odorandum, & ſylueſtris lactuca, quam papaueraceam uocant, & mentha, coriandrum, roſæ: nos uero calicum papaueris nigri, meliloti, calamenthi & puleij decocto faciem aſſidue lauamus, & magis confert. Odoramentũ optimum. Calicũ papaueris albi aſſatorũ, corticis radicũ mandragoræ partes æquales cõtuſas uino & modico roſaceo irrigato, et naribus admoueto. tali etiam ſoporifero ſuffumigio utendum: ſtyracis, amomi, ammoniaci thymiamatis, bdelij ſcythici, radicis mandragoræ partes æquales cõficito, & ſuper cupreſſi lignis ſuffito. Nec parum ad conciliandũ ſomnũ facit thymiama Beronicæ, quod in libro de theriacis xiij. inquam

 deſcri-

deſcriptum eſt. utere & hoc ſomnifero unguento: ſtyracis unc. ſſ. myrrhæ tantun dem. ſucci pomorũ mandragoræ, corticum radicis eiuſdem, ſeminis hyoſcyami ni gri, baccarũ myrthi nigrarum, roſarum aridarũ ſing. unc. i. olei lib. i. uini antiqui odorati quod ſufficit, terito et cribrato & cum uino conficito, inde oleum iniicito, unito & utere fronti ac naribus interius & exterius illinẽs: fronti etiam ſerpillum & meliloũ in paſſo elixata, uel ocymi aut fuſi agreſtis ſemina, uel hyoſcyami aut ſolani ueſicarij folia, uel cyphi uel crocomagma illinito. q̃ ſi uigiliæ ulterius perſi ſtant, temporibus ac fronti paſtillum quempiã ex anodynis applicato: ſi nihil ad huc profeceris, difficultatem præfatus anodynorum aliquod potandum præbeto: tutiſſimum uero eſt & guſtu ſoporiferorum omnium iucundiſſimũ, quod ex cali culorum papaueris decocto & ex melle conficitur, cuius mixtionem in hoc libro paulo infrà dicemus. utere inſuper optimo cataplaſmate, è palmulis madefactis aut elixatis, in uino tritis cum polenta & modico roſaceo aut oleo de citonijs: pe ctori enim applicatum ad ſomnum capeſcendum diſponit.

De improbo ſopore quem cataphoram uocant ex Herodoto. Cap. CXVIII

EXquiſitam cataphoræ curationem ſequenti libro ubi de capitis morbis age tur, explicabimus, quando & de phrenitide loquemur. nunc docendum quo modo quiſpiam urgentibus ſymptomatis repente occurrat: ſpongia ergo in oxy crato qui poſca eſt, non ualde frigido madefacta faciem contrectabimus, extremi tatesq́ ualide uinciemus, & odoramenta quæ incidendi excitandiq́ uim habeant admouebimus, præſertim caſtoreum, & in exacerbationum remiſſionibus cucur bitulas ſcapulis & dorſo applicabimus. perſeuerante morbo in iiſdem remiſſioni bus ad ſternutamenta accedemus. cauendum etiam ne omnino recõdantur lucer næ, ita enim repletur caput. ſit ciborum materia quæ incidendi diuidendi excitan diq́ uires habeat: applicenturq́ naribus uel ſeorſum uel cum aceto ea quę poſtea de lethargo ſuo loco docebuntur.

Quomodo linguæ aſperitas in febribus emendanda ſit. Cap. CXIX

LIngua in febribus quandoq́ areſcit, ut humectatione indigeat: interdum ma gis minus ue ſcabreſcit, infringitur, nigreſcit, carbonisq́ ſpeciẽ induit, quod à uiſcerum inflammatione euenire ſolet. & ſi illæſis hypochondrijs eueneri, per niciem indicat: humectatur lingua detento in ore ſeminis lini cremore, præſtat q́ id efficacius ſi cum ſemine lini myxæ decoquantur: quo deinde ſucco madefacto digito linguam perfricemus, detergentes ſimul impactam dentibus ſordem: inde os limpida aqua colluatur, aut nitenti ſpongia abſtergatur. mox roſaceo uel ſolo, uel cum melle, quod ſatius eſt, probe illinat. ſuccus etiam portulacę in ore deten tus humectat, & rhu obſoniorum aqua aut mulſæ mixtum. damaſceni item aut myxæ nucleus ore detentus mitigat: ſæpe & lactucæ caulem ad nuclei oliuæ for mam deſectum, aut ſymphyti radicem ori detinendum dedimus, & benefecit. ali menta quæ his offeruntur, immordacia ſine adſtrictione penitus leuia & ſorbitio ni apta eſſe oportet. quod ſi hypochondria inflammentur, his curatio adhibendã eſt: in morbis enim extrinſecis lingua affici prima incipit, ultima deſinit. at ſi ul terius extendat̃ ſcabrities, anſerino adipe, uel ſi hic defuerit, gallinaceo, maxime tamen omnium phaſianico liquato digitum madefacies, & linguã exquiſite per fricabis. perſeuerante ſcabritie, butyrum recens optime cõfert, quod in principio adhibendum non eſt.

Quomodo ſitis extinguenda ex Philumeno. Cap. CXX

SItis duabus de cauſis fit, aut humoris indigẽtia, aut caloris exuberãtia. utraq́ febrientes torquet: uehemens eñ caliditas ariditasq́ in illis eſt, plurimo humo re impetu febris abſumpto: qui ſi tutò bibere poſſent quoties appeterẽt, hãc pror

ſus ſitis

ſus ſitis medicinã amplecteremur. ſed quoniã tempora ac modos potioni præfini ri oportet, quædam interim ſiti refrigeria quærenda ſunt: potus enim importune oblatus nõ ſolum ſitim non extinguit, ſed uehementius acuit: in acceſſionũ enim principio affatim materię febrim accẽdentes ad profundũ declinando, ſitim inten dunt, potioq́; tunc exhibita materiæ copia ſuperat͂, & contagio tranſmutata ægri tudinem auget. in principijs ergo & incrementis potus inhibendus eſt, in uigore ablutionib. primo & gargariſmis exareſcẽs corporis ſqualor mitigãdus, inchoan te declinatione iam bibere ægro permittendũ: in remiſſione uero nolens etiam co gendus, ne futura ſubinde acceſſione exareſcat atq; incendat͂. cęterũ ſitis frigidiſ ſimi olei uel cõmunis, uel roſacei irrigatione ſedat͂, in defluentis riuuli morem pa rata ſicut alibi docuimus. cõferunt etiam præſidia quæcũq; in febri ardẽti enume rauimus, & q̃ nuperrime diximus ad linguæ ſcabritiẽ. præſtantiſſimũ omnium ſi mandat͂, lactucæ aut cucumeris ſemen & glycyrhiza, poſt quorũ manducationẽ abluere os & gargariſſare oportet: omnia uero alimenta humectãdi uim habeãt.

Ex Dioſcoride pilulæ ad ſitim.

SEminis cucumeris drach. viij. tragacanthæ drach. iiij. ſemen terito & cribrato. tragacantham in ouorum recentiũ crudorum albumine diſſoluito, deinde pi lulas cõficito atq; in umbra exiccato, quarum unam ore tenendam dato, & humo rem inde ſolutum deuorandũ moneto. aqua etiam in qua citonia aut pira pręma duerint, uel uuæ acerbæ ſuccus uel hydroroſatũ uel mel roſaceum cum aqua cali da febrientium ſitim extingunt. in ſanis uero ſitis quæ ob ſiccitatem contingit, ſo mno curatur, ita enim humores maturantur. contra uero quæ ob calorem fit, uigi liæ reprimunt: nam in uigilijs ad corporis ſuperficiem explicatur calor. at ſitis ab epularum caliditate, aut à uini copia contingens, frigidę potu corrigitur.

De aurium inflammatione in febribus ex Philumeno. Cap. CXXI

AVrium inflãmatio in febribus ſiue præcedens ſiue ſubſequens, infeſtiorem omnino reddit ægritudinẽ. ſequuntur inflammationem uigiliæ, perſeueran tem etiam delyria. Hippocrates harum dolores mortales aſſerit. moderato igitur dolore & adhuc in principio exiſtente, in aurem roſaceum tepidum, aut oui albu men liquidum cum muliebri lacte inſtillato, lanaq; anethino oleo madefacta exte rius foueto, caputq́; roſaceo aut oleo omphacino irrigato. increbreſcẽte uehemen tius dolore uenam ſecato, aluumq́; irritato: inde extra aurem circa audiendi mea tum cataplaſma panis illinito, aut ſemen lini tritum cum folijs uirentibus hyoſcya mi aut papaueris, & cataplaſmate conficiendo butyrũ pro oleo adijcito. in dolorũ exacerbatiõe ſpongijs ex hydræleo. i. oleo aquę immixto locũ uſq; ad indolentiã foueto: inde hæc q̃ ꝓxime diximus, rurſus illinito, & oleũ amygdalinũ in calido ci nere cũ calicibus papaueris calefacto in aures inſtillato: aut lũbricos terrę, aut aſel los ſub hydrijs inueniri ſolitos, quos oniſcos uocant, aut araneos roſaceo elixatos inijcito.

Suppuratę auris medicinę, & de auditus difficultate. Cap. CXXII

SVppurata inflammatione factaq; in meatu eruptione, lana ſpicillo circumuo luta pus ubi deterſeris, mulſa primo abluito, inde uino mulſo, poſtea & oxy melite, addendo oxymeliti nitri modicũ: meatui uero medicamentum noſtrum la na exceptũ applicato, quod egregie conferet, & eſt alumen liquidũ, mel, oleum ro ſaceum, æquis portionibus paululũ ſimul decocta. probe etiam facit Muſæ paſtil lus, optima ſapa et modico aceto ſolutus. illud ſciendũ, in acutis febribus peſſimũ indicium eſſe audiẽdi difficultatẽ: nam uel lethargũ, uel ſenſuum interceptionem quam catochã uocant, uel letales parotidas, aut aliam quandã minatur perniciẽ: raro tamen audiendi difficultas cum morbi reliquijs permanet, ſed cum morbo in tercidit, interdumq; unà cum febri acceſſum & receſſum alternat, quo tempore

nec uexare auditus meatum oportet,ſed caput tãtum irrigare his quę in febribus ad capitis dolorem congruunt.

De ophthalmia ſeu lippitudine in febribus. Cap.CXXIII

VBi lippitudo in febri ſuperuenerit, à purgante medicina omnino abſtinendum eſt,tantum albumen oui cum lacte infundendũ,extraq; illinendũ glaucium aut nili diarhodon, aut aliud quodpiã eorũ quæ diacrocu appellant,fluxionem ſimul cum refrigeratione repellentiũ.ubi maximus dolor infeſtet,ſpongia locus fouendus eſt,& thorulus ouo illitus de more apponẽdus:& ſi adhuc intendatur dolor, panis in decocto caliculorũ papaueris & meliloti cũ oui uitello crudo aut elixo,& modico roſacei madefactus,applicandus:aut pſylliũ aqua feruenti irrigatum apponendũ:ubi inflammatio ſuppurauerit, utendum collyrijs anodinis.

De hebetudine quæ à morbo contigerit ex Philumeno. Cap.CXXIIII

REcedentibus morbis, & circa conualeſcentiam interdũ uel uterq; oculus uel alter tantum hebetatur,ut uix ueluti per caliginem quandam proſpiciant,& ſæpe intuentibus tanquã pili offerantur:uidentur oculi ſi inſpiciantur ſinceri:par uior tantum aut amplior licet rariſſime puppilla apparebit.hæc hebetudo repente inuadit,ubi prope ſinem morbi iam conualeſcentes pollutio in ſomnis detriuerit,iudicium imbecillitatis ſpiritus & nerui quem ὀπτικὸν uocant. corpori igitur robore exacte reſtituto ſtatim & integra uidendi facultas ſequitur:propterea à localibus præſidijs omnino abſtinere oportet,neq; fouendo,neq; illinẽdo,ſed uictu tantum reficiente accidens corrigendum eſt.

Curatio diſtillationis ſanguinis è naribus febrim ſequentis. Cap.CXXV

DIſtillationem ſanguinis narium in febribus quæ in quarta contigerit, peſſimum indicium eſſe Hippocrates aſſerit: collectam enim multitudinẽ in uniuerſo corpore aut in capite oſtendit. ſtillat ſanguis aut inculcatis,aut condenſatis meatibus,ſed excretio ampla copiam remittit & minuit: paulatim ergo inaniendus eſt qua maxime incitatur natura.hac ego ductus ratione auſus ſum in quarta ubi huiuſmodi ſtillatio ſuperuenerat,nariũ uenas coliculo graminis de more percutere: neq; oportet modico fluxu cõtentos eſſe,ſed pro uirtutis ratione auferre, inde conſuetis præſidijs ſiſtere.

Quomodo ueſicæ conſulendum & urinæ difficultati in febribus. Cap.CXXVI

IN peſſimatum febrium initijs hoc quoq; contingit incommodum,ut ueſica doleat,& cum dolore paulatim urina prodeat,quod non ſolum infeſtũ eſt,ſed partes etiam neruoſas male affectas oſtendit:uniuerſo enim corpore crudis humoribus repleto,repentina copia proruit in ueſicam, quam diſtentam actionibus ineptam reddit,atq; ex urinę detentione in diſcrimen ducit.ſumini igitur ilibus & inguini lana pura apponatur,oleo dulci calido madefacta aut ſicyonio: præſtatq; ſi anethum aut ruta in oleo decocta ſit.poſt ſomenta ſemen apij,aut cyminum tritũ cum lana applicatur:ſi dolor intẽdatur,etiam cataplaſmata poſt ſomenta adhiberi oportet: rectumq; inteſtinum abluendo cum butyro & oleo in quo fœnugræcum decoctũ ſit,ſi mulier fuerit,etiam uterus abluendus. ſed ſi urgeat inflammatio, rubedoq; cum plurimo calore abdomen obſederit, uena ſecãda eſt,tenuiq; & exquiſito uictu utendum:iuſculis inquam ptiſanæ aut chondro mulſo abluto,aut ouis ſorbilibus.poſtea & mica panis probe lota præbenda eſt, mox & malua trita & porrum capitatum pluribus elixatũ aquis, piſceſq; molliſſimi. inſeſſiones etiã machinandæ uſq; ad umbilicum & lumbos, artemiſiæ decocto, & fœnugræci & puleij,oleo quoq; ſubinde addito. ſi ultra proceſſerit,illinatur caſtoreũ.utiliſſimũ eſt hoc morbo laborãtibus poſt augmẽtũ cucumeris agreſtis ſemẽ:pręmadefacto

cortex adimitur, & triti cochlearia duo ex tribus aquæ cyathis propinãtur: cit uri-
nam ſine moleſtia, & dolorem confeſtim ſedat. ab alijs uero urinam cientibus do-
nec perſeuerat febris omnino abſtinendum eſt, ne urinæ copia ad ueſicam delata
extendat atq; incommodum augeat.

Quomodo lumborũ doloribus conſulendũ, ex Philumeno. Cap. CXXVII

LVmborũ dolor ferè in malignis febribus ſtatim à principio contingit, qui ſi
perſeuerauerit, maximas turbulentias affert: ſi uero repente interciderit, ad-
huc periculoſiorem morbum portendit. primis ergo diebus oleo pauco uino addi
to locum fouere oportet: inde aphronitrum paſſum, ſal, oleum, ſuccida lana exci-
piantur & applicentur. hæc autem fomenta uehementẽ quidem dolorem ſedant,
ſed nõ omnino tollunt: ſucceſſu ergo temporis uena ſecanda eſt, mox cucurbitulę
loco affigendæ: deinde cataplaſma è lini ſemine & fœnugræco confectum, in cru
mena locatum lumbis apponimus, ægrumq; in ipſos pronum iubemus decumbe
re, deinceps oleo rutaceo & ceratis ex liguſtrino unguento præparatis fouemus:
aluus uero ſtatim à principio congruis alimentis molliatur: nec parum confert cly
ſter ex decocto agreſtis cucumeris & melle infuſus: pituitam enim ducit & celer
rime ſubleuat, ni uehemens febris obſtiterit.

Curatio ulceris oſſis ſacri in febribus ex Philumeno. Cap. CXXVIII

IN diuturnis & colliquãtibus habitum febribus, abſumpta carne nudis oſſibus
decumbitur, partesq; maxime extantes doloroſis ulceribus corripiuntur, quæ
haud facile tractari poſſunt, cum à ſtragulis aſſidue conuertantur: nec tantũ quia
difficulter curantur, aut quia dilatando, profundando, & craſſioribus labijs depa-
ſcendo uſq; ad nuditatem perueniant: ſed infelicis quoq; indicationis gratia hæc
ulcera deteſtari oportet. ab antiquis enim accepimus hunc affectum perniciẽ por
tendere, propterea antequam inſanabilis reddatur, ad curationem properandum
eſt. primum igitur ubi inchoat, ac locus cum dolore rubeſcit, circulũ laneum aptę
magnitudinis loco ſupponimus, ut pars affecta ab omni occurſu libera in uacuo
conſideat, commodeq; decumbat: deinde ceratum ex oleo roſaceo aut myrthino
cum ſpuma argenti, aut ceruſa & hordeo exuſto confectum applicabimus, ſubie-
cto ſemper laneo circulo: idem faciunt reliqua omnia cerata ad ſedem. confert eti-
am quod in æreis lebetibus ſubſidet, fundo ueluti teſta quædam adhærens, roſa-
ceo cerato admixtum, quod in ahenis balneorum frequentiſſimum eſt. Item cera-
tum ex melle, quod quatuor res æquis portionibus continet: argenti ſpumã, oleũ,
ceram, mel, roſaceo ſoluitur & mirifice opitulatur. nec refellenda eſt fomentatio
cum ſpongijs. quod ſi inflammatio ſuperuenerit, panem cum ſolano, aut polygo-
no, aut plantagine, aut braſſicæ folijs loco illinito: ſi ulcus depaſcat, lentem cum
malicorio decoctam applicato, utitorq; medicamẽtis ad ulcera depaſcentia, quas
nomas appellant, ſolutis cerato uiridi epigoni aut coracis. ſed & paſtillus Andro-
nis, aut Muſæ, cum ſapa benefaciunt: ubi uero depaſcentiã cohercueris, ad prio-
ra communia præſidia redeundum eſt.

Curatio ulcerum ſcroti & ani in febribus. Cap. CXXIX.

VLcerantur in ægris hæ partes, quandoq; ob negligentiam tantum, quãdoq;
ob improbos mordacesq; humores & febres malignas. ſed in his mens quo
que uiolata eſt, ut neq; dolorem percipiãt, neq; ardori aduertant, aſſidentes fœto-
re deprehendunt. primo igitur ſpongia expreſſa ex aqua ſuauiter calida locus fo-
uendus eſt: mox oleo roſaceo aut myrtino inungendus, inde ſcrotũ puluiſcula ari
dæ myrti aſpergendũ: tum cum ouo & ceruſſa addita roſacei aut myrtini olei por
tiuncula ne exareſcãt, illinendũ. quod ſi emplaſtrorũ inquinamenta perferri poſ-
ſunt, ceratũ quod trypherũ appellatur ex roſaceo, ceruſſa, ſpuma argẽti & ouorũ

uitellis confectum applicabis. confert etiam ceratum ex butyro aut anſerino adi-
pe, aut gallinaceo, aut quod ex hordeo conficitur. item omnia quæ ad ſedem præ-
parantur. quod ſi ulcus ad depaſcentiam perueniat, recurrito ad ea quæ de olie ſa
cro retulimus. alimenta dulciora offerenda ſunt, dulcium miſcendorum menſurã
cõiectando pro febrium qualitate, ne dum parti conſulis, toti noceas: nec aluus in
terim negligenda eſt, præſertim ubi ſedes melius habuerit.

Curatio puſtularum in febribus quas exanthemata uocant, ex Herodoto. Cap. CXXX

FEbricitantibus ferè circa morbi ſolutionem, puſtulæ circa labia & nares ſæ-
piſſime efflorеſcunt. in ipſarum uero febrium principio non mitiorum, ſed ea
rum quę à multum deprauatis humoribus accenduntur: in uniuerſo corpore, aut
in pleriſq; membris apparent puſtulæ paruę, uibicibus aut culicum morſiunculis
ſimiles: quę in malignioribus & peſtilentibus febribus ulcerantur etiam, & ad car
bunculorum ſpeciem accedunt: omnes deprauatorum humorum & habitum ero
dentium multitudinem indicantes. quarum quæ faciem inuadunt, omnium peſſi
mæ ſunt: plures paucioribus peiores, maiores minoribus, quę diutius perſeuerãt,
his quæ ſtatim euaneſcunt. peiores quoq; igneæ & pruritum inferẽtes. at quæ al-
uo adſtricta aut mediocriter ſoluta eueniunt, meliores: ſicut quæ eadem fluente,
aut uomitu infeſtante fiunt, improbandæ. quæ uero ubi apparuerint, uentrem ſi-
ſtunt, commendandæ ſunt. quæ ergo circa mitiorum febrium ſolutionem in nari
bus & labijs oriuntur, roſaceo uel ſeorſum uel cum ceruſſa aut argenti ſpuma cu-
rantur. confert etiam paſtillus è croco, myrrha & alumine, quem irim uocãt. & ni
ger, qui habet crocomagmatis, balauſtiorũ, attramenti ſutorij, myrrhæ, aloes, por
tiones æquas cum uino ſubactas & in paſtillũ redactas, quem uſus tempore aqua
aut lacte aut uino diluimus. ſi maiorem adſtrictionem requirimus, poſt linimen-
tum ac ſine linimento quoq; agglutinãda membrana eſt, uel eo quod palmulæ nu
cleo adhæret, uel ouo. reliquæ autem totius corporis puſtulę uibicum ſpeciem ge
rentes, ſtatim à principio, niſi quid obſtiterit, ſanguinis miſſione curãdæ ſunt: con
ſuerunt enim ſi retroceſſerint perniciem afferre, niſi uomitu, aut per ſeceſſum uis
humorum pellatur. tunc igitur ptiſanæ cremore, ouis & oleo chamæmalino, ene
mate à ueſpere in totam noctem retẽto uentrem mollire oportet, ac parciſſime ci-
bos exhibere, ut tota multitudo expurgetur. in acceſſionibus uero ob ingentes cir
ca ſtomachum eroſiones, tepida propinata aut penna intromiſſa uomitum prouo
cabimus, alimentaq; contemperandi uires habentia, ſicuti ptiſanæ cremorem aut
chondrũ cum mulſa exhibebimus. quod ſi febris ardens ſimul uexauerit, uniuer-
ſum corpus hydrelæo portiũcula nitri admixta inungemus: puſtulas enim circa
ſuperſiciem detinet, & profundã materiam attrahit, intimaſq; partes refrigerat,
ac ſæpe ſudore allato ingens acrium humorũ copia diſſlabitur. ad peſtilẽtes uero
& ad carbunculorum naturam accedentes ſtatim quidem à principio ſanguinis
miſſionem admittimus. alimentum uero nequaq́ differimus: materiam enim ne-
quiorem ieiunium facit, uireſq; proſternit, quas infractas ſeruari in omnibus qui
dem febribus, ſed in peſtilentibus maxime intendimus. ſi ergo locorũ natura tole-
rauerit, ut puſtulæ illinantur, medicamento ex roſaceo, ceruſſa, thure & uino dul-
ciſſimo, aut ſpuma argenti, & thuris polline cum roſaceo cõfecto utemur. reliqua
membra cerato ex eadem materia præparato inunguntur: atq; huc mutuari poſ-
ſunt cerata uniuerſa quæ ad ignis uſtionem conficiuntur. faciei uero puſtulas ca-
lida ablutione mitigamus, & quæ in reliquo corpore ſunt, ſpongia fouemus: præ
ſertim prurĩẽtes. ꝙ ſi ultra ſerpãt, inextinctæ calcis modicũ admiſcere oportet: mi
rifice eñ exiccat ac depaſcendi uim reprimit. at quæ iam depaſcũt, lenticulã cum

malicorio

malicorio & melle elixatã, uel plãtaginem uel polygonũ, uel roſas cum pane confectas illinito. cõfert & ad humorũ cruditatẽ cõtemperandã caprinũ lac epotum: trientem aquæ lacti admiſcere oportet, uerſatuq́ aſſiduo uſq; ad ſemiſſem decoquere: ita enim neq; in caſeum uerſum aceſcet, neq; à febrili calore ignitum ad nidorem mutabitur. in declinatione purganti medicamento materię idoneo corpus euacuabimus, deinde theriacam antidotum exhibebimus, aut mithridaticam, aut aliam quandam earum quæ ad letalia & uenenoſos ictus cõficiuntur. humorum enim ad corruptionem auerſio ingens uenenoſo medicamento ſimilis eſt. eueniunt interdum puſtulæ magnæ, colore candidæ, pruritum exiguum inferentes, redundantes plerunq; in femoribus, natibus, ilibus & abdomine, à multa & ignaua materia trahentes originem, quæ uniuerſi corporis curatione tollũtur: nullum enim inde inſigne malum timeri debet, ſed parcitas tantum cibi adhibenda eſt. quod ſi cum his ardentes febres euenerint, in acceſſionum uigore niſi uiſcerum imbecillitas obſtet, frigidæ potionem concedemus. nonnunquam etiam puſtulæ quædam oriri ſolent rotundæ, inæquales, ſubalbidæ aut ſubrubeæ, duræ cum eleuatione carnis, haud diſſimiles panis, qui in facie eueniunt: plurimum pruritũ inferentes, ut inextinguibili ſcalpendi deſiderio uigilias inferant, quæ plerunq; febrim intermittentem cõſequuntur, & omnino miniorem indicant morbum: ideo ægrum oportuno tempore perquam calidam aquam ingredi oportet: deinde extrinſecis linimentis, oleo inquam myrtino aut lentiſcino, cum myrti frondibus uel polline thuris, uel cimolia torrefacta uel alumine liquido, uel lomento, uel ſeſamo adiecta aceti portiuncula illini. ſi uero pruritus urgeat, lino crudo aut ſpõgijs ex aqua feruida expreſſis foueto. at ſi exulcerentur, ceratis ad ignis uſtionem cõfectis utitor, & eo præcipue quod fit ex hordeo. puſtulæ quæ ualde rubent malæ ſunt iudicandæ, quæ liuent peiores, quæ nigreſcunt, & quæ ueluti infixæ carunculæ extuberant, peſſimæ. at quæ in facie & thorace & lateribus & uentre & ſcapulis redundant, à principio ſtatim ne curato, ſed uarie rem trahito: infortuniorum enim cauſæ ad curatorem, uel ſanitatis pollicitatorem referuntur. at ſi uſq; ad morbi uigorem perſtiterint, neq; ad peius declinauerint, non omnino ſunt negligendæ, licet perq; raro & caute curandæ ſint: poteris tamen prodeſſe ſi ſingulis ſuo tempore occurras, atq; ardenti ſtudio curationem ſuſcipias: nam quæ in demortua ſuperficie è profundo emergũt, quid aliud tandẽ portendãt, quàm uitã ab intrinſeco efferri?

De tremoribus in febribus ex Herodoto. Cap. CXXXI

TRemores qui in febribus fiunt, uel à deprauato uictu, uel à nimio aquæ frigidæ ſeu poſcæ, ſeu uini potu, uel ab immoderato cõcubitu aut reliquis huiuſmodi originem trahunt. primo igitur abſtinendũ ab his eſt quę noxam inuexere: & quoniam dorſum præ cæteris huic iniuriæ paratum eſt, ideo totam præcipue ſpinam, dein reliqua membra lanis, oleo ſicyonio uel gleucino, uel rutaceo madefactis, uel cerato ex quopiam horum confecto fouere oportet. caput etiam primis diebus oleo cõmuni dulci irrigãdum. poſtea ſi morbus diuturnior fiat, anethino: ad quod opus peragendũ acceſſionũ interualla eligenda ſunt. ſed & cucurbitulas à prima uertebra uſq; ad lumbos applicabimus, & hordeaceam farinam oleo & aqua dilutam, quam oman lyſin uocant, eiſdem partibus ſimul cum hypochondrijs illinemus, deinde lana oleo antiquo aut ſicyonio obtegemus. poſtremo ſorbitiones calidas exhibebimus, laxandęq; aluo conſulemus, neq; ab his diſcedemus, donec morbus uel ſoluat̃ uel minuatur. qui ſi perſtiterit, neq; declinauerit, ad curationis modũ cæteris tremoribus cõmunem accedemus, ægrũq; alternis diebus calidũ oleum ingredi iubebimus: oleumq; ſicyoniũ uel cõmune antiquũ ante ingreſſum, atq; etiã poſtea illinemus. ſępe & caſtoreũ huiuſmodi linimento utiliter

adijcitur

adijcitur: quin dolore infeſtante caſtoreum etiam propinabimus, ceratisq́ addemus. deniq́ unctionibus ad reſolutionem deſcriptis utemur.

Omæ lyſios confectio. Cap. CXXXII

OMa lyſis ita conficitur: hordei, fœnugræci, & ſeminum lini farinas ſimul in ſapa uſq́ ad glutinis conſiſtentiã decoquito, deinde duo aut tria ouorũ uitella ſuperaddito: nõnulli & ſemen apij adiecerunt, ubi flatuũ copia infeſtaret.

De conuulſionibus in febribus ex Galeno. Cap. CXXXIII

COnuulſiones repletis neruoſis partibus plerunq́ cõtingunt, qua ratione maximis inflammationibus ſuperuenire conſueuerunt. interdũ ob tenues mordacesq́ humores neruoſa loca erodentes, interdum ob ingentem algorem, quidpiam ueluti gelu inferentem, ſæpe ob nimiæ ſiccitatis exceſſum generantur: quæ quidem pernicioſæ phrenitidi, ſiue ob febris uehementiam, ſiue ob uiolentas feroceſq́ motiones præcipue ſuperueniunt: nec quempiam hac ratione affectum euaſiſſe, uel ego uidi uel fando audiui aliquem ſe uidiſſe. tres ergo conuulſionũ prædictæ ſpecies ſæpenumero ſanantur, quarta uero omnino inſanabilis eſt, quæ ob neruoſarum partium ſiccitatem contingit: nonnunq́ in ore uentriculi humor tenuis & acris collectus, præſertim æruginoſus, ingentes conuulſiones, & ad syncopam deferentes excitat, ut frigidi exudentur uapores. his tepida propinata digitorum aut pennæ immiſſione uomitum prouocamus: & ſi circa inteſtina mordicationis indiciũ fuerit, ptiſanæ cremorem per clyſterem iniicito, datoq́ alimenta corruptioni renitentia, ueluti chondrũ alicæ, cum granis mali punici, & alia huiuſcemodi. quod ſi nihil tale contigerit, uniuerſi quidem corporis conuulſiones in tetani morem curabimus. quæ uero peculiariter cuidam parti contigerint, primo contracta membra placide demulcebimus, doloresq́ mitigabimus, atq́ oleo ſicyonio antiquo calefacto ſuauiter perfricabimus: deinde perſeuerante affectu caſtoreum quoq́ ac cætera relaxantia linimenta applicabimus. qui uero ob febris uehementiam potiſſime præſente delyrio ſiccitatis cauſa conuellunt, his calida multa temperata caput manus ac pedes colluere oportet: deinde caput quidem oleo dulci calido irrigare, manus autem ac pedes eodem oleo perungere, poſtea circumiectis ueſtibus fouere, & quietem adhibere. at ubi à ſanguinis copia conuulſio contigerit, uenam ſecare expedit: inde cucurbitulas cum ſcarificatiõe ultimæ quidẽ ſpondylo applicare, ſi crurum conuulſio infeſtauerit: ſed ſi manus conuellantur, ſeptimæ ſpondylo & articulo humeris ſubiecto ſunt apponendæ. quod ſi uniuerſo corpore perſiſtente ſano labium aut oculorum genę contrahantur, ſęuum id accidẽs exiſtimare oportet: cui cum occipitij & duarum priorum uertebrarum ſcarificatione occurremus, caputq́ oleo anethino calido irrigabimus, atque ubi acceſſerit occaſio, æger ad balneum ducendus eſt, & adhuc in potu aquæ continendus. at ſi neceſſitas uini exhibendi fuerit, paucum dilutumq́ concedito.

De dulcibus conſuetisq́ in febri potionibus ex Philagrio. Cap. CXXXIIII

DVlcis potio duplicẽ utilitatem affert: primo quod iucunditatis gratia libentius à natura amplexetur: uentriculus enim placidæ rei occurrens ac circumſtans, eam facilius ſubigere ac cõficere poteſt, inq́ uires parãdas proficere, pręſertim ſi moderata quãtitas offerat̃. unde natura refocillata, ac ueluti reuiuiſcẽs, actiones ſuas alioqui languidas et à morbi feritate defatigatas excitat. ſecũdo ꝙ ęgritudini duobus modis reſiſtat, tum uim illius cõtrarijs qualitatibus opprimẽdo, tum animalis uirtutes ſuſcitãdo, ut morbi impetũ uiolentiãq́ facile ferat: propterea omnes ferè mortales potus dulcedine alliciunt̃, ſed dulci præcipue uino ac mulſo: quæ quoniã febrientibus haud facile cõcedunt̃, alia potionũ genera q̃ proxime dicent̃, excogitata ſunt, & ipſa quidẽ nõ temere exhibenda: prorſus tamen uino ac mulſo tutiora.

Antido-

Antidotum quod diacodion appellatur. Cap. CXXXV

MEdicamentum diacodion præ cæteris occurrit, & quod ad uoluptatem iucundiſſimũ,& φ ad calidos uehementesq; morbos efficaciſſimũ ſit,tam ad eos qui uiſcera obſident,φ qui in toto corpore fuerint,ueluti febres & quos cholericos uocant:& qui delyria in febribus aut uigilias inducunt.ad tuſſes etiam frequentes ob tenuem humorem à calidiori capite in pectus defluentem genitas mirifice cõfert, quod ita conficitur:caliculos decem papaueris,unà cum ſemine,moderatæ magnitudinis,nouellos quidem,ſed inter duritiem mollitiemq; medios,in ſext.pluuialis aquæ diem ac noctem madefactos,igne fumum nõ reddente decoquito,donec ſatis flaccuerint.poſtea decocto expreſſo,& per ſetaceum cribrũ excolato,mellis optimi deſpumati ſemiſſem admiſcebis : deinde uerſatu aſſiduo rurſus ad mellis attici conſiſtentiam decoques.ſi tamen deſtillatio tenuior infeſtauerit,ſatius eſt mellis loco paſſum cretenſe aut ſapam admiſcere,ad quem uſum glycyrhizæ quoq; radicem,aut ea deficiente ſuccum , cum papauere decoquendum nonnunquam adhibeo . ubi uero humor iam defluxus in pulmone continebitur, eductioneq; indigebit,mel præferendũ eſt: quantitas quæ moderate exhiberi poteſt duo cochlearia nõ excedit,copiam tamen pro corporum, ætatum,regionum, temporum anni ratione augebis uel minues:minus enim frigidioribus, plus uero calidioribus propinamus,neq; ad perpendendã medicamenti menſuram deſtillationis qualitatem uel quantitatem negligere oportet. quod ſi ex thebano papauere conficiatur,unciæ pondus omnino excedendum non eſt.hactenus de huius antidoti cõfectione Galenus ſcribit,ego uero eo ſemper utor quod ex paſſo conficitur:interdum mellis uel oxymelitis nonnihil addendo,ſæpe & medicinam ad iocinoris, lienis aut ſtomachi uitia conferentem pro uariorum affectuũ ratione interm iſcendo,neq; in ueſpere tantũ ad ſomnum conciliandũ uel ad tuſſim arcendam, ſed deſipientibus quoq; poſt ſanguinis miſſionem,& uehementiſſime febricitantibus frequenter exhibeo: immo & ad os uentriculi intolerabili ardore affectum, & ad eryſipelata reliquosq; calidiores thoracis,pulmonis,iocinoris,inteſtinorum meſaraicarumq; morbos feliciſſime transfero:neq; ſemel,aut in uigore tantũ, ſed bis & poſt uigorem quoque propino,ſi modo manifeſta coctionis ſigna apparuerint, ubi ſcilicet hominem uigiliæ intenſusq; calor oppugnet . ego uero declarare facile poſſem,me ad putridas febres ante morbi uigorem diacodion ſexcenties feliciſſime expertum eſſe, immo & ad iocinoris , lienis pulmonisq; uitia cum oxymelite feliciſſime exhibeo. in febriũ uero declinationibus omphacomeli, aut mel roſaceum admiſceo,pro hominib.quidem rarioris temperaturæ & qui imbecillioris ſtomachi ac minime appetentis fuerint omphacomeli:pro his autem qui dulcibus potionibus aſſueuerint,& qui in uentriculis humidũ quidpiam medicamentoſum aut biliosum habuerint,mel roſaceũ.Atq; hæc quidem ad febriles affectus poteſt:ad urinæ uero ſtillicidia quæ ob lotij acrimoniam contingunt,præcipue in balneo,ſeu paulo ante balneum ubertim exhibitũ efficaciſſime confert:dandusq; his eſt craſſior meliorisq; ſucci cibus : certe ad renũ uitia & calidiores lumbos,tota curationis uis in hoc præſidio collocatur.ad diabeten autem & cholericos affectus frigida temperatum exhibebis,præſertim ubi in calidiora corpora incideris: in cholericis tamen extimam prius cutim cum adſtringentibus ſomentis firmare oportet : inde medicamentum omphacomeliti admixtum præbere.at ſi è thorace redundantes humores tuſſi excernendos decreueris, oxymeli calida aqua adiecta uaria proportione admiſcebis.

Ad erysipelam thora pulmonis, iecinoris

Omphacomelitis confectio. Cap. CXXXVI

RAcemos acerbos prope maturationis principiũ decerptos in loco tempera-

u to ex-

co explicatos duobus aut tribus diebus permittito, inde tabeſcẽtes exprimito, ſuccumq́ in uitreum uas exceptum tribus ſucci portionibus unica mellis optimi deſpumati adiecta, aliquot diebus inſolato, donec feruefactũ cõſiſtat. deinceps in ſublimiori parte domus ſeruato ne putreſcat. ſit hæc quidem tibi menſurarum proportio, ubi in optimum mel ſuccumq́ probum incideris, quam ſubinde augebis, aut minues, prout & mellis & ſucci tenuitatem aut craſſitiem deprehenderis. confert ad tenues diuturnosq́ uentris defluxus, qui ob calidos affectus euenerint, & ad proſtratã appetendi uim ob oris uentriculi caliditatem, & ad ſtomachos humectatos poſt inanitionem uomitu factam. item ad picas mulierum, terram, carbones, aut alia quædam extranea comedentium, quibus hiera prius ex aloe purgatis, omphacomeli exhibebis. medetur etiam eis qui ob nimiã uentris inanitionem deliquium animi patiuntur.

Mellis roſacei confectio. Cap. CXXXVII

MEl roſaceum tres quidem partes excolati ſucci roſarum exectis unguibus, mellis uero partem unam admittit: conficitˀ calido ſoli pluribus diebus expoſitum, deinde in omphacomelitis morem ſeruatur. quod ſi eo tempore aer turbulẽtus aut frigidus fuerit, optimum mel roſarũ ſucco permixtum cribro ſetaceo rariori excolatũ, mitioribus carbonibus decoques, ſeruabisq́ ut dictum eſt, atque ubi calidius cœlũ uidebitˀ, protinus ſoli exponito. id quidem leniter adſtringit, refrigerandiq́ poteſtate pollet, ac nõnihil mellis ratione abſtergit. habet & quid ſubamari & molliter acris, ideo ori confert, quod calida inflammatione ob feruentis diſtillationis defluxum laboret, & uẽtriculo ad quem humores acres & bilioſi defluant, poſt uomitum medetur: ad ſtomachum etiam abſq́ materia æſtuãtem, & ad febricitantes in totius morbi atq́ in particularis quoq́ acceſſionis uigore conſtitutos, utiliter exhibetur. ſæpenumero enim in febribus una tantum largior potio congruo tempore exhibita, ad integram morbi ſolutionem ſuffecit, prouocato ſudore ac citata aluo: nam prę cæteris cunctis potionibus mel roſaceum potentiſſimum eſt, ad acutos humores per aluum ducendos.

Hydroroſati confectio. Cap. CXXXVIII

ROſarum recentiũ exectis unguibus, & in umbra integro die cum ſua nocte lãguefactarũ lib. i. mellis ſext. i. pluuialis aquæ ad tertias decoctæ, ſext. iij. ut nouem inquam ſextaria, ad tria tantum ferueſcendo perueniant. in ferueſcentem adhuc protinus ab igne remotam roſas languefactas conijcito, atq́ in uaſe exquiſitiſſime obturato ſeruabis. poſtridie aquę excolatæ, expreſſis abiectisq́ roſis mel admiſcebis, totumq́ in fictile uitreatum excipies, & aliquot diebus inſolabis: poſtremo in uinaria cella recondes, quod longe magis melle roſato infrigidat.

Apomelitis præparatio. Cap. CXXXIX.

APomeli ita cõficies: fauos ſplendido melle repletos colore candidos eligito, & qđ inde manibus expreſſeris, fontanæ aquæ optimę admiſceto. & ſi mel craſſius fuerit, uni mellis portioni, quattuor portiones aquæ: ſin liquidius tres tãtũ aquæ cum una mellis miſceto. ſi aridiores tibi uideãtur faui, tenuiſſime diſſectos in idoneam aquæ quantitatem conijcies. tum manibus exquiſite ſubactos exprimes & excolabis: inde menſum mel in nouam ollam infundes, in qua prius ad terreum odorem tollendum aqua ferbuerit, & igne fumum non reddente decoques, ablata iugiter ſpuma & quicquid feruendo fluitabit, ubi iam neq́ ſpuma neq́ fecis quidpiam apparebit, & octaua pars aut ſeptima deferbuerit, tollito ab igne donec exacte frigeſcat: poſtridie ablato quod ſuprà fluitabit, in fictile uitreatũ conijcito, & in uinaria cella ſeruato. abſtergendi incidendiq́ ui pollet apomeli, ac bilioſa per aluum ducit, urinam cit, febresq́ putridas ad ſanitatem diſponit: calidis tamen &

men & ſiccis temperamentis ac eiuſdem naturæ morbis inflãmatisq́ hypochondrijs infeſtum eſt. ſitim non extinguit, ne dicam auget: dandum poſt ſorbitiones aſſumptas, nocet enim ſi poſt cibum propinetur.

Hydromalum & ceſtiana confectio. Cap.CXL

SVcci pomorum lib.vi.alibi lib.v.mellis lib. xij.aquæ ad tertias decoctæ libras xviij.aliter pomorum dulciſſimorũ odoratiſſimorumq́ ac mollem carnem habentium,corticem ac medullam ubi abſcideris, diſſecato,ſuccumq́ exprimito, ac per ſetaceum cribrum denſius excolato. ſumendum ſucci ſextarium, mellis ſext. duo, pluuialis aquæ quæ ad tertias deferbuerit ſext. tria,aquam & mel ubi ſimul bullierint, remoue ab igne,finitoq́ exacte frigeſcant: inde ſpuma uniuerſa amota, inijce pomorum ſuccum, & in fictile uitreatum recondito, oblinensq́ in cella uinaria ſeruato.utere poſt dies quadraginta:erit tamen præſtantius ſi roſarum ſiccarum exectis unguibus,unc. i.per diem ac noctem in toto hydromalo madefeceris,deinde excolaueris & ſeruaueris.iucundi enim coloris fit,et nõ aceſcit:eodem modo ceſtianam confectionem & piream præparabis.

Cydonati confectio. Cap.CXLI

CItonia maiora execto cortice et medulla diſſecantur,à quibus deinde ſuccus expreſſus ſetaceo cribro excolatˀ:huius ſucci ſext.iiij.accipimus,mellis ſext. viij.aquæ pluuialis quæ ad tertias deferbuerit,ſext.xij.aquam & mel ſimul decoquimus.poſtea refrigeratis ablata ſpuma ſuccum adijcimus,conficimusq́ ac ſicuti hydromalum conſeruamus. interdũ ne confectio in hyeme ob frigus putreſcat, melli tãtum deſpumato ſuccum imponimus colamusq́, & in fictili operto ſeruamus:deinceps uere aquam ad tertias decoctam admiſcemus & utimur:idem omnino facientes in pomis & ceſtianis malis & piris.quocũq; autem tempore cydonatum aut hydromalum conficimus,ſiue ante hyemem, ſiue poſtea, diebus quadraginta ab imbribus & uentis cauendo inſolamus, deinde in cella uinaria reponimus. ſatius igitur eſt ut confectio cum melle tantum ſeruata ſub diebus canicularibus perficiatur. poſſumus quoque roſarum exectis unguibus, & per diem unum languefactarum, libram unam in deſpumati mellis ſext.conijcere, deinde excolare ac diebus quadraginta inſolare.congruit cydonatum morbis qui adſtrictione & robore parando indiguerint,& partibus interius ulceratis,ut ori, ſtomacho,uentri,inteſtinis, ſed & corruptioni quæ fit in uenis renibusq́ ac ueſicæ medetur,à qua furfuracea,ſpumea & pilorum ſpeciem referentia ſedimenta,in lotio excernuntur.

Oxymelitis præparatio. Cap.CXLII

OXymeli ita cõficitur:ſumito mellis optimi partes duas,aceti nitidiſſimi partem unam. hæc quidem proportio pleriſq; naturis conuenit: uariari tamen poteſt pro ſingulorũ guſtu,ac patiẽtis temperatura,ut q̃maxime ſeruetur iucunditas:deinde ſimul decoquito ad mellis conſiſtentiã,ac calida temperatũ dato.poteſt id bibitum lentos humores abſtergere,craſſosq́ attenuare, propterea uiſcerũ obſtructiones aperit:iocinoris inq́ lienis,uentriculi,meſenterij,renum. ad hæc omnia eñ efficax eſt,ſiue febris adſit ſiue non adſit.plurima aquæ admixtione uiolentia eius reprimitˀ:tuſſim tamen excitat,inteſtinaq́ abradit,quemadmodũ dixit Hippocrates & Galenus.uerũ id non eis corporibus euenit q̃ craſſis ac glutinoſis humoribus redundant,ſed puris tantũ & copia excrementorũ carentibus,& quæ tenui acriq́ fluore infeſtanˀ, aut q̃ neruoſas partes ſentiendo uegetiſſimas habẽt.

AETII AMIDENI LIBRI QVINTI FINIS, IOANNE BAPTISTA MONTANO MEDICO VERONENSE INTERPRETE.

QVAE IN LIBRO SEXTO AETII AMIDENI CONTINENTVR.

De hydrocephalis ex Leonida Caput primum
De phrenitide ex Poſſidonio Cap.ij
De lethargo ex Archigene & Poſſidonio Cap. iij
De catocha ſeu catalepſi Cap.iiij
De caro ex Poſſidonio Cap.v
De comate ex Poſſidonio Cap.vi
De uertiginoſis ex Archigene & Poſſidonio Cap.vij
De mania ex Archigene & Poſſidonio Cap.viij
De melancholia ex Galeno, Ruffo, & Poſſidonio Cap.ix
Curatio melancholicorum ex Galeno Cap.x
De lycāthropia ſeu cynāthropia quam quidam melancholiam lupinam uocant ex Marcello Cap.xi
De ephialta ſiue incubo ex Poſſidonio Cap.xij
Quæ arguant epilepticos Cap.xiij
De epilepſia ſeu morbo comitiali Cap.xiiij
Excitatoria decidētium epilepticorum ex Didymo Cap.xv
Dioſcoridis ad epilepticos Cap.xvi
De ijs q primario ſtomachi affectu more epileptico cadunt ex Galeno Cap.xvij
De ijs qui alicuius membri uitio epilepſiam patiuntur ex Poſſidonio Cap.xviij
Curatio ſenum & puerorum qui morbo comitiali uexātur ex Poſſidonio Cap.xix
Curatio decrepitorum epilepticorū ex Poſſidonio Cap.xx
Curatio infantium epilepticorum ex Poſſidonio Cap.xxi
De fatuitate & delyrio Cap.xxij
De memoria deperdita ex Ruffo et Galeno Cap.xxiij
De morſis à cane rabido, & de formidantibus aquam ex Ruffo & Poſſidonio Cap.xxiiij
De cerebri inflammatione Cap.xxv
De eryſipelate cerebri Cap.xxvi
De apoplexia ex Galeno Cap.xxvij
De reſolutione ex Archigene ca.xxviij
De ſupercilij genarumq́ reſolutione Cap.xxix
De ſpaſmo cynico Cap.xxx
De lingua reſoluta Cap.xxxi
De reſolutione inſtrumentorum uocis Cap.xxxij
Deglutionis reſolutę curatio ca.xxxiij
De ueſica reſoluta Cap.xxxiiij
Penis reſoluti curatio Cap.xxxv
De inteſtini recti reſolutione ca.xxxvi
Cruris aut alterius membri reſoluti curatio Cap.xxxvij
De conuulſione & rigore quem tetanū uocant Cap.xxxviij
De tetano aut conuulſione ex Archigene Cap.xxxix
De capitis dolore diſtinctiones ex Galeno Cap.xl
De dolore capitis ob æſtū uel calorem Cap.xli
De dolore capitis in febribus Cap.xlij
De dolore capitis ob ebrietatem & crapulam Cap.xliij
Refrigerati cerebri medicamenta Cap.xliiij
De dolore capitis uitio ſtomachi Cap.xlv
Quæ dolorem capitis faciant Cap.xlvi
De capitis dolore ob percuſſionem Cap.xlvij
De cephalæa ex Galeno Cap.xlviij
De hemicrania ex Galeno Cap.xlix
Communis curatio cephaleæ & hemicraneæ ex Archigene Cap. l
Epithemata ad capitis dolores ex Aſclepiade Cap.li
Quæ per nares caput purgant Cap. lij
Apophlegmatiſmi caput purgantes Cap. liij
Smegmata & puluiſculi caput denſantes Cap. liiij
De alopecia Cap. lv

De fluentibus capillis Cap. lvi
De glabris ſupercilijs Cap. lvij
Ad denigrandos capillos Cap. lviij
Quæ fuluos capillos reddunt Cap. lix
Vt capilli albi fiant Cap. lx
Vt capilli criſpi ac nigri fiant Cap. lxi
De his quæ pilos corrumpunt Cap. lxij
Deſtructoria pilorum Cap. lxiij
Denudatoria pilorum Cap. lxiiij
Attenuatoria pilorum Cap. lxv
De porrigine ſeu furfuribus capitis Cap. lxvi
De phthiriaſi, id eſt pediculari morbo Cap. lxvij
De achoribus & reliquis ſpontaneis exanthematibus quæ circa caput contingunt Cap. lxviij
Ad ſcabiem capitis Cap. lxix
Ad parua & denſa capitis ulcuſcula papillis mammillarum ſimilia à quibus ſanies effluit Cap. lxx
Ad rubra capitis exanthemata Cap. lxxi
Medicamentum quod exiccat, quodq́ ad cicatricem achores capitis ducit Cap. lxxij
Smegma ad achoras & furfures aſperitates & ſcabiem capitis Cap. lxxiij
De aurium doloribus Cap. lxxiiij
Ad dolores qui ob refrigerationem eueniunt Cap. lxxv
Ad dolores meatus auriũ ob aquas medicamentoſas Cap. lxxvi
Ad aurium dolores ob humorum craſſitiem Cap. lxxvij
Aurium ſordes Ca. lxxviij
De tinnitu aurium Ca. lxxix
Ad audiendi difficultatem & ſurditatem Cap. lxxx
De aurium inflammatione Cap. lxxxi
Ad aures abſque ulcere humentes ac ſeroſam ſaniem ueluti exudantes Cap. lxxxij
Ad ulcera quæ in aurium meatu conſiſtunt Cap. lxxxiij
Ad putredines & aurium fetores ca. lxxxiiij
Ad excreſcentias carnis in auribus heraclidæ tarentini Cap. lxxxv
Ad uermes aurium Cap. lxxxvi
Ad eruptionem ſanguinis ex auribus Cap. lxxxvij
Ad lapillos aut quidpiam aliud quod in aurem inciderit Cap. lxxxviij
De affectibus extra meatum auriũ contingentibus Cap. lxxxix
De parotidibus Cap. xc
De ægritudinibus naſi Cap. xci
Ozænarum curatio Ca. xcij
Polyporum curatio Cap. xciij
Ad ulcera in naribus Cap. xciiij
Ad eruptionem ſanguinis è naribus Cap. xcv
Ad euocandum ſanguinem è naribus Cap. xcvi
Galeni de obſtructione narium & odoratu affecto Cap. xcvij
De ſternutatorijs Cap. xcviij
Ad redundantes ſternutationes reprimendas Cap. xcix
Ne infantes ſternutent Cap. c

FINIS

AETII AMIDENI MEDICI CLARISSIMI LIBER SEXTVS IOANNE

Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete

De hydrocephalis ex Leonida. Caput primum

HYDROCEPHALVS morbus uocat̃ ab aquoſa humiditate collecta in capite,plerunq; enim aquoſa colligitur,licet nonnunquã feculenta,aut etiam ſanguinea uiſa ſit: ſemper autem ſegnis pigerq; morbus eſt, ſiue ex latentibus ſiue ex apparentibus cauſis euenerit. latentes ſpõtaneæ ferè ſunt rarefactis localibus uaſis, & aquoſa ſubſtantia ſanguini admixta propulſa,in eundemq; locũ collecta , atq; ex tali cauſa humor aqueus aggregat̃. apparentes cauſæ ſunt,ueluti percuſſio aut contuſio fractis eorum locorum uaſis & ſanguine ad ipſa effuſo , qui deinceps in tenuem ſubſtantiam feculentam,aut ſanguinolentam rarefit & diſſoluitur,cuiuſmodi paſſio frequentiſſime contingit infantibus , ubi obſtetrix temere accedens durioriq; manu attrectans,aliqua tenelli capitis corpuſcula infringit.cõſiſtit is humor in hydrocephalis aut inter extimam cutim , & membranã quæ quod caluam tegat,pericranion appellatur:aut in muſculis temporum,aut ſub pericranio,inter ipſum inquã & os caluæ,aut ſub calua,inter ipſum os & duram cerebri membranam.maiores uero noſtri etiam inter membranas & cerebrum colligi aſſeruerũt, quod quidem omnino letale eſt.ſegni ergo humore intra cutim collecto extra pericranium , aut inter pericraniũ & os,eminet tumor in ea capitis parte ubi humor ipſe conſederit , concolor ſine dolore , tactui parens digitorum preſſuræ cedendo & remeando : concolor tamen & ſine dolore locus eſt ubi ſponte à principio euenerit.quod ſi à percuſſione cõtuſioneue fuerit,initio quidem rubens dolensq; tumor cõtinget : ſed poſtea deſidente humore in tenuemq; ſubſtantiam mutato, tum demum concolor & ſine dolore euadet. facta uero ſub cranio collectione inter os & membranam initio ubi adhuc humor modicus ſit,caput grauatur, obtenebrationesq; aſſidue fiunt,ac ſenſus hebetãtur,uiſus inquam,auditus & reliqui. at ubi redundare humor inceperit,ſuturæ capitis nimia multitudine à ſe inuicem diſtrahũtur,ut inde augeatur caput,& collectionis locus appareat:ſiue igitur ſub cuti collectio fuerit,ſiue inter os & pericraniũ,iiſdem omnino conſilijs utimur ad humorem expellendũ.ac prius quidem tumore exiſtente , apex ipſius unica inciſione ſecatur:ſed ſi maior fuerit , duas aut tres aut etiam plures pro magnitudinis ratione adhibemus,in his potiſſimum partibus unde commodiſſime defluxus fieri poſſit : neq; oportet in his ſicuti in abſceſſibus poſt manuũ opus ſordes exterere,ſed ipſas tantũ ſectiones linamentis diſtinguere: facile enim poſt humidi excretionem conglutinabunt̃ labia.ergo ſolis linamentis cõtenti erimus, poſt quorum applicationẽ ſi infantulo adhuc uinciãtur manus, ligamenta ob grauitatẽ recuſamus:ſed lana tãtũ ouo madefacta apponat̃,& pileolo caput operiat̃. at in iam ualidioribus pueris linamentũ exterius apto ligamẽto cuſtodiat̃. poteris etiam poſt tertiam aliquo agglutinãti medicamento conſolidationẽ adiuuare.facta uero ſub muſculo temporis collectione ne muſculus incidat̃,expectare oportet humidi redundantiam,poſtea oblique muſculum incidere.quod ſi humor ſub muſculo pro

ſunde latuerit, ſectio utrinq; facienda eſt in obliquis muſculi lateribus, deinde cu/
tis ex ijs partibus capulo ſcalpri ſenſim detrahenda, ac poſt totius humoris excre/
tionem curanda, quemadmodũ proxime declarauimus. ubi uero ſub cranio hu/
mor conſederit, ibi quoq; tandiu expectandum donec redundet, ſuturæq; diſtra/
hantur ac tumor appareat: tũcq; eminentiorem locum ſecare oportet, & deinceps
ea perſequi quæ de diſtractis capitis iuncturis docebuntur.

De phrenitide ex Poſſidonio. Cap. 11

PHrenitis eſt inflammatio membranarũ cerebri cum febri acuta, delyrium &
rationis errorem afferens, raroq; ſimul cum febri à principio phrenitis inua/
dit, ſed pleriſq; poſt quartam aut quintam aut ſextam incipit, ac ſerius quoq; ipſi
prope periculo attigua, ut quidam ſeptima tantum aut nona delyrare inceperint.
Phrenitidis plurimæ differentiæ ſunt, tres tamẽ peculiariſſimæ. aut em̃ imaginati
ua ſolũ facultas læſa eſt, ſeruata ratione & memoria: aut ratio tãtum iniuria affici
tur, ſaluata imaginatione & memoria: aut ſola memoria ſaluatur imaginatione ſi
mul & ratione corruptis. nam ubi in febrili affectu memoria deperdit̃, ratio quo/
que & imaginatio ferè ſemper delentur. priori igitur cerebri parte læſa imagina/
tio tantum afficitur: àt medio uentre uiolato uis rationalis euertitur, ſicut in occi
pite poſtremo cerebro affecto memoratiua deperdit̃, cum qua plerunq; reliquæ
duæ deſtruuntur. quibus igitur imaginatio læſa eſt recte iudicant, ſed deprauate
imaginantur, ſicut offenſa ratione ex aduerſo recte imaginantur, perperam iudi/
cant. at quibus memoria uiolatur, præterquam quod nihil præteritorum memine
runt, etiam ferè neq; recte imaginantur, neq; iudicant. parti itaq; affectæ præci/
pua cura adhibenda eſt, reliquis tamen minime neglectis. ſed de memoria deper/
dita paulo pòſt ſeparatim dicemus: nunc quomodo phreniticis ſuccurri opor/
teat differẽdum. collocandus igitur æger eſt, ſi hyems aderit, in tepida domo, ſin
æſtas, in frigidiori: ſilentiumq; non ægro ipſi tantum, ſed cunctis quoq; familiari/
bus ac uicinis imperandum. atq; ijs qui uiſa luce efferãtur locus obſcurior deliga/
tur: ſicut ijs qui in lumine reſipiſcere uidentur, ſplendidior. quod ſi phrenitis cum
febre à prima ſtatim die aut à ſecunda uſq; ad quartã inuaſerit, neque ex alterius
ægritudinis decidẽtia cõtigerit, fuerintq; urinæ ſanguineæ & facies rubra, ætasq;
uigens, bonusq; habitus corporis, neq; aliqua nota deſit, copiam ſanguinis indi/
cans, cubiti uena ſecanda eſt, mediaq; eligenda & quantũ tulerint uires euacuan
dum. non tamen uſq; ad animi deliquiũ, præſtat enim minus demere q̃ oportet,
ob plurimam uehementis motus agitationem, plurimumq; laborem quo ægri af/
flictantur: ſitq; inciſio mediocris ne clàm patiens brachij uinculum ſoluat, ex eru/
ptione enim ſanguinis periculum ſequeretur. ſi uero quapiam de cauſa uenæ ſe/
ctio dimiſſa ſit, clyſteribus è furfurum ptiſanæ ue cremore aphronitri aut mellis
addita portiuncula uentrem abluere oportet. caput uero roſaceo tepidiori irriga-
re, inflammata enim cerebri membrana frigiditas tuta nõ eſt, ſicuti neq; uehemẽs
caliditas. frigiditas enim meatus conſtipat, neq; ſinit excrementa è capite diſcuti,
at ingens caliditas feruorem congeminat. æſtate ergo roſaceo exquiſite tepido ca/
put fouendũ, hyeme uero tepor ſit moderatus. neq; diſplicet ęquas portiones cha
mæmalini admiſceri, ſi aer frigidior fuerit: ſed in uehementiori delyrio ſanguinis
miſſiõe, aut clyſterib. corpore ut dictũ eſt inanito, caput facieq; aſſidue oleo ſoue
bis, in quo papaueris capita ſint decocta, ac fronti ſomniferũ quempiã paſtillũ illi
nes, quẽ etiam cõtinue olfacere oportet, qualia multa in præcedẽti libro cõtra ui/
gilias deſcripta ſunt. perſeuerante morbo dandũ quoq; diacodion, ſoporiferũ me
dicamentum quantũ cochleare eſt, aut plus minus ue pro uirium ratione. nec ue/
ro dandum quod è ſapa ob uinoſitatem, ſed quod è melle conficitur, ac declinãte

exacerbatione hora exhibendi eligatur: ſi enim in uigore detur, ſomnus quidē elſ citut, ſed febris producit̃, ac æger utrinq; diſtractus moleſtius affictatur. dato me dicamento quietem imperabis. ſed & ſatius erit ſi mel roſatum miſcebis cum dia/ codio, temperat enim acrimoniā & aluum ducit, propterea aquæ bibendæ in exa cerbationis uigore perplacet mel roſatū inſpergi: cauendus tamen aſſiduus ſtupe facientium medicinarū, potionum & fomentorū uſus. ob immodicā enim refrige rationē à phrenitide in lethargū facilis lapſus eſt, ac tunc pernicioſa efficit̃ ęgritu do: ideo ſi delyriū diutius perſtiterit, in oleo ſerpillum aut ſpondylium decoquito, hæc enim craſſos uapores diſflare poſſunt. manēte uero facie poſt ſanguinis miſ/ ſionem tumida & rubra, cucurbitula occipiti applicata mediocribus punctiōibus cutim ſcarificato, & circa libram ſanguinis demito. pro alimēto ptiſana danda eſt, aut alica, aut panis medulla ſæpiſſime lota cum melle roſaceo. manſuefacta fe/ bri dato oua ſorbilia, ac lactucas feruefactas, & quæcunq; moderate refrigerāt & humectant propter uirium imbecillitatem.

De lethargo ex Archigene & Poſſidonio. Cap. II

LEthargi duplex origo eſt, quandoq; enim præcordia ac uiſcera primario affe ctu læſa, ad conſenſum cerebrum ducunt, quandoque in cerebro affectus in/ choat: ac quibuſdam ſtatim ab initio euenit, quibuſdam ex acutorum morborum decidentia, pręcipue a phrenitide, ubi ob medicamenta nimium ſtupefacientia ea cerebri pars refrigerata fuerit. ſæpiſſime etiam à febre ſynocha in lethargum deci ditur, & à pluribus alijs ægritudinibus, præſertim quas ingentes inanitiones con/ ſequuntur. ſed & quandoq; in febribus diuturnis per ſingulos circuitus ægros ſo/ pore occupari contingit, ueluti in quotidianis ſemitertianisq;, nōnunquam etiam in quartanis frequenter uidemus: quidam uero lethargo cum conuulſione neruo rumq; contractione occupantur, quidam ſine conuulſione: ac quidam ſtatim & repente, quidam per additamenta: alij perpetua ſomni immerſione corripiuntur, qui extreme periclitantur, alij in ſingulo quoq; circuitu ſoporantur ac rurſus exci tantur. ſpecies igitur ſoporis conſideranda eſt: nam qui per circuitus ſomno pro/ fundius immerguntur, pulſum habent paruiorem ac motui magis contumacem, cumq; excitantur, diuerſa garriunt, obliuioſiq; ſunt, qui cum graui ac ſublimi in/ ſpiratione ſoporentur, ita ut ſtertant, ſuſpiria ſinguliusq; edant, dolorem indican/ do, eum tamen ne excitati quidem explicare queunt ob rationem affectam. alij mitiſſime dormire uidentur, quibuſdam extrema refrigerant̃, corrugantur, palle/ ſcuntq; & temperatura propè cōgelatur, nōnullis circa exacerbationū declinatio/ nes diffundunt̃, ac ueluti irrarant̃. Signa lethargi. Eos igitur qui hoc affectu laborant, talia conſequunt̃, hypochondrium reuellit̃, aluus detinet̃, excitatiq; ab aſſidentibus rurſus ad ſoporem uertuntur, comesq; obliuio eſt, ut ſæpe ad meien dum uocati, porrectā matulam manu tenentes obliuiſcantur. increbreſcente mor bo uniuerſum corpus ſegne ac tanq; cadauer efficit̃, ſupiniq; iacētes ad pedes de labunt̃, manibus cruribusq; porrectis: nōnullis nares diſtillāt, hiatq; os ac ualidiſſi mus ſtertor inuadit, inferiorq; mandibula ueluti reſoluta languidaq; cōſpicit̃: hęc ferè ſunt quæ lethargum conſequunt̃. Curatio lethargicorum. Curaturi in ſplendido cubili contra lucem ægros locamus: cubile tepidum eſſe oportet: dein/ de manus ac pedes ſenſim palpandi ſunt, odoramentaq; excitatoria admouenda, ueluti caſtoreū, funiculus extinctæ lucernæ, pix humida, bitumen, chalbana. quæ uero lethargicos ſuffitu excitant, ſunt gagates lapis, bitumen, caſtorium, peuceda num, ſulphur, chalbana, ſagapenum, cornu ceruinū, hirci ſordes, abrotonū, ſilphi/ um. naribus etiā ſternutatoria adhiberi oportet. quod ſi multitudo affuerit, & ſan guis ſit qui redundet, ſecunda die uena ſecanda eſt, & pro uirium ratione ſanguis

detrahendus

detrahendus: ſin pituitoſior ſegniorq́ꝫ materia fuerit, quæ quidem ferè in lethargicis abundare conſueuit, adhibenda ſunt quæ attenuare poſſint, & craſſitiem incidere. & ijs quidem quorum neruoſum genus incolume ſit, oxymeli dandum. quorum uero oblæſum eſt, apij decoctum, fœniculi, capillorum ueneris, & ſimilium, & potentiori clyſteri uenter abluendus, glandibusq́ꝫ utendũ è ruta, nitro, cymino, ac melle decocto, caputq́ꝫ fouendũ à principio quidem ſerpillo in aceto atq́ꝫ oleo elixato. in diuturnis autem affectibus pro ſerpillo peucedani radicem in aceto & oleo decoques. confert ijſdem irinum oleum: tremoribus uero ac cõtractionibus infeſtantibus caſtoreũ cum modico aceto atq́ꝫ oleo diluentes, caput fouemus. at ſi inflammẽtur hypochondria in principio polline aut pane cum citonijs uel pampinis uitis decoctis, deinde pollini aut pani abſinthium & folia altheæ elixata admiſcenda ſunt: poſtea ex hordeacea farina, fœnugræco & radice altheæ emplaſtrum conficiendũ, omnibusq́ꝫ abſinthium admiſcendum. ſit autem tam amplum linteolum, ut latera utrinq́ꝫ circumplecti queat, uſq́ꝫ ad partem thoracis quę mammillis ſubiacet: adhibito cataplaſmate membra nuda nequaq́ꝫ derelinqui oportet, ſed cerato nardino aut liguſtrino tueri, ac retrò in ſcapulis ceratũ ex ſicyonio confectum applicari, quod ſuſcipiat terebenthinam, ac lauri baccas contritas, ac ſi inflatio comitetur, cataplaſmatis admiſceri quæ flatum diſcutiant, ut cyminũ, lauri baccas, rutam & ſimilia: ſiq́ꝫ durities aliqua percipiatˉ, addi libanotidas & lomentum. in diuturnis uero lethargicis, ſi uires ſuffecerint, danda hiera eſt ex colocynthide, ſternutatoriaq́ꝫ naribus applicanda ex elleboro albo & ſtruthio & pipere & caſtorio, fundendumq́ꝫ in nares elaterium cum lacte aut cyclamini ſuccus, ſiue radicis eiuſdem aridæ puluis inſufflandus, illinendumq́ꝫ os & palatum ſinapi cum melle: poſtea cucurbitulæ occipiti applicandæ cum plurimo igne, circa primam inquam ſecundamq́ꝫ uertebram, ſanguisq́ꝫ è poſteriori capite auferendus: inde abraſis capillis, caricis & ſinapi ex aceto contritis, caput rubefaciendũ. trementibus autem etiam caſtoreũ aſſidue propinandũ. declinante ægritudine patiens ad balneum ducendus, ac ſmegmate mordaciore detergendus, ut uini fece uſta, ſinapi, pirethro, pipere, lauri baccis, calce uiua, quibus nitri duplum addatur. alimẽta ſint attenuantia, incidentia, exiccantia, quæ cõdiantur apio, aniſo, cymino, pipere, baccis lauri. ex auibus, pullus domeſticus, columbæ, auiculæ montanæ, perdix, piſces ſaxatiles, olera, porri, aſparagi, petroſelinum, chamædaphne, uinum aquoſum tenuæ & album ſubadſtringens, ac reliqua ſimili diligentia pertractentur.

De catocha ſeu catalepſi. Cap. IIII

MEdium quendam inter phrenitidem lethargumq́ꝫ affectũ inuenies, qui delyrij amentiæq́ꝫ ſpecies eſt: medici hanc catochen ſeu catalepſim appellare conſueuerunt, quæ ab humore contingit melancholico, fallacior plerunq́ꝫ ægritudo q̃ lethargus, eueniensq́ꝫ in febribus lethargo ſimilibus, uidenturq́ꝫ interdũ dormire, interdum adapertis palpebris perſtant, atq́ꝫ uel nutant, uel intente ſpectant: oculis ueluti cõgelatis & immobilibus, adeò ut nõnunquã manu præ oculis obiecta minime conniueant. uoce præterea ſenſuq́ꝫ priuantˉ, nihil audientes, nihilq́ꝫ reſpondentes, inferuntq́ꝫ manus ſuas capiti, oculis & naribus, tanq́ꝫ incerto ſenſu re quapiã offenſi. pulſus ſunt parui, ſegnes, parumq́ꝫ abſunt quin deficiant. ſpiritus interdũ denſus, interdum rarus, & ex quibuſdam interuallis ample inſpiratus. alui & urinæ detentio nõ quidẽ ſiccitatis ratione, plurimo em̃ humido abundãt, ſed ꝑpter inſenſibilitatẽ. quandoq́ꝫ etiã ꝑpinquos muros attrectãt: deniq́ꝫ neq́ꝫ planè phreniticis aſſimulantˉ, neq́ꝫ lethargicis. cõtingit nõnunq̃ is affectus ob ſanguinis multitudinẽ affatim ad caput irrũpentẽ, ipſumq́ꝫ opplentẽ, quẽadmodũ olim conſpexim⁹ in ſanguineo q̃dã adoleſcẽte. exegerat em̃ tres dies neq́ꝫ cõniuẽs, neq́ꝫ ad

obiectas

obiectas minas oculis nutans, neq; reſpondens: quarta ingens eruptio ſanguinis per nares redundauit,& protinus omnes turbulentiæ receſſerunt. propterea ſi tibi æger ſanguine abundare apparuerit, ne differas cubiti uenam ſuperiorem ſecare,ac pro uirium ratione ſanguinem demere.in reliquis primo quidem ſimplicioribus clyſteribus uenter abluendus eſt, ueluti furfurum cremore & aphronitro & melle.inde cum furfuribus,polypodij radicem decoquito: caput uero primo oleo dulci tepido irrigato. poſtea ubi calidius caput appareat, papaueris caliculos in oleo decoquito: ubi frigidius,ſerpillū ſumes pro papauere. q̄ ſi aluus obediat intra prædictos clyſteres cōtineberis:ſi detenta ſit,ellebori nigri radicē cum furfuribus elixabis.illis potus conueniens eſt apomeli aut mulſa,quę multū bulliuerit.q̄ ſi craſſities in urinis affuerit,dato etiā anethi & apij decoctū.alimenta ſint ptiſanę cremor & huiuſmodi:ijs aūt aqua pota infeſtiſſima eſt,flatū enim auget,fluctuationes cit,lienē attollit,neq; ſitim extinguit: oleo etiam anethino,p̄ſertim in hyeme totū corpus inungat̃:in q̄bus uero etiā tremor acceſſerit,caſtorei drach.i.cum mulſa per os infundito.

De caro ex Poſſidonio. Cap. V

OB frigidos & humidos pituitoſosq; humores cerebrū occupantes,cum lenta febri carus inuadit, quem ſenſuum uniuerſarūq; motionū priuatio cum imperantiū actionum nocumento conſequit̃,oculiq; in hoc affectu perpetuo conniuent.differt carus à lethargo,q̄ lethargici interrogati reſpondent, neq; omnino muti decumbunt. caro aūt laborātes,ſomni profunditate occupantur,ut ſi ſtimulentur,ſentiant quidem,nihil tamen muſſitent,neq; oculos aperiant.horum curatio cum lethargicis conuenit: ad maiorem tantū inciſionem attenuationemq; declinamus,adhibeant̃ etiam ſtomacho cataplaſmata quæ calefaciāt & corroborēt.

De comate ex Poſſidonio. Cap. VI

SOli uapores calidi & humidi in febribus ex membris inferioribus eleuati caput replendo affectum inducūt,quem medici coma appellant,quod facile deprehendes ex ſomni magnitudine naturam excedente.ſed & ægri in ſomnis enormia loquuntur,totoq; corpore incompoſito iacent,demiſſaq; inferiori mandibula obdormiunt.ac quoties excitantur,nouo repente ſomno inuadunt̃, fiuntq; omnino capitis quoq; humidioris. curantur fomento roſacei quod uigeſimam partem aceti receperit,deficiente roſaceo chamæmalino ſupplendum,ſitq; acetum acerrimum.cui uero frigidius caput fuerit,anethino æquali olei dulcis ponderi admixto,foueto:utq; ſummatim dicam pro ratione frigiditatis calefactio intēdenda eſt, ut quandoq; puleium & rutam oleo decoqui oporteat:glandes etiam ſedi ſupponendæ,quæ irritando efficaces ſint.alendum ptiſanæ cremore & apomelite.

De uertiginoſis ex Archigene & Poſſidonio. Cap. VII

VAporibus calidis acribusq; ad caput eleuatis,& ſpiritum animalem in cerebro euertentibus,primo quidem hebetudines quædam oculos occupāt,deinde aurium tinnitus aſſidui, & audiendi difficultates quæ maxime eueniunt circa ciborum cōcoctionem,& cum à ſomno ſurgitur, increbeſcente morbo uertigines obtenebrationesq; fiunt,ut ſpectantibus uideantur cuncta conuerti,idq; præcipue contingit ubi cruditate quapiā pręcedente è ſede repente ſurrexerint.perſeuerante ægritudine iam à quacunq; leui occaſione præ oculis tenebræ apparent, ut interdū concidant,præſertim ſi circumferant̃: nam quod alijs ob plures circuitiones ſolet accidere,id iſtis ob unicā tātum cōtingit:imò & ſi alios circūagi uiderint,obtundunt̃.ac ſi rotam aut tale quidpiā uerti cōſpexerint,idem patiunt̃:uiſilis enim ſpiritus rotæ agitatæ occurrens eodem motu circūuehitur, atq; ita turbulentus inæqualis confuſusq; humor & ſpiritus motio reddit̃. facile hoc affectu capiuntur quibus ſolitæ excretiones retinentur,& qui cruditates ſoliſq; aduſtiones

& fre-

& frequentes ebrietates incurrunt: hos alui detentio & inde inflatio ingens tenuiumq; urinarum & paucarum excretio, materia caput impetente conſequitur, gracilesq; plerunq; & ad omnem conatũ ſegnes efficiuntur. qui uero oblata oculis tanquam rubicundiora proſpiciunt, ij ad maniam magis parati ſunt: qui tanq; purpuraſcentia ad morbum comitialem. uirium igitur robore atteſtante, ſi nihil aliud obſtiterit, uena ſecanda eſt, ſiue principium morbi fuerit, ſiue etiam proceſſerit: atq; in ſanguinis miſſione obſeruandum, ne plurimum conferctim euacuetur: propterea quod à quacunq; leui cauſa patiens facile concidat. ergo pluribus ablationibus per certa interualla utentes, congruam menſuram explebimus: quo tẽpore etiam caput foueat̃ oxyrhodino cũ polygono aut ciſtho, globulusq; lanæ roſaceo aut œnanthino madefactus uentriculo applicetur. ſi uero ſanguinis ablationem quidpiam prohibuerit, ſicut gracilitas, aut aliud eorum quæ ſæpiſſime dicta ſunt, purgetur aluus: primo quidem clyſteri ex furfuribus, aphronitro & melle, deinde hiera ex aloe aſſidue propinetur. quod ſi accidentia perſeuerauerint, uehementioribus quoq; indigebimus, ſemper redundanti humori medicinam peculiarem adaptando. ualidiora autem ad hos probantur quæcunq; fœniculũ cum oxymelite decoctũ habuerint, & quod diaphœnicon, id eſt è palmulis conficitur, & è ruta & ſcammonia, quorum omniũ compoſitiones prius dictæ ſunt in libro de purgantibus medicinis. apophlegmatiſmis etiam & gargariſmatis ex origano & puleio & oxymelite utendũ eſt: deinde in nares anagallidis ſuccus aut cyclamini, aut radicis betæ, aut elaterium cum lacte infundendũ. nitrum uero cum nigella tritum & oleo antiquo mixtum per nares egregie purgat. poſtea ad balneũ ducendi ſunt. tale etiam frictorium conuenit caput confirmans, Lapidis aſij unc. i. aphronitri albi & iridis ſing. unc. i. floris iunci odorati unc. ij. ex hoc ſumito quod ſufficit & ſincipiti illinito, calidæ aquæ portiunculam inſpergendo: inde lauato non quidem totum caput madefaciendo, ſed tantum quod impactum eſt calida eluendo, inde frigida irrigato ter aut etiam ſæpius. quibus uero caput ualde incaluerit, etiam roſaceo & aceto ſæpe fouendum eſt, refrigerandumq; deducto aquæ riuulo in balneis. ſi igitur ob hæc affectus ceſſauerit, deinceps à turbulentis remedijs abſtinendum: ſin perſtiterit, capitis arterias in temporibus circa aures incidere oportet, uentre prius purgato, aut hiera, aut clyſteri. mox frictorijs quę trimmatia appellãtur, ualidioribus utẽdum, quæ ad maniacos ſtatim infrà explicabimus. alimenta ſint boni ſucci, quę facile diſtribuãtur, flatu omnino carentia, ſtomacho congrua, bonam aluum reddentia, urinam cientia: uinum album, & tenuiſſimum modicumq; neq; ualde antiquum. his quoq; fontes calidi, aluminoſi conueniunt. maxima uero prima & poſtrema tum præſeruatio tum curatio eſt, ut quæ prius detentæ fuerant, excretiones reuocentur, præcipue mulieribus.

De mania ex Archigene & Poſſidonio. Cap. VIII

MAnia ſine febri efficitur plurimo ſanguine incorrupto ad cerebrum fluẽte, interdum temperato, & multitudine tantum lædente, ut in ebrijs ſolet, interdum bilioſo. præcedit maniam capitis debilitas, ueluti in podagra, ſemper quidem pedum adeſt imbecillitas, tunc uero etiam dolent, quando materia ad loca defluxerit. à ſolo igitur ſanguine maniam euenientẽ riſus comitatur aſſiduus, ridiculis quibuſdam imaginibus ante oculos occurſantibus. ſplendida illis facies eſt, ac iugiter canunt: nonnunquã ob uapores eleuatos ſoni auribus obuerſant̃, ut credant audire tibicines. incolumis memoria eſt, ut ex cõſuetis cãtilenis ſępius repetitis cõijci licet, ſed imaginãdi uis ac rationalis uiolat̃. ubi uero flaua bilis ſãguini cõmiſcet̃, acrimoniã reddens tanq; ab ipſa ſtimulato interius cerebro et mẽbranis, iracũdi, audaces, iniuriatoresq; euadũt. quãto eñ bilis ſanguini implicat̃, tãto

benignitas

benignitas ad iram hoſtilitatemq́ immutatur. at ſi flaua bilis etiam ſuperaſſetur
craſſeſcatq́, & ueluti uiſcum ſubſtantiæ cerebri & membranis ſtimulās & diuel-
lens impingatur, ferinum furorem perficit: fuerunt enim qui uel proprias carnes
comederint, & familiares tanq̃ hoſtes uiolauerint. contingit interdū eundem ho
minē modo riſu indecoro occupari, modo iracundia & furore: inedia em̄ & acrio
ribus ſalſioribusq́ alimētis, plurimisq́ motionibus ac turbulentijs ſanguis ſeipſo
acrior efficit̄, oppoſita uero uictus ratione in mitiorē naturam conuertit̄. quin ſæ
pe nullo adhibito remedio cibi tantū parſimonia ac cōgruis alimentis quod lædit
abſumit̄, cerebrūq́ ſine excrementis relinquit̄, puraq́ delyrij interualla fiunt. qui
dam etiā per certos quoſdā circuitus hoc morbo affligant̄, alij ſemel in anno, alij
bis aut ſæpius, collecto uidelicet paulatim humore qui lædit: pauci uero antē ui-
gorem ætatis uexari ſolent, plurimi in uigore, & poſt uigorē, ac uiri magis q̃ mu
lieres corripiunt̄, pręſertim qui animalibus affectibus maxime perturbant̄, ueluti
qui iocis & riſu etiam importuno delectantur, & qui nihil tolerare poſſunt. præ-
terea iracundi, cogitabūdi, auari, immo & ebrioſi & crapulis dediti: quiq́ iugiter
expuunt, quiq́ conſuetas excretiones interceptas habent: ideo & mulieres quan-
doq́ furunt, quibus menſes detinentur. mille aūt furoris ſpecies ſunt, quas expli-
care ſuperuacuū duco, ſed in hunc affectum caſuros præueniunt quædam ueluti
præludia eorum quæ dicta ſunt, ut riſus indecorus præter conſuetudinem, iracun
dia leuiſſima cauſa exoriens, aurium tinnitus, ſplendoresq́ præ oculis obuerſan-
tes, ingentes uigiliæ, curæ ſibi inuicem ſuccedentes atq́ extraneæ, grauedo uibra
tioq́ capitis. procedente tempore hæc omnia increbreſcūt, rabidioresq́ appetitus
in illis excitant̄, & in uenerē promptitudo. præterea nocturnę pollutiones iugiter
fiunt, excauant̄ oculi ac minime nutant: quæ quidē uſq́ ad exactū delyriū conſe-
quunt̄. peritus igitur medicus qui ægri curam ſuſceperit, ubi hæc uel quædam eo
rum apparuerint, cōgrue occurrere debet, atq́ in morbo ſeu præindicato ſeu iam
præſente uictū tenuem adhibere, ſorbilem liquidū citra ſatietatē bonam aluum fa
cientem, & qui nihil aut minimū ſanguinis generet, uinumq́ omnino prohibere.
ubi uero per tres dies ita hominem rexeris, cubiti uenam incidito ſuperiorem qui
dem ſi appareat, ſi nō apparet, mediam. at ſi ambæ lateant, malleoli uenā perquiri
to, præſertim in mulieribus, eo enim delapſu frequēter mēſtrua prouocant̄: quod
ſi ne hanc quidē inueneris, ad uenas extremarū manuum pedum'ue recurrendū.
prius em̄ enitemur à uena inſignē facere inanitionē, ac deinde affectis locis cura-
tionem admouere. tantum uero ſanguinis detrahendū, quantū uires tolerauerint:
ſedato enim feruore cōfeſtim recreant̄, ſimulq́ reliquis præſidijs locus relinquit̄.
ſed quoniā nonnulli in prima quidem ablatione ſtrennue inanitionē ferunt, in ſe-
quentibus aūt animo delinqui cōſueuerunt, expedit his in prima ſtatim ablationē
detrahere quantū uſus poſtulauerit. ita em̄ ſimul euacuat̄ plurimū flatuoſi, uapo
roſiq́ ſpiritus. in ſanguinis ergo defluxu aſſidue pulſus tāgendus eſt, qui ſi cōcide
rit, protinus de repetitione cogitandū: ſæpe enim reparatis uiribus poſtridie repe
titionē facimus, nōnunq́ & tertia die uenę ſectionē appoſito ſale ſeruātes. caput
autē roſaceo & aceto fouere oportet, aut ſucco polygoni, aut oleo lambruſcæ, aut
melino, deinde ſuccida lana oleo madefacta ſincipiti applicet̄, aſſidueq́ noua mu
tetur, atq́ omnino poſt inanitionē in ueſpere ſomnus cōcilier̄: euacuato enim ſan
guine ſi uigiliæ ſucceſſerint, ægri acriores immanioresq́ euadūt, propterea medi-
camentū ſoporiferū diacodion cum ſucco ptiſanę aut alicę, aut cū aqua audacter
exhibebimus: ita em̄ iucūdus ſomnus allicietur. ac plurimi q̄dē ipſorū ſumpto ſopo
rifero omnino reſipiſcūt: ideo ubi prima die poſt medicamētū ſatis dormiuerint,
altera die interpoſita, rurſus diacodion ad cochlearis menſuram propinabimus.

conſueuit

[illegible]ſueuit enim poſt ſanguinis miſſionem congruo uictu adhibito exactam curationem perficere, obſeruandũ tamen ne poſtea ulterius offeratur: nam ſenſus ſtupidos reddit. aluus etiam mollis cum aptis alimentis, & cũ clyſteribus conſeruanda eſt. his peractis localia medicamenta hinc auſpicari oportet. ex uenis quæ in fronte attolluntur, ab ea quæ exquiſitiſſime media eſt ſanguinẽ detrahemus, ſcalpro phlebotomo incidentes, nõ iaculantes, quemadmodũ quidam faciunt ob maximas inflammationes, quæ membrana pericranio uulnerata frequenter ſuperueniunt, ſitq; detracti ſanguinis quantitas circa libram unam. poſt quam inanitionem ijs qui billoſioris ſanguinis fuerint, ſex diebus interiectis hiera per aloem ad magni cochlearis menſuram è mulſa exhibenda eſt, inde per nares caput purgandum, ſuccum radicis betæ aut elaterium cum lacte, aut attramentum ſutorium ſimili modo cũ lacte infundendo. ſternutationes quoq; cum elleboro albo, uel ſtruthio ciere, ac pituitam per os cum maſticha & uua taminia purgare oportet, & cũ oxymelite, in quo puleium uel hyſſopum decoxeris gargariſſare. aluus etiam purgatorijs è centaurio, uel gentiana confectis ducatur: imo & ipſa per ſe gentianæ radix è mulſa ad drac. unius quantitatem utiliter propinatur. datur & eodem modo ariſtolochia, his tamen præcipue prodeſt fœniculi equini radix, aut ſemen quotidie, uel radicis uitis albæ drachma ſingulis diebus ex aqua pota. poſtea irudines capiti circulatim, ſed ſincipiti præcipue apponendæ ſunt. in mulieribus uero enitendum ut menſes prouocentur, tum ſeptem dierum ſpatio refectis uiribus Galeni hiera, drac. quatuor pondere è mulſa exhibẽda eſt, quę ſtœchadis ratione ſummopere caput purgat, deinde euacuatio per nares repetenda. declinante morbo æger ad balneum ducendus, cui tale ſmegma in balneo couen iet, Iridis illyricæ, lapidis aſij, mannæ thuris, aphronitri albi, pumicis, buccinarum uſtarum, floris odorati iunci, apij, caſiæ, roſarũ ſiccarum, ſing. unc. ii. terito & cribrato & utitor in primo balnei domicilio illinens ſincipiti quantum ſufficit, & tepida inſpergens: tantumq; in balneo ægrum morari oportet, donec medicamenti uis uſq; ad profundum penetrauerit: qui deinde leniter detergetur & calida abluetur, cauendo ne caput affatim madefiat, tum è labro egredienti frigida bis aut ter irrigabitur caput. quod ſi calidius fuerit etiam ſæpius frigida immergi oportet. poſtea rubefactorio ex ſinapi, & caricis, capitis robur firmandum, ac certis interuallis per os pituita ducenda eſt, ac per nares euacuanda, uictusq; adhibendus tenuior, facile pertranſiens, bonam faciens aluũ, flatu carens, qualitates contemperans. raro ijs uinum cõceditur, at ſi morbus dederit interualla, ad elleborum album accedito, quem quomodo exhibeas in libro de purgantibus medicamentis prædiximus: admonetoq; ut deinceps ab omnibus edulijs potionibusq; abſtineat, quæ bilim gignant: ac ſingulo quoq; uere præſeruationis gratia ſanguis mittatur, deinde purgetur, præcipue ſi bilis redundauerit. mulieribusq; efficito ut menſtrua conſuetis temporibus abſq; impedimento prodire poſſint, cęterisq; ſuæ ſolitæ excretiones, ſimili modo.

De melancholia ex Galeno, Ruffo, & Poſidonio. Cap. IX.

QVemadmodũ in apparentibus corporis membris quandoq; eadem in omnibus temperatura conſpicitur, ſicut in deprauato habitu quem cachexian uocant, & in elephantiaſi, & hydrope: ita & quodlibet unum membrum ſiue bilioſum, ſiue melancholicũ, ſiue pituitoſum, humorem ſuſcæperit, ſuam ſeorſum temperaturam immutat. ergo hac ratione cerebrum poteſt interdum quidem uniuerſo ſanguine qui in uenis corporis continetur melancholico effecto, cõmuni nocumenti cauſa ſimul ipſum quoq; uiolari: interdum reliquo ſanguine illæſo permanente, ſolus qui in cerebro eſt immutari. idq; bifariam cõtingit, uel ꝙ melancholicus ſuccus aliunde fluat, uel ꝙ ibi generetur. generatur autẽ à copia caloris indi-

genæ uel flauam bilem, uel craſſiorem, nigrioremq; ſanguinẽ adurentis. plerunq; uero hypochondria primo male affecta in morbi conſenſum cerebrum ducunt, & inde delirium efficitur, aut bili ipſa cerebrum occupante, aut eleuato uapore melancholico, ueluti in ægritudine quæ flatuoſa hypochondriacaq; appellatur. nihil enim rationi occurrit, quod dicatur aliunde ex alio ue membro talem exoriri affectum: quandocunq; enim os uentriculi patiatur, facile in conſenſum cerebrum ducit, affinitate duorum maximorũ neruorum deſuper ad ipſum delatorũ, ſed & cor propinquitatis ratione in eundem conſenſum trahitur, ſimili modo & ſeptũ tranſuerſum cui inſeritur. eſt etiam cõmunio ſtomachi cũ ſpinali medulla in qua parte adiacet alligaturq; uertebris colli. talis igitur melancholiæ principiũ ex cruditatibus euenit, quas plurimi flatus & cuiuslibet cibi ſuſpenſiones cõſequuntur, quæ maxime circa hypochondria obuerſantur. & licet nihil acidi abſumptũ ſit, acidæ tamen eructuationes cõtingunt, uentres deſiccantur, ſomni parui diſtrictiq; fiunt, ſomnia turbulenta & enormia, ſaltus diuerſi in ſingula corporis parte, uertigines capitis, & in auribus flatuũ ſonitus: uidetur nonnullis plenum graueq; caput eſſe, alijs inane, & leue, alijs aridum, quidam ne caput quidẽ ullum habere arbitratur. ad quem excogitaſſe Philotimus dicitur præter aliam curationem, pileum plumbeum, cuius pondere oppreſſus caput habere intelligeret. efficiunt plures melancholici in uenerem ſalaciores, ſtupidiq; mente, & timidi, miſericordes, ad lachrymas parati, ſolitudinis ſectatores, quidam & dęmones inimicorum præſtigijs ſibi inuectos ſuſpicantur, alij uenenoſa medicamenta aſſumpſiſſe uerentur, quæ ſuſpicio firmatur conſequente abominabiliũ enormiumq; rerum uomitũ, quæ alijs alia uidentur. eſtq; prorſus omnifaria ęgritudo neq; facile explicabilis, ut exempli cauſa in timore quidam amiciſſimos reformidãt, quidam uniuerſos homines, quidam exoſa luce tenebras ſectantur, ſunt qui obſcura euitent, pleriq; tenebroſis locis lætantur, ſepulchra ac ſolitudines quæritantes, quidam aquam, uinum, oleum, atq; omnia liquida metuunt, ueluti qui à rabido cane morſi fuerint, utq; ſummatim dicam, melancholica delyria multorũ generũ ſunt, propter multiplices ſingulorum imaginationes, unũ tamen uniuerſis comune eſt timor, & mœror: omnes enim præter rationem triſtantur, ut ſi interroges nullam mœroris cauſam afferre poſſint. nam quidam ipſorum mortem timent, atq; alia quę minime timeri debẽt, imò ſunt qui mori ſummopere exoptantes, ipſam tamẽ mortem formidant. ſed ab atra bili rationalis animę principio occupato, nihil mirum ſi timores, mœroresq; ac mortis cogitationes inuadant. uidemus enim etiam extrinſecus nihil æque ac tenebras formidabile, ergo ubi ueluti tenebræ quædam rationalẽ animæ partem detineant, neceſſe eſt hominem perpetuo terrore uexari, tanq̃ terroris cauſam intra corpus circunferentẽ. ſicuti obſcuriſſima nocte infantes formidant, & ex adultis imperiti, ita & atræ bilis color tenebris ſimilis rationis ſedem obumbrans, formidinem efficit. cæterum omniũ accidentium quæ ſingulis cõtingunt, cauſas explicare eorũ eſt, quæ fieri nequeũt. plurima enim nõ paruam continent dubitationem, ut cur tanq̃ mala effugiunt, quæ minime mala ſunt, quædam tanq̃ bona ſectantur, non bona exiſtentia, & cur alius familiares metuit, alius uniuerſos homines, & huiuſmodi. poteſt tamẽ medicus multorũ cauſas inuenire, ut cur aliquis ſibi fictile uas eſſe uideatur, id enim ob ſiccitatem contingit: nam frigidę ſiccæq; naturæ melancholicus humor eſt, eadem ratione putabat alius cutim ſuam pelliceæ ueſti ſimilem. qui uero ſe caput nõ habere arbitrabatur, forte id contingebat ob leuitatem quam ſpiritus eleuatus præſtabat. ſed cur plurimum cibum melancholici appetant? an quoniam illis os uentriculi refrigeratur. cur alij uini potores? an ꝙ frigidum calefieri oporteat. cur quidam ſeipſos perimunt? an ꝙ maioribus malis ſe

liberandos

liberandos putent:niſi forte eis ſurreperit opinio bonum eſſe mori,quemadmodũ barbarorum nonnullis.cur eiſdem aſſidue cruditates eueniunt? an quoniam turbulentum excrementiſq; plenum corpus illorum eſt,& propterea uentriculus intemperatus omninoq; ab humore melancholico infrigidatus. cur alui plerunq; illis deſiccantur? an ꝙ ſpiritus ſuperius circa hypochondria uerſatur, neq; multum inferius deferatur,ut inde uentres deſiccari neceſſe ſit.ex plurima uero retentione conferta aliquando & putrida deijciuntur,at frequenter nutant, tumidiſq; oculis, craſſis labijs plerunq; fiunt ob craſſum ſpiritus eleuatũ, atrum colorem ab humoris natura contrahunt,hirſuti plurimi eorum ſunt, ob multorum excrementorum copiam,ſegnis plerunq; linguæ,balbi, & acutæ uocis euadunt, ob linguæ intemperiem:robur enim motionis à ſpiritu fit,omne autem quod robuſte mouetur ue lociter effluit. facile poterit aliquis hoc itinere progreſſus, reliquorũ accidentium cauſas explicare.nigreſcit humor is interdum torrefactus,interdum nimis refrigeratus. quod enim accenſi carbones patiuntur ſplendidiſſimi perſiſtentes quouſq; inflammantur,extincti uero nigreſcentes, idem omnino circa ſanguinis ſplendorem frigiditas efficit. nam & exterius uidemus corpora ab algore liuida & nigra fieri.ac rurſus caloris exceſſus deſiccans, & humidum quod pabulũ eius erat abſumens,humores nigrefacit,ueluti ſol, & fructus, & humana corpora.hæc quidẽ ante curationem cognoſcere medicum decet. quæ uero diſcenda ſunt ut & morbo laborantibus ſuccurratur,deinceps diſſerere oportet.at non parum intereſt curationis,ut recte noſcatur unde morbi principia oriantur.quãdo enim uniuerſum corpus melancholico ſanguine redundauerit, medendi initiũ à ſanguinis miſſione auſpicari expedit. ubi uero in cerebro tantum fuerit multitudo,æger uenæ ſectione non indiget, niſi forte multũ ſanguinis ſit, ac præſeruationis gratia uenam incidamus. ab his igitur dignotio tibi comparabitur, utrũ corpus uniuerſum ſanguine abundet melancholico, an talis humor in ſolo cerebro colligatur. nigriores enim hirtioreſq; ac latas habentes uenas aptiſſimi ſunt humori melancholico generando.euenit interdum & homines colore ruffos conferctim in melancholicam temperaturam decidere,deinde fuluos quoq; præſertim qui uigilijs, laboribus,& curis plus æquo afflicti ſint,aut tenui uictu & melancholicis cibis ueſci conſueuerint,uel ſi hæmorrhoides in ſede detentę fuerint uel aliquę ſolitę excretiones,ut in mulieribus menſtrua.neq; parũ cõfert anni tempus, & aëris conſtitutio,& regio, ætaſq; ægrotantis,& ſtudij genus:cuncta hæc tibi ſpectanda erunt,ubi uereberis, ne in uenis totius corporis melancholicus ſanguis contineatur. certiſſimam uero coniecturam faciet cubiti uena inciſa, quam mediam eſſe expediet: nam niſi melancholicus ſanguis effluxerit,illico ſupprimendus eſt:ſed ſi talis appareat,euacuandus quantum pro ægri corporis habitu ſufficere iudicabis.tertia autem melancholiæ differentia, quam à uentriculo originem trahere diximus, hypochondriacumq; affectum uocari,dignoſcitur ex his quæ ſæpius dicta ſunt. Primo enim ſtomachi accidentia emergunt,flatus inquam gurgulationes,eructuationes acidę & alui deſiccatio,& ab egeſtionibus,uomitu,& eructuatione percæpta leuitas,& ꝙ æger omnes moleſtias circa hypochondria inſiſtentes percipiat. quemadmodum igitur aliqui frequenter eleuata à uentriculo fuliginoſa quadam,aut fumoſa exhalatione, aut omnino craſſo uapore quodpiã ſuffuſioni ſimile præ oculis obiectari ſentiunt: eadem ratione aſcendente ad cerebrum melancholica exhalatione, tanquam fuligine,aut fumo, melancholica accidentia circa mentem contingent. ubi igitur melancholici delyrij propriæ notæ inſignes apparebũt,in uentriculo autem nihil turbulentum aut pauciſſimum fuerit,cerebrum cenſeri oportet primario affectu uexari,ueluti dictum eſt.

Curatio melancholicorum ex Galeno. Cap. X

QVæ ex primario cerebri affectu melancholia conſtituitur, frequentibus bal neis uictuq; boni ſucci, humido & minime flatuoſo, ſine alio potentiori re medio curanda eſt, quando nondum infectus humor ob temporis longitudinẽ cu randi difficultatem contraxerit: tunc enim uarias ualidiores q; medicationes adhi bere oportet. ſed incipientem morbũ curari expedit: nam ubi perdurauerit, increbueritq; difficillime ſuperatur. Ruffi. Communia uero ſunt ſiue cerebrum primarie patiatur, ſiue hypochondria, præſidia uentrẽ ſoluentia. Primo igitur ſtu dendum ut recta concoctio fiat, deinde euacuandũ, epithymo & aloe: ex ijs enim licet paululum qualibet die ſumatur, confert tamẽ paulatim & quiete ſubducere. Poſſidonij. At ubi ſanguis redundare appareat, ſtatim à principio cubiti ue na ſecanda eſt, præſertim ubi conſuetæ ſanguinis excretiones detentæ ſunt. ac in mulieribus quidem quibus menſes defecerint malleoli uenam incidito, ſingulis q; ſanguinem pro uirium ratione demito: in quibus uero potius ſucci prauitas domi natur, ubi congruo uictu ægrum præparaueris, hicra Ruffi, aut Archigenis. aut Iu ſti purgato. q; ſi utrunq; redundauerit, poſtquam uenam incideris, purgabis, po ſtea interiectis quibuſdam diebus clyſteribus aluum duces. Primo quidem cũ fur furum cremore, aphronitro & melle, tum polypodij radicem contuſam, aut epithy mum cum furfuribus decoques: deinde poſt tres à clyſtere dies danda erit hiera aloes quæ præ cæteris epithymum recipit, quam conficies ſicuti iubet Themiſon: aloes drach. c. maſtichæ, croci, ſpicæ nardi, cinnamomi, aut caſſiæ duplum, aſari, carpobalſami ſingulorum unc. i. quibus additis epithymi unc. ii. detur è mulſa co chlearis magni ad menſuram, quam bis aut ter per modica interualla exhibebis, deinde rurſus uictui ſtudebis, ac uires reficies, poſtea offeres hieram Ruffi, aut Ar chigenis, aut Iuſti, cuius quantitas ſint drach. iiij. cum mulſa & paruulo ſalis co chleari. Ruffi. Acria hypochondrijs applicari, & medicamenta picata, uel pi cem ſolam aridam ſeorſum liquefactam, aut cum pauciſſimo oleo mixtam: calida uero cuti illinitur, & apponitur uentri & ſcapulis donec ſponte decidat. ſed & col lui poteſt, & quod ſenſim abſceſſerit forfice auferri. maxime uero adiuuanẽ illito arido armentarij bonis fimo cum oxymelite. utiliter etiam illinuntur bulbi cũ ni tro, & alumine triti, imò & ſi bubulo limo admiſceantur benefaciunt, præſertim ſi eroſionis ſenſus circa ſtomachum fuerit. quos autem aſſiduæ conuulſiones corpo ris comitantur, iuuat caſtoreum bibere, atq; eodem corpus illinere cum oleo ſicyo nio. cõgruit & pro uirtutis ratione moueri eos & exerceri ante cibum. balnea his qui recte concoquunt haud ualde neceſſaria, niſi forte laſſitudinem quampiam cu rare uolueris. qui uero uentriculũ cõcoctioni idoneũ non habuerit, huic aſſiduus balnei uſus cõmodius eſt, aut ieiunio, aut perfecta coctione. poſt lauacrũ cibos of ferimus concoctu faciles, flatu carentes, aluũ mouentes, exquiſitiſſime obſeruan do quonam pacto à ſingulis quibuſq; æger afficiatur: neq; enim omnes omnia ci baria perinde ferunt. plerunq; tamẽ omnibus conuenit panis in clibano coctus ac rite cõfectus, & ex auibus quæ pinguedine carent, ac minime fœtent, montanæq; ſint, gallinarum oua, è piſcibus ſaxatiles & qui molles carnes habent. erinacei ma rini plurimum præſtant & utilitatis, & iucunditatis. reſcellenda omnia quæ in ſta gnis & paludibus degunt. probantur carnes hedinę, & lactentium, atq; ex his præ cipue extrema membra elixata, neque inutiles uuluæ ſunt & uentriculi, & pedes porcorum. ex oleribus pro communi uictu dulciora eligenda: nam acriora pro me dicina exhibentur, ut paluſtris aſparagus, petroſelinũ, & ſimilia, ſintq; omnia quæ offeruntur quantitate moderata, uinum tenue, album, neq; ualde antiquum, caue atq; æger ne inter comedendum confertim bibat, neq; plurimum, ne ſcilicet ali-

menta

menta in ſtomacho fluitent. placet etiam præter hęc omnia ut aceti acerrimi quantum eſt cochleare poſt cœnam bibat, ubi dormitum accedit, atq; eodem intingat pleraq; obſoniorũ. præſtat admiſceri aceto modicũ ſcillæ, & rutæ, & ariſtolochiæ minoris. Poſſidonij ad flatus. Contra uero infeſtantes flatus tale oxyporium cõficito: Lyguſtici, ſeminis apij, zingiberis, thymi ſin. unc. i. mellis deſpumati, qđ ſufficit, dato cochlearij ſemiſſem ſimili modo mane & ueſpere. qui ſi à mellis dulcedine abhorreant ſal pepticum, id eſt, coctiones iuuans, tale præparato, ſcillæ aſſatæ unc. i. ſalis ammoniaci unc. v. ſeminis apij, fœniculi, thymi, petroſelini, aniſi, ſinonis, zingiberis ſing. drachm. iiij. panis puri aridi unc. v. piperis unc. v. ſ. dato ex hoc cochleare in cibo aut quomodo æger maluerit. dandum & per certa quædam interualla theriacum antidotum præſertim hyeme, & ueris initio. Ruffi.

Vomant præterea poſt cibum maioribus interuallis, ſed ſumptis raphanis, aut origano, aut thymo, ieiuni uomitum eligant: neq; tamẽ ualidis uomitorijs utendum conſulo, talia enim infeſta ſunt, anxietatem ſtomacho & uentri addentia, alioqui ægritudine maceratis, iam enim quoſdam uidimus ob potentia uomitoria in melancholiam incidiſſe. illud etiam diligenter animaduerti oportet, plures ęgros quo tempore curarentur nihil profeciſſe, dimiſſa uero curatione cõualuiſſe, ob rectam enim medicationem natura præcellit ægritudini, quę prius remedijs attrita imbecillis iacebat. ergo naturam interdum remitti conuenit, cui par eſt & curationibus affligi & miſſionibus refici, atq; iam prius diminutis morbis dominari.

De lycanthropia ſeu cynanthropia, quam quidam melancholiam lupinam uocant ex Marcello. Cap. XI

QVi lycanthropia ſeu cynanthropia morbo occupantur, menſe februario noctu exeunt, in cunctis imitati lupos, aut canes, & uſq; ad diluculum circa ſepulcra præcipue uerſantur. ita affectos his notis dignoſces: pallidi apparent, & ignaue aſpiciunt, aridis oculis, neq; lachrymantur, ſpectabis in eis oculos cauos, ſcabram linguam, neq; omnino expuunt. ſunt & ſiticuloſi, tibijs ita ulceratis ut curari nequeant, propter frequentes caſus, & canũ morſiones. in quibus hæc ſigna deprehendes ſcito, melancholiæ ſpeciem eſſe lycanthropiam, quam curabis acceſſionis tempore ſanguinem mittendo, uſq; ad animi deliquium, atq; ægrum regendo uictu boni ſucci, ac balneis dulcibus: deinde ubi ſerum lactis per tres dies exhibueris euacuabis hiera ex colocynthide Ruffi aut Archigenis, aut Iuſti, bis aut ter, poſt certa interualla repetendo, ac poſt euacuationes theriaca ex uiperis utendũ, cæteraq; adhibenda quæ capite de melancholia paulo ſupra memorauimus. noctu uero iam aduentante morbo conſuetis ſoporiferis caput irrigandum & eiuſdem facultatis odoramentis, apioq; nares inungendę: quandoq; & quodpiã ſomniferorum propinari oportet.

De ephialta ſiue incubo ex Poſidonio. Cap. XII

QVi incubus appellatur dæmon non eſt, ſed præludium ac præfatio quędam morbi comitialis, aut maniæ, aut apoplexię. cruditates enim è crapulis morbum præcedunt, unde uapores craſſi ac frigidi eleuati cerebri uentriculos replent, prohibentes facultates animæ per neruos diffundi, atq; ita difficilem morbũ producunt, qui uix in rectam functionem trahitur. incubum enim præueniunt, ſuffocatio uocis, impotentia, grauitas, immobilitas: cũ plurima tandẽ anxietate attenuato ſpiritu, & diſcuſſo, atq; apertis meatibus, repente excitantur. occurrendum igitur inchoanti malo, perſeuerans enim & aſſidue inuadẽs quempiam ex prædictis morbis inducit, craſſo humore in uentriculis cerebri paulatim collecto. quæcunq; enim epileptici uigilando in exacerbationibus ſuis perpetiuntur, totidem incubo uexati dormiendo ferũt. ſi ergo ſanguis dominet̃, cubiti uena ſecanda eſt. ſin pra

uitas ſuccorũ potius redundat, purgandum hiera Archigenis. pręcipue uero hoc
illis cõfert,quod habet,corticis ellebori nigri drach.i.ſcammoniæ obolos.iij.aniſi,
aut dauci,aut petroſelini modicum. uictus ſit tenuis, & flatu penitus carens.con/
fert eiſdẽ nigrũ pęoniæ ſemen,ſi grana quindecim trita ex aqua propinent.caput
etiam ſouendũ anethino oleo calido, & pileo tegendũ,dum cubitum accedunt.

Quæ arguunt Epilepticos. Cap. XIII

QVæ ſuffitu arguunt epilepticos & concidere compellunt, ſunt bitumen,ga
gates lapis,cornu caprinũ caprini'q; iocinoris aſſati odor,ipſumq; iecur co/
meſtum.

De epilepſia uel morbo comitiali Galeni. Cap. XIIII

EPilepſiæ ſeu morbi comitialis tres ſunt differentiæ, ſed omnibus cõmune eſt
ut cerebrum patiatur.aut enim in ipſo affectus primarie conſtituitur,aut per
conſenſum cũ ore uentriculi,aut quod tamen raro accidit,ab aliquo membro paſ/
ſio primo oriri incipit,deinde ipſomet ęgro ſentiente paulatim irrepit ad caput.&
hoc ego conſpexi in puero qui initium diſpoſitionis in crure percipiebat, poſtea
quodam interiecto tempore aiebat per femur aſcendere ad ſpinam, deinde ceru/
cem,quouſq; caput inuaderet, quod ubi primo attingere cœpiſſet nõ amplius ſui
ipſius compotem fuiſſe.idem contingere ſolet ijs qui à ſcorpione, aut aliquo alio
uenenoſo inſecto punguntur. ictus enim quidam à ſcorpione aſſeuerabat ſe uelu
ti à grandine opprimi,eratq; totus ſubfrigidus,ac frigide ſudabat, q adhibitis me/
dicamentis uix tandem ſanatus eſt.ergo pari ratione fieri poteſt ut in aliquo mem
bro ignobili quædam talis ſubſtantia abſq; cauſa extrinſeca generetur, ac multo
facilius ſi in neruoſa parte conſederit, & per continuitatem ad neruorũ principiũ
tranſmittatur.

Poſidonij. Conuulſio comitatur epilepticos uiolato neruorũ
principio ab infeſtis humoribus. quemadmodum enim ſtomachus aut alimenti
multitudine oppreſſus,aut ab acri humore ſtimulatus non ſingultum tantum, ſed
& conuulſionem affert:ita & principium neruorũ ad talem cogitur motũ,excute/
re enitens quicquid ad illud à parte primum patiente eleuatur. ordinatos autẽ aut
incertos eſſe circuitus,modus uiuẽdi facit. aut enim omnino æquali uictu regitur
æger,aut inæquali & confuſo.inuadente igitur exacerbatione epilepticorum deti
neri oportet conuulſa & circunuerſata membra,inungiq; ac dirigi: deinde os ape
riendum,pennaq; oleo illita immittenda,pręcipue liguſtrino,aut irino,aut narciſ/
ſino, & uomitus prouocandus ad extrahendos humores ſtomacho inhærentes.
oportet etiam odoramentis ſenſus excitari,ut peucedano & ſucco cyrenenſi. per/
ſeuerante exacerbatione audacter medicus & uiolenter illorũ maxillas diſtrahat,
infundatq; in os caſtoreum,aut ſuccum cyrenenſem cum oxymelite.excitatis,cly
ſtere inijciendũ ex calamenthi decocto,aut ariſtolochia: inde refectis uiribus pur/
gandi hiera ex colocynthide,aut hiera Galeni.hactenus nouæ & acutæ epilepſiæ
curationem explicauimus,ſed deinceps quę ad antiquam pellendam attinent diſ/
ſerendum.oportet igitur ægros intra longam aquæ potionem coerceri,atq; initio
medicationis niſi quid prohibeat uenam ſecare,inde quatuor aut quinque diebus
reficiendo corpori interiectis euacuare pręcipue cum elleboro nigro,aut colocyn
thide. aridus uero ellebori cortex terendus, cribrandusq; eſt, dandusq; ex mulſa
circiter drach.i.aut melle cocto aſſumptus cum modico pipere in pilulas redigen/
dus:uel in colocynthidem extracto ſemine,ac medulla tantum derelicta, uinũ dul
ce conijciendum eſt, totaq; nocte ſinendum,dein mane excolandũ & tepefactum
propinandum.ubi ſatis purgati ſint, ad balneũ ducendi: tertia die cucurbitulæ hy
pochondrijs & ſcapulis cum ſcariſicatione applicandæ.tum quibuſdam diebus re
parando corpori interpoſitis,rurſus purgandi ſunt hiera Galeni,ex colocynthide.t
poſtea capiti cucurbitulæ apponendæ,qd' poſtridie cataplaſmate ex pane & mul/

ſa cooperies, additis amigdalis amaris cõtritis, aut ſerpillo, aut calamẽto, aut mentha, aut ruta: idemq; tribus diebus efficies. mox deraſis capillis peucedani ſuccũ in aceto dilutũ, uel ſpondilij, aut ſerpilli, aut iridis decoctum illines, ac rurſus interiecto tempore hierę tres tantũ drachmas exhibebis, ſternutatoriaq; apophlegmatiſmos & ea quæ per nares purgant applicabis, cyclamini ſuccũ aut elateriũ cũ lacte naribus inſtillando, aut ipſam radicem ſiccam tritamq; inſufflando: temporeq; interpoſito aluum clyſtere ex centaurij aut colocynthidis decocto ablues, deinde ſinapiſmum capiti admouebis, & acribus cibis per certa interualla uteris.

Excitatoria decidentium epilepticorum ex Didymo. Cap. XV

PVncto ægrotantis pollice pedis, ſtillis inde emanantibus labia decidentis inungito, & protinus excitabitur. Aſclepiadis Odoramentũ excitatoriũ ad epilepticos: ſagapeni, piperis, caſtorei, amigdalorum amarorum, radicis peucedani, ſpondilij, chalbanæ ſing. drach. ii. laſeris, opobalſami ſing. drach. i. diluito aceto & paſtillos cõficito, atq; uſus tempore rurſus aceto dilue & naribus illinito. datur & contra ſuffocationes uteri uitio, in ipſo exacerbationis tempore. reponatur medicamentũ in pyxide ænea, quã naribus patientis admouebis. Item chalbanæ, ſpondylij aut ſerpilli, æruginis raſilis, caſtorij, acori ſing. drach. iiij. ſucci peucedani drach. ii. aut radicis drach. iij. ſucci cyrenenſis, opobalſami ſing. drach. i. piperis gra. xxiiij. amigdala amara decorticata quinquaginta, picis liquidæ quod ſufficit, aceti tantundem confice, & utere.

Dioſcoridis ad epilepticos. Cap. XVI

RVta agreſtis, cum aqua bibita, ac ſpondylium ſimili modo. Itẽ radicis uitis albę drach. i. carpobalſami drach. iiij. cardamomi drach. i. aqua in qua loti arboris ramẽta maduerint, quinquefolij frondes ſingulis diebus bibanť, terreſtris teſtudo decocta & lincta, laſer in cibis, caſtoriũ ſumme iuuat epilepticos poſt aliquam purgationẽ drach. unius pondere, diebus quinq; aut pluribus è mulſa potum. ramenta quoq; dentis elephantis magnopere profuiſſe nouimus, quinq; aut pluribus diebus ad cochleariũ duorũ menſurã è mulſa quotidie bibita. Itẽ ex Aſclepiade ad epilepticos. Rumicem acidũ quẽ oxalida uocant perq; copioſe ſingulis diebus exhibeto, à prima luna uſq; ad trigeſimam. Idẽ rumex uiridis datus ex uino deſipientibus in priſtinam naturam reſtituit. Ne aſſidue decidatur, inquit Archigenes. Eryngij quod montanum appellatur, folio anguſto & paruo, flore aurei coloris & oculo ſimili, radicem tritam & exquiſite cribratam reponito, ex qua myſtra duo, addito melle quod ſufficit, quinq; diebus ad linctuarij craſſitudinem exhibebis, idem aſſidue certis interuallis repetendo, donec trecentum ſexaginta quinq; dies expleueris: nam ſi integro anno qui totidem diebus perficitur, hęc medicina aſſumatur, morbus comitialis penitus depelletur. Aliud. Scillę aſſatæ interiorem partem terito, cuius & anethi ſingulorũ acetabulum, & apij acetabula tria cum melle conficito, & dato ponticæ nucis quantitatem. atq; ubi biberit, ſi poteſt currat: ſin minus, feſtine perambulet. Aliud Aſclepiadis. Folijs oliuę uiginti quatuor & caſtorio cum melle, Themiſon ad epilepticos, & elephantiacos utebatur. probatur & hæc theriaca: ſeſelis drachm. v. ſcordij, caſtorij, cinnamomi, ſeminis trifolij ſing. drachm. vi. uuæ taminiæ drachm. iij. gentianę drachm. viij. ariſtolochiæ drach. vi. pyrethri drachm. viij. euphorbij drachm. v. piperis albi drachm. x. opobalſami drachm. iij. ſucci cyrenei drachm. iij. conficito cum oxymelite ſimplici & dato epilepticis quidem cum aqua mulſa, cyathos tres, elephantiacis uero drach. i. s. alibi drach. v. Aliud quo Serenus utebatur, medicamentũ ad epilepticos, cui nullũ cõparandũ: idẽq; maturat & purgat, Ellebori nigri, ſcammoniæ, ſing. drach. ii. opopanacis, cymini thebaici, centaurij, nitri, ſulphuris uiui,

abrotoni,ammoniaci thymiamatis,ſeminis rutę agreſtis,abſinthij, ſin.dra.i.terito cribrato & aqua aſſumito,& confice pilulas Aegyptiæ fabæ magnitudine,datoq; unam quotidie cum cyathis quatuor oxymelitis.huic diuina uis eſt, habet autem mixtiones xij.drach.xv. Aliud. Coagulum leporis aqua dilutum quantum orobus eſt ſingulis diebus æger ieiunus bibat,& ſi leporinum defuerit hædinum ſupplebit. Aliud Archigenis ad epilepticos & per circuitus conuulſionem patientes,& ilei dolore uexatos aut diuturno capitis dolore affectos. Caſtorei,abrotoni,radicis panaceæ,pyrethri,croci ſing.drach.viii.ſeminis rutæ agreſtis, myrrhæ,piperis ſing.drach.iiij.dilue aceto ſcyllitico, & confice paſtillos drach. unius, dato unum his qui febre carent ex oxymelite: febrientibus uero in remiſſione aut interuallo febris tribus diebus continuis:deinde tres alios dies interponito,ac rurſus totidem diebus exhibeto.confert & articulari morbo laborantibus,atq; in mulieribus menſes ducit,ſi nouies ut docuimus bibatur. Aliud eiuſdem facultatis.

Caſtorei,piperis,radicis panaceæ ſing.drach.viij. pyrethri,uuæ taminiæ,abrotoni,ſeminis rutæ,zingiberis,acori,dauci,ſing.drach.iiij.croci,iridis,cardamomi, ſing.drach.ii.dato ſicci cochleare unum è mulſa.facit ad epilepticos, reſolutos, ac tremulos.

De ijs qui primario ſtomachi affectu more epileptico cadunt ex Galeno. Cap. XVII

SI uero ob primariū ſtomachi affectum comitialis morbus contingat, oportet ægrum rectæ concoctioni prouidendo circa horam tertiam panem diligenter confectum aſſumere, ex uino antiquo tenui & albo, temperato cū aliquo eorum quæ leniter adſtringunt, ac frequentiſſime ſingulis annis hieram aloeticam bibere.ſed copioſius rurſus dicetur de ijs qui ſtomachi uitio epileptice cadunt, ubi de ſtomachi morbis agetur.neq; parum illis prodeſt ſeſelis,aut ſpondilij radix, & ſemen,uel ariſtolochia trita & ex aqua pota. confert & mirum immodum ſectio uenæ malleoli aut poplitis frequenter repetita. noui etiam puerū qui nunquam poſtea cecidit ex quo pæoniæ radicem magnam & recentē collo appenſam aſſidue geſtare cœpit,ita ut ſtomachum attingeret.

De ijs qui alicuius membri uitio epilepſiam patiuntur ex Poſidonio. Cap. XVIII

IN quibus uero cuiuſdam alterius membri uitio comitialis morbus exoriatur, ueluti de pueri tibia prædiximus,peracta totius corporis inanitione, prius inunctionibus excalefacere corpus oportet, deinde apponere epithema de ſeminibus & ex emplaſtris quæ rareſaciunt, & malam temperaturam emendant, quale eſt quod methe appellatur, & quod ex althæa cōficitur, & quod ad Mnaſeam auctorem refertur:poſtea & phœnicinum ideſt palmeum.ſuccedente tempore dropacibus & ſinapiſmis locus irritandus eſt: ita enim iuuenes, adoleſcentulos, & declinantes ætate ualentius curare licet.

Curatio ſenum, & puerorum, qui morbo comitiali uexantur ex Poſidonio. Cap. XIX

SEcus uero ſenes ac pueros curabimus, à quibus omnino euacuationes remouebimus quę cum purgantibus medicamentis fieri ſolent.imbecillius enim & pueris & ſenibus corpus eſt quàm quod catharticorum uiribus reluctari poſſit; ſed eorum uentres clyſteribus tantum abluendi ſunt,& præcipue ſenum è centaurij,ariſtolochiæ,polypodij,& anethi decocto.manducatoria etiam & gargariſmata,& quę per nares purgant,ſenibus congruunt:nam ſimpliciſſima enemata pueris inijci oportet. ſed & frictoria, & ſinapiſmi, ſimpliciores quidem in pueris,potentiores uero in ſenibus,ſint: ſenibus etiam antidota quæ ſuperius deſcripſimus exhiberi poſſunt.

Curatio

Curatio decrepitorum epilepticorum ex Poſidonio. Cap. xx

DEcrepiti ſolo uictu calidiori regentur, & bonę concoctioni prouidebitur: fieri enim nõ poteſt ut qui hoc morbo cõſenuerint humano præſidio liberentur. ſed qui ab aliqua aduentitia occaſione nouiſſime ęgrotare incœperint, quamuis ultimam ſenectutem attigerint, penitus deſperandi non ſunt.

Curatio infantium epilepticorum ex Poſidonio. Cap. xxi

SVnt & infantuli nuperrime nati comitiali morbo ſubiecti, qui quamuis difficilis omnino ſit, curari tamen poteſt: nam matres eorũ ſeu nutrices regi queunt calidiori uictu, ut lac calidius ſubtiliusq; efficiatur, & puluiſculis feruidioris naturæ infantium capita operiri, qualia ſunt cyperus, capilli ueneris, iris, & oleo aneithino aſſidue inungi, & irino & amaracino calidis. neq; unquam caput lauandũ eſt uel calida aqua uel frigida: ac ſi neceſſe fuerit ſordes abſtergere, id facito aphronitro & melle, & poſtea aqua calida leuiter ablues, cauendo ne totum caput immergatur, madefiatq;. dato etiam deſpumatum mel elingendum, ac collo ſuſpendito pæoniæ radicem uiridem, ut ſtomachum attingat.

De fatuitate & delyrio. Cap. xxii

FAtuitatem ac delyrium apparente principio curare enitemur, ſi membra uniuerſi corporis, & præſertim capitis cõmenſurata inuenerimus, ſciuerimusq; rationalem partẽ integram prius fuiſſe, ac deinde ſubortam dementiã, uterq; iſtorum affectuum contingit refrigerato cerebro, interdum ſola qualitate, ut fit in peregrinationibus, pluuia aut uento uehementi caput infrigidante, interdum & modica pituita in cerebrũ influente. differt autẽ fatuitas à delyrio, ꝙ fatuus cõſequentia & dicat & faciat, delyrus uero tranſcendat & incompoſita efficiat, & ita uerbũ uerbo complicet, ut primum nihil ſimile habeat cum ſecundo, & ꝙ delyrium ſenibus frequentius accidat, fatuitas pueris, & adoleſcentulis, cæteriſq; ætatibus ex quibuſdã morbis præcedentibus. utriuſq; curatio ſimilis eſt ei quam prædiximus de epilepticis, perficitur enim pręſidijs ęque calefacientibus, nõ tamen æque exiccantibus.

De memoria deperdita ex Ruffo & Galeno. Cap. xxiii

MEmoriæ detrimentum poſt quaſdam ægritudines ſæpenumero exoriri uidemus, parte etiam rationali nonnunq̃ ſimul uiolata: idem enim uterq; affectus eſt, niſi ꝙ alter intenſior. quando uero unà cum memoria ratio quoq; deſtruitur, fatuitas appellatur. delentur ambæ in lethargis cæteriſq; ſoporiferis morbis; ideo & eadem curatio adhibetur quam ſupra de illis docuimus, ſi modo ij morbi præſentes adſint. ſi uero ab aliquo ipſorũ deciderit, ut uidelicet eo iam ſoluto obliuio ſucceſſerit, tunc cõſiderari oportet quænam qualitas magis dominetur: nam ſi humiditas redundabit profundos longoſq; ſomnos efficiet. ſin ſola ſiccitas, uigiliæ infeſtabunt. at ſi frigiditas cũ multa humiditate acceſſerit, cataphoricæ ueternoſæq; ægritudines fiunt. ſi humiditas cum pauca frigiditate, memorię detrimenta, fatuitateſq; eueniunt. exiſtente autẽ plurima temperaturarũ differentia, in maioris minoriſq; ratione multiformis diuerſitas oritur cauſarum animales functiones uiolantium. ſomnos igitur obſeruari oportet eorum qui memoriam, uel rationem deperdiderint, nunquid ualde, an moderate ſomnolenti ſint. Ita enim intemperiem dominantem inuenięs. obſeruandũ etiam utrum multa è naribus atq; ore excernantur, eorũ quę à capite deferuntur, an aridę ſint hę partes: nam ſi ſola adſit frigiditas, tantũ calefieri, non exiccari oportet. ſi uero etiam humiditas, tunc calefaciendum, & exiccandum. ego ſanè quendam noui memoria propè deſtructa, ac ſimul ratione uiolata ob ingens ſtudiũ, uigiliaſq; circa diſciplinas, aliumq; uinitorẽ ob nimium uineæ excolendæ laborem, utrunq; à calidis & ſiccis manifeſte lædi ſolitum, ab humidis uero & calidis iuuari. his prius determinatis curationem

facile

facile intelligemus: nam ſi ob aliquas purgationes, cæterasq; immoderatas inanitiones, aut ſyncopas, fracta uirtute memoriæ detrimentū ſuperuenerit, nulla alia re addita uictu tantum reficiente ſuccurrere oportet: corroboratis enim corporibus collectisq; uiribus, memoria reparatur. eadem ratione ſi ob ultimum ſenium memoria labatur, fruſtra laborandum non eſt, ſed tantum congruo uictu contenti erimus. at quoſcunq; repente memoria reliquerit cerereq; partes incolumes apparuerint, epilepſiam aut reſolutionem aut apoplexiam uereri oportet, & omnino quodpiam ingens malum expectabis: atq; his quoq; eorum morborum præcautiones ſufficient, quos futuros ſuſpicamur: quibus enim præſidijs futurum morbum arcebimus, iiſdem factum repellemus. prædictas ægritudines medicinæ attenuantes ſimul & incidentes prohibent, deinde purgationes, & reliqua huiuſmodi. ſed ſi quis ex alijs ægritudinibus ſicuti diximus, in obliuionem deciderit, ut è lethargo, aut peſtilentia, tempus iam erit generoſius dimicandi, ac ſumma medicationis in calefaciendo corpore conſtituitur, tam interius quàm exterius, pro menſura auerſionis ab habitu naturali. calefactoria ferè quæ his conueniunt æſtate oleum calidum eſt, hyeme irinum cum aceto acriori, interdū ſerpillo, aut ſpondylio, aut calamento ſimul decocto: quidam & nitrum adijciūt, & piper & lauri baccas. utile & caſtoreum cū oleo occipiti illitū. eoſdem maxime iuuat hiera Ruffi: quandoq; enim, inquit ille, hac tantū purgādo ſummopere profui, ꝙ in euacuando nihil utile ſecum trahat: incipit enim primo ſuperius à capite attrahere, tum & per reliquas partes digreſſa, nihil uiolentum, nihil moleſtum infert, non feruorem, non cordis dolorem, non ſitim, imò ſemper pro inanitionis ratione patientem leuat, proinde & ſtomachum firmat, & edendi appetitū excitat. creditur uero poſt hieræ purgationem ſcobem dentis elephantis circiter drach. i. è mulſa potam non parum iuuare. at ellebori albi potio uehementiori morbo conueniet, neque quod quidam putarunt ſupremum iſtud remedium eſt, ſed aliquis recte interdū uel inde inchoabit. quid enim multo ac longo labore opus eſt ubi maximi medicamenti copia non deſit, in quo ſumma medicationis conſiſtat: ergo prius elleborum dari oportet quàm æger à morbo ſuperetur, ac tanta præſidij ſpes fallax efficiat. ſed & ſternutatoria ex elleboro albo, & caſtoreo, naribus adhibita, & reliqua quæ per nares purgant, & apophlegmatiſmi conueniunt, nutrimentum etiam leue non ſine calefaciendi exiccandiq; uiribus utile eſt. ab omnibus uero infrigidantibus oleribus & à fructibus, bellarijs, caſeo & lacte, abſtinendum conſulo, ſed acriora alimenta ex interuallis offerenda, ut allium, thymbra, origanum, puleium, raphani, à quorum tamen copia cauere oportet, ſemperq; cruditates tanquam rationi infeſtiſſimas euitare. congruit ijs uinum tenue album & ualde antiquū, ſua enim moderata caliditate cū alia non pauca efficiat, animam etiam tranquillam feſtiuamq; reddit, conſonos illi motus præbendo. plurima uero aqua ac multo magis uini potio prorſus peſſima eſt: uehementer enim humectat caput, ac nihil æque obliuionem inducit, quàm humiditas. ſomnus ſit temperatus citra ſatietatē, ueneris uſus rariſſimus: neq; enim totius ſanitati, neq; rationis functioni confert, ſed deprauatum animum facit. conuulſioni enim affinis eſt motus ille ueneris turbulentus. refrigeratio etiam ſuperueniens rationem congelat & ſtupefacit. at poſt purgationes tum communes, tum proprias, ſinapiſmus quoq; occipiti utiliter applicatur, ac poſt ſinapiſmum balneum. cruditas autem & laſſitudo penitus fugiendæ, totius quidem corporis, ſed præcipue capitis ac rationis. Præterea æſtus uehementes & frigora, utraq; enim caput replere ſolent. cauenda etiam alimenta craſſioris ſucci, & quæ flatum gignunt, quæq; humectant. ab his exorſus quiſpiam, etiam in ſanis humidius tamen caput habentibus, optimum uiuendi modum cōficiet, quo memoria præſtantiſſima comparetur.

De

De morſis à cane rabido & de formidantibus aquam ex Ruffo & Poſidonio. Cap. XXIIII

CAnes cum natura calidi & ſicci ſint, acquirunt æſtate ex continenti nos aëre nouam quandã caliditatem, ut ſæpe ob nimiam intemperiẽ in furorẽ conci-
dant qui rabies appellaṙ. idq́ præcipue in ijs regionibus patiunṙ in quibus maxi-
mæ inæqualesq́ aëris mutationes fiunt, atq; ubi hyems pariter & æſtas modũ ex-
cedere ſoleant. furentes canes quàm uis uehementi ſiti affligantur à potu tamẽ ab
horrent quoniam inſaniunt, propterea in eis ueneni prauitas magis intenditur, ita
uero muti & inſani euadunt ut ne familiariſſimos quidem agnoſcant, ſed hos po-
tiſſime mordeant. Prçterea ieiuni ac ſitibunde quidem, ſed ſine potu perſiſtunt, &
hiantes quàm maxime anhelant linguam exerendo ſaliuamq́ copioſam & ſpu-
meam effundendo, languidis auribus, cauda demiſſa, inceſſu ſegni, ac ueluti ſtupi
di efficiuntur. ſi uero currant ocyus ſolito currunt, intempeſtiue tamen & inæqua
liter. huiuſcemodi canes euitari oportet: nam qui ab eis mordentur, ſi negligantur
aut perperam curentur, plerunq; in aquæ formidinem corruunt, patiunturq́ id
prçcipue qui prauis ſuccis repleti fuerint. ideo quidam ſtatim ac morſi ſunt aquã
cçteraq; humida formidant, quidam poſt quadraginta dies, quidam etiam ſerius.
hi ubi aquam uel aliquid aliud lucidum tanquam ſpeculum inſpexerint, propriam
ipſorũ faciem adeo rubentem, uiſumq́ toruum & plenũ irarum contemplati de-
terrentur. fieri etiam poteſt, ſicuti quidam teſtantur, ut rabidi canis imaginem ui-
dere in humido putent, quã ſpeciem recolentes, protinus ingenti terrore occupen-
tur, qđ quidẽ ob nimiam ſiccitatẽ perpetiuntur. nam philoſophus quidam morſus
à cane rabido, & egregia uirtute animi paſſioni reſiſtens, dum ſibi canis imago ap
pareret in balneo (illi enim quoq; ſicuti & reliquis eodem morbo affectis, appare-
bat) diu intra ſe meditatus, & quid inquit cõmune eſt cani cũ balneo? qđ effatus
balneum intrauit, & imperterritus bibit, atq; ita morbũ ſuperauit, & ſanitatẽ ade-
ptus eſt. quã primũ igitur ac aliquis à cane rabido morſus fuerit, protinus ei legiti
ma curatio adhibẽda eſt, quamuis morſio in ſuperficie perq; modica ſit: noſſe eñ
oportet neminẽ perperam curatũ effugiſſe. primo itaq; uulnus latius efficies, de-
inde totũ in circuitu locũ ſcarificabis, ita molitus plurimum ſanguinis fluxum ul-
cus etiam inures latioribus cauterijs ignitis, poſtea porri ſemina, cũ ſale trita aut
allia, aut cepas illines, ac poſt cruſtæ caſum uſq; ad dies quadraginta, aut ſexagin-
ta, à cicatrice uulnus arcebis, ad quã ſi feſtinabit, rurſus uitis aut ficulneç cinere ul
cus aperies. cõfert & marrubij folia, aut anagallidis illinere, quæ & ceraſtç ſerpen
ris ictibus ſumme opitulanṙ, locus etiam chamæmali aut acidi rumicis radicis de-
cocto fouendus eſt. noui ego ſenem quendã qui morſos à cane rabido ſolo acido
rumice curabat: primo enim ulcus eius decocto fouebat, deinde herbam ipſam illi
nebat, eandemq; potandam exhibebat, quod quidem medicamentũ tanq; effica-
ciſſimum ſummopere cõmendabat. plurima autẽ & turbulenta qui illam aſſum-
pſerint meiere ſolent, ideo & regium morbũ expurgat, qua nos quoq; cũ aceto tri
ta impetigines ſanauimus, eiuſdemq́ radice ſcabioſis ſuccurrimus, nec raro reli-
quis medicamẽtis ad rabidi canis morſum miſcuimus. ſimiles uires habet & agre
ſtis rumex aculeatus, radice oblonga ueluti raphanus puſilla. eſt & inſigne Gale-
ni, è brutia pice medicamentum quod ita conficitur. brutiæ picis lib. I. opopanacis
unc. iij. aceti heminas duas. opopanacem cum aliqua parte aceti diluito, reliquum
in picem conijcito, & decoquito uſq; ad ipſius aceti abſumptionem, deinde confe
cto ſimul in mortarium opopanace unito & colligito, atq; ita uulneri quadragin-
ta aut ſexaginta diebus applicato: prohibet enim cicatricẽ. confert & theriaca è ui
peris cũ roſaceo diluta, & ulceri appoſita. tale uero aridum efficaciſſimũ eſt. Talis

foſſilis

foſſilis drach.xx.chalcitidis,ſcillæ ſing.drach.xvi. rutæ uiridis drach. iiij. ſeminis porri drach.i.inſoletur in pyxide ænea, & aridum applicetur, quouſq; ulceri cruſta inducatur,deinde roſaceo admiſceat,donec cruſta excidat.potamogiton quoque cum ſale illita aquæ formidinem arcet, cuius uſus eſt & recentis & aridæ, ſed & theriacam morſis à cane rabido in primis tribus diebus exhiberi oportet, ad nucis ponticæ magnitudinem: neminem enim noui qui eam aſſumpſerit aquæ formidine correptum.neq; tamen à cæteris præſidijs abſtinendum,ſed dandum præcipue illuſtre illud antidotũ, quod è fluuialibus cancris ita conficitur, Cancrorum fluuialium cõgruæ magnitudinis qui uiuentes in uaſe rubri æris cremati fuerint, cineris unc.x.gentianæ unc.iij.ſinceri thuris unc.i. hoc medicamentum menſe augusto conficiendũ eſt, decimaoctaua luna. ſed ſi eo tempore paratum non habueris,propterea non deſiſtes,imò quocunq; tempore præparabis,eodem modo quẽ explicauimus.urito tamen cancros ſarmentis uitiũ, datoq; ſi ſtatim ægrum à principio curare incæperis,cochlearis unius menſuram: ſi uero poſt principium accerſitus fueris,dato ſingulis diebus cochlearia duo. confert & ſolus cancrorũ cinis bibitus & uulneri è melle illitus,ſed antidotũ quod è iuglandibus appellatur,morſis à cane rabido,etiam ſi febricitare incœperint,confert quadam aduerſus hunc morbum reſiſtendi proprietate,ſomnumq; obiter conciliat,quod ita cõficitur, Sagapeni unc. ii.opij thebaici tantundẽ,croci ſcru.i.s. lycij indici unc.s.carnis iuglandũ nõ ualde antiquarũ drach. quadraginta,conficito & drach.i.ex aqua pluuiali calida in nocte poſt febris uigorem dato,ita ut mane quidem confectio ex cancris exhibeatur,ueſpere autem è iuglandibus,quę ſi non affuerint,exhibeto quod cyphi appellatur, ſiue illud habueris quod è triginta quinq; rebus cõponitur, ſiue quod è uiginti octo. prodeſt & liquor cyrenæus, aut parthicus, fabæ quantitate potus. ſunt qui iecur canis qui momorderit aſſatum exhibeant, quidam mergi iecur aſſatum cum oleo & modico ſale datum mirifice conferre affirmant:ita enim præſentaneum eſſe,ut ęger protinus aquam flagitet:hippocampus etiam marinus toſtus utiliter comedi proditur, illius enim ſanguinem aquæ amorem inducere, & proprietate opponi terrori aquæ, propterea bis ac ter hippocampum comedi cogunt, eundemq; ex acerrimo aceto tritum uulneri applicant, rabiemq; hoc medicamento frequenter peruicerunt. catuli præterea coagulum ex aqua propinatũ eiſdem efficaciſſimum eſt,quod ubi ſemel aſſumptum ſit,aquę deſiderium protinus excitat, reliquaq; uniuerſa humida affatim appetuntur: neq; oportet catulum prouectioris ætatis eſſe, ſed nuperrime natum, & adhuc lactentem. idem poteſt & leucanthemis herba bibita,cui tanta ineſſe uis traditur ut uel poculi fundo ſublita potionem libenter admitti faciat, idemq; aſſerunt chamæmalum efficere. ſed omniũ utiliſſimum eſt bitumen Iudaicum,ex tribus aquæ cyathis potum.datur pondere ſcrup.unius,alibi drach.unius.confert & caprifici cortex contuſus, & ex aqua potus,& abſinthium,& allium,& centaurium minus,ariſtolochia,artemiſia,chamędrys,uitis albæ radix,polium,laſer,cancrorum fluuialium decoctum, cum quibus copia anethi elixata ſit.ſubſternitur eis utiliter urſi pellis,& ui tuli marini,ſed præcipue hyænæ,cuius etiam cinis potui datus aquæ formidinem ſedat.hominem uero à diſcrimine liberatum his argumentis dignoſces. illinito ulceri iuglandes contritiſſimas,ac poſtridie remotas gallo aut gallinæ comedendas præbeto:nam ſi comederit nec moriatur auis, tuto ad cicatricem ulcus deducito, tanquam prorſus ſublato ægri periculo. ac ſi primo ſtatim die linimentũ iuglandium ulceri appoſitum gallina comederit,neq; inde moriatur,ſcito ęgrum à cane rabido morſum nõ eſſe.ſi uero interierit,oppoſitum iudicabis.primo enim penitus abſtinebit: ubi uero fame coacta deuorabit,occumbet,ſi canis rabidus fuerat.id igitur quotidie im

mutar

mutari oportet, quouſq; auis depaſta non intereat. optime uero ac acutiſſime ulcus ad cicatricẽ ducit theriaca roſaceo diluta: poſtremo obducta ulceri cicatrice, ad integram morbi abolitionem elleborus albus propinandus eſt. Ruffi. Nam & rabidi canes ſi elleborum cum polenta comederint, euomunt, ac ſtatim ſoluti à rabie reſipiſcũt: ſi tamen quidpiã ab elleboro, phiberet, ſatis eſſet hiera Ruffi inferius purgari. exhibenda etiã hiera quotidie nõ quidẽ purgãdi gratia, ſed tanq̃ medicamentũ proprietate huic morbo reſiſtens, deturq; auellanæ quantitas, cum cyatho decoctionis ſaluie, aut ſideritis herbæ quam heracleam uocant, qua etia m ſola utuntur, aiuntq; non parum prodeſſe, propterea & alyſum appellãt. in uictu uero indigentia & ſatietas euitãda, magis tamen indigentia. hæc enim ſuccorum prauitatem adauget, quod nequaq̃ expedit malefico ulceri. ergo alimentũ moderari oportet, ut et recte conficiatᷣ, & laudabilem ſuccum corpori præbeat. nec minus egeſtioni & urinarũ prouocationi ſtudendũ: quod quidem, tum ea quæ prædiximus, tum fœniculũ & ſcandix comeſta efficiunt. puls uero ſimul & aluum & urinam ducit, ac cichoriũ agreſte crudum oblatum ſtomacho confert: quam nonnulli ſerim, nõnulli ab amaritudine picrin appellant. proſunt & braſſicæ cymæ, & paluſtris aſparagus, & hortenſis rumex agreſtiſq; & acidus, & è piſcibus qui teneras carnes habent, & cammari, cancri & herinacei recentes cum uino mulſo, & carniũ extremitates, auiculæq; omnes montanę quæ facile coquuntᷣ, boniq; ſucci ſunt. uinũ albũ tenue neq; ualde antiquũ. intra annũ uero ꝑſeruationis gratia accedente occaſione, hiera purgari expedit. at inſtante die tribus iugiter diebus theriaca accipienda eſt.

De cerebri inflammatione. Cap. XXV

CErebrũ inflammatũ ita ſæpe intumeſcit, ut capitis ſuturas diſtrahat, & compreſſis membranis dolor maximus & feruidus inferatᷣ, quem deinde ſtomachi nauſea & bilis uomitus ſequitur cum oculorum turgiditate, plurimoq; facieí, totiuſq; capitis rubore & tumore: his ergo à uena cubiti à naribus & à uenis ſub lingua apparentibus, ſanguis detrahendus eſt, irrigationeſq; inflãmationibus capitis congruæ, linimentaq; humectantia adhibenda ſunt.

De eryſipelate cerebri. Cap. XXVI

FIeri etiam ſolet in cerebro eryſipelas, percipitq; æger dolorem in toto capite, quaſi in eo flamma exardeſcat, frigeſcitq; illi facies, et hypochondria atque os exareſcit. ab his quoque præcipue à uenis ſub lingua exiſtentibus ſanguis mittendus eſt: capitiq; exterius refrigerantia linimenta applicanda, & paſtilli quibus ad eryſipelata utimur.

De apoplexia ex Galeno. Cap. XXVII

APoplexia ob repentinam inuaſionem nobiliores cerebri uentriculos à craſſo frigido lentoq; humore repleri indicat, & nõ ob totius ſubſtantiæ intemperiem produci. conijcito igitur periculi magnitudinem pro magnitudine nocumenti, quod reſpirationi contingit: ubi enim reſpirationem ualde impeditam conſpexeris, & quæ uix reddatur, nõ paruam cerebro ineſſe ægritudinem ſuſpicator. eſt autem apoplexia priuatio ſenſus & motus in uniuerſo corpore, cum functionum imperantium læſione repente ſuperueniens.

Ex Archigene de apoplexia. Apoplexia morbus uehemens ſuapte natura eſt & pernicioſe acutus: quiq; eius diſcrimẽ effugerint, in diuturnum ſubinde affectum decidere ſolent: aut quibuſdam membris, aut uniuerſo corpore reſoluto, ſæpe etiam ratione uiolata: in ſenioq; plerunq; & hyeme, & frigida cõſtitutione, nimijſq; uel cruditatibus uel calefactionibus immenſiſq; ebrietatibus, id morbi genus contingit. talia enim corporis habitum refrigerãt, utq; abſolute dixerim, qui in hanc incidunt ægritudinem, ſenſu omnino carentes mortui

uiuunt. primo igitur corpus oleo calido inungendum, caputq; roſaceo cum aceto irrigandum, ſed in aceto prius ſerpillum, aut ſpondylium decoquendũ, & odoramenta admouenda, caſtoreum, opopanax, chalbana, oreq; adaperto mulſa inſtillanda eſt: & penna oleo liguſtrino aut irino aut narciſſino illita immittẽda, & uomitus prouocandus, ſedesq; aſſidue illinenda, ruta, cymino, nitro & melle, flatum prouocando. quæ ſi parum profecerint, clyſteres applicandi è furfurum decocto, & radice agreſtis cucumeris, & centaurio nitroq; & melle, aut è muria cum melle & oleo rutaceo, enitendumq; ut quod iniectũ fuerit egrediatur, lumbos ac uentrem fricando, ac ſi oportuerit digitos quoq; in ſedem mittendo, & quæ obſtiterint detrahendo. his peractis prætato diſcrimine ſanguis à dextra manu auferendus eſt, partiendo quãtitatem: uirtutẽ enim excitari nõ diſſolui, calorem ue extingui oportet. obſeruandi etiam pulſus inter euacuandũ, & faciei color & reſpiratio: tunc ſi nihil peius ſucceſſerit, repetitio facienda. poſt ſanguinis miſſionem excitatoria odoramenta adhibenda ſunt & inclamandũ, tuncq; uniuerſum corpus inungendũ: & ſi aliquod membrũ ſit inſigniter præ cæteris reſolutũ linteolis oleo ſicyonio, aut antiquiſſimo madefactis operiatur. quos uero ad ſanguinis miſſionem ineptos iudicaueris, primo ut diximus uomitu excitato, & ſede ad flatus eliciendos illita. poſt illitionem cucurbitulis amplis & ualidis poſterius lumbis aut ilibus applicatis, deinde utrinq; ad ſumen trãslatis materiã attrahere conabimur. ita enim aluus frequẽter ſubducta eſt, & ſimul cum ſubductione attoniti reuocati ſunt. quibus nihil proficientibus auſi ſumus interdũ hieram in os infundere, & cum quantũ oportebat, deglutire nequiuerint, per clyſterem iniecimus: nobis & antequam redderetur enema, accidentium concurſus maximũ materiæ motum indicabat: neq; mirari oportet tanta nos uehemẽtia inſtitiſſe. morbi enim magnitudo quæcunq; extrema attentari cogit. atq; hæc quidem urgente neceſſitate peragi oportet. ubi uero iam tolerari poterunt, reliqua ſubinde remedia applicanda ſunt: febris tamen nonnunquã interuenit, quibuſdam prima quibuſdam ſecunda die, & ab hac febri prima ſpes ſalutis emergit. ſed non propterea negligenda eſt, immo irritatis inteſtinis materiã deferri decet, ſi deorſum inclinauerit: ſi uero surſum tendat, ſoluente medicamento deduci, ac præcipue hiera Archigenis, poſtq; purgationem cucurbitulas hypochondrijs & capiti cum ſcariſicatione applicari. ꝙ ſi punctiones inferius quoq; infeſtauerint, eas etiam partes ſcarificabis, præſertim in mulieribus circa uteri regiones. at ſi morbus in aliud membrum decubuerit, illi curationem accommodabis. omnino autem in apoplecticis prouidendum, ut aluus facile ſubducatur & urinæ prouocentur: dandaq; alimenta quotidie pauca, leuia, calida, abſtergentia, & plerunq; cum melle dulcorata.

De reſolutione ex Archigene. Cap. XXVIII

VBi omnes nerui ſenſum ſimul ac motum amiſerint, apoplexia morbus uocatur: ubi uero alterum tantum latus ſiue dextrum ſiue ſiniſtrũ, reſolutio, quę quidem à multis craſſis & uiſcidis humoribus neruos obſtruentibus generat̃, per quos electiuæ functiones perfici ſolent. conſtat igitur redundantem humorẽ educi oportere, cuius rei principium aptius quàm ſanguinis miſſionem haud facile inuenies, ſi iuſſerit ętas, habitus corporis, tempus anni, exercitium, et ratio uictus præcedens, neq; ea affuerint quæ ſanguinis miſſionem prohibeãt. oportet tamen ablationẽ moderatã eſſe, ne corpus frigeſcat: frigiditas enim ueluti prædiximus, cum ſiccitate morbum inducit: quapropter uenæ ſectione materia tantũ minuenda eſt, præſertim in prouectiori ætate, ſanguisq; à partibus incolumioribus auferendus. quo tempore membra operiri oportet linteis oleo ſicyonio aut gleucino madefactis, atque in prouectioribus caſtoreum fomentis admiſcendum. qui uero

repente

repente reſoluti ſunt,ueluti ob nimiam calefactionem, cõgruit magis fomentum è ſuccidis lanis oleo & aceto, interdum & è nitro madefactis, oportetq; frequenter nouum fomentũ reparari:his maxime cibi parcitas,iuſculaq; ex chondro ablu to & ptiſanæ cremore conueniunt.quibuſdam uero diebus poſt ſanguinis miſſionem tranſactis,aluus primo clyſteribus irritetur,deinde & aqua in qua aloe & polypodium & colocynthis maduerit,ſubducatur.conuenit et hiera Archigenis pro uirium ratione ſumpta: poſt purgationem cucurbitulæ membris affectis ſunt applicandæ.quæ ſi cucurbitulis idonea non fuerint,uicinis imponito.poſt cucurbitulas linimentis utendum, quæ ex ſemine lini & fœnugræco & hordeacea farina cum oleo antiquo conficiuntur, adiectis congruis puluiſculis,aut emplaſtra adhibenda ſunt,quę picem,reſinam,thuris pollinem interdum & bitumen aſſumunt: ſed mirifice confert artemiſia decocta, & calamenthũ, & ruta, & conyza,quibus poſtea nitrũ adiũgimus.in muria quoq; cataplaſmata elixamus,portiũcula aquę adiecta quæ in decoctione euaporet:deinceps expediet pro lini ſemine loliaceam farinam,aut lomentum accipere:ſed & eryſimum optimum eſt:deinde ceromata & inunctiones adhiberi,aſſidueq; aluum mollem ſeruari oportet.Pilulæ ad reſolutos tremulos & opiſthotonicos Succi cyrenæi,piperis,chalbanę ſin.drach.i.mi ſceto,ac pilulas cum ſapa conficito,datoq; obolos duos cum duobus aut tribus co chlearibus aquæ mulſæ. Aliæ ad tremulos,reſolutos & opiſthotonicos. Myrrhæ,caſtorij,ſtyracis,piperis portiones æquas miſce & uitor.Item opopanacis,ſagapeni,caſtorei,myrrhæ,liquoris cyrenæi,piperis,rutæ,confice in pilulas,& cum mulſa exhibeto.inunctiões uero idoneę ſunt huiuſcemodi,In aliquo ex oleis quę prædiximus,ſcyllam ſub ſole diebus quadraginta macerari oportet.quod ſi id faciendi copia non fuerit,unc.ij.ſcyllæ in olei ſextario decoquito:eodemq; modo & canchrye uteris,ceræ & chalbanæ & propoleos portiunculam admiſcendo,interdum & caſtorei unc. i. & adarcæ & euphorbij ſing.drach. iiij. & nitri tantundem prædicto linimento adijcimus.ſed & ranunculus herba ſummopere cõfert,ſimiliter præparata.conſtat uero à mitioribus ſemper incipiendum.ceromata quoq; ex eiſdem confici poſſunt,conijciendo pyrethrum,lauri baccas,nitrum,ſinapi.malagmata præterea conueniunt è baccis lauri, & quod uiride appellatur. ſæpe etiam congruit ceratum liguſtrinum maximam ſinapis copiam recipiens,quod malagmatis uicem ſupplebit: nec minus ſmegmata conferunt quæ ex fece cremata uini aut aceti & adarce euphorbioq; & uiua calce cõficiuntur. dropaces quoq; eiſdem utiliſſimi ſunt. neq; obliuiſcaris leuia eſſe oportere quæ apponũtur propter membrorum imbecillitatem. poſt dropacum uſum thapſia ex aqua aut aceto illita ſenſus reuocat, linimentumq; ex cantharidibus, ſed ulcera quæ ex ijs proueniunt, ad cicatricem ſtatim ducenda ſunt. eandem tibi utilitatem ſinapiſmi præſtabunt,ac deinde balneum,quibus poſt purgationem tãtum uteris. ſunt quoq; hoc loco potiones plurimæ quæ conueniunt,ſicuti caſtorium efficaciſſimum eſt,ſi ex eo drach.ij.è mulſa propinentur,aut opopanax ad fabæ magnitudinem,aut ſagapenum orobi pondere. deglutiendus etiam ſuccus cyrenæus ad eandem magnitudinem, ac decoctum palmitum uitis uirentium aſſidue potum reſolutis corporis partibus uehemẽter opitulatur. poſt purgationes uero, reliquaſq; inanitiones theriaca è uiperis utiliſſima eſt & mithridaticum : ſimplicius uero medicamentũ atq; ad huiuſmodi affectus probatiſſimũ ita conficitur:caſtorij, ſeminis rutę agreſtis,opopanacis ſing.obolos ij.pyrethri obolum unum, acori portiones æquas,piperis gra. x. dato ſemiſſem cum duobus cyathis aquæ mulſæ,robuſto autem totum exhibeto:omnis tamen curatio à capite inchoanda eſt, inde enim totius morbi radix exoritur,propterea illinatur caſtoreo,peucedano,baccis lauri,mentha,ad

ijciatur ꝗ acris aceti portiuncula, excipiantꝗ ſingula oleo irino, ut fiat liquidioris cerati conſiſtentia, inungaturꝗ caput totum uſꝗ ad frontem, atꝗ eiuſdem generis odoramenta admoueãtur. aluo autem efficaciori clyſteri exinanita, iamꝗ uniuerſo corpore excremẽtis carente capiti cucurbitulæ cum ſcarificatione applicentur, primo quidem ſanguinis copiam educendo, deinde parcius agendo. cum uero id præſidij genus frequenter omitti oporteat, in circuitu tantum capitis leues cucurbitulæ circumponendæ ſunt, poſtea acrius infigendæ, nihilo enim deterius repetita ſanguinis ablatione ſic applicatæ conferent. ſcalpri uero uſus non cucurbitularum tantum gratia, ſed ſuſpiius ratione priuatim admouendus. quod ſi aeris continentis frigiditas non impediat, etiam caput deradi prodeſt, quod deinde prædictis linimentis ſenſim refricandum erit: ac ubi materia prius detracta ſit, ſternutamentis & apophlegmatiſmis utendum. ego uero ne cruſtas quidem inducere dubitarem, uel cum igne uel cum medicamento, unam in cõcauitate occipitis ubi ſpinalis medulla incipit, duas in utroꝗ ipſius latere, tres aut quatuor in uertice, unam in ipſo capitis meditullio, tres in circuitu: ulceribus enim copiam materiæ deriuantibus integram ſalutem nõ deſperauerim. reliqua uictus ratio attenuatoria ſit bonam faciens aluum, minime uiſcida aut uiroſa, maximeꝗ alimentis miſceantur quæ urinam ducunt. potionibus etiam utendum, quas ad epilepſiam docuimus, & unctionibus quas inferius ad articularẽ morbum dicturi ſumus. cum enim communia ſint hic eadem repetere ſuperuacuũ eſt. ac tunc quoꝗ expediet membra exacte liberari, denudataꝗ aeri exponi, à quibuſdam enim hoc tempore functiones recuperari cœperunt.

De ſupercilij genarumꝗ reſolutione. Cap. XXIX

Si ſupercilium aut genæ reſoluantur, calidioribus linimentis fronti illitis curabuntur: priuatim uero genis ſandix aut ſuccus thapſiæ illinatͬ. ſed relaxato ſupercilio medicamentum optimum ita paratur: maſticham terito cum ſucco braſſicæ illotæ frontiſꝗ cuti extenſæ craſſius illinito. perſeuerãte morbo genis quidem futura medetur, ſupercilio autem uittula à fronte ablata.

De ſpaſmo cynico. Cap. XXX

Spaſmum ſeu conuulſionem cynicam uocant, reſolutionem muſculorum mandibulę, quando os & nares, et omnino media faciei pars in obliquũ declinant, ſuntꝗ remedia non oppoſitæ, ſed reſolutæ parti applicanda. quidam enim decipiuntur, mandibulam ab contrario latere diſtrahi ſuſpicantes. huic cum reſolutione quam ſuprà diximus, curatio cõmunis eſt: nam & ſanguinis miſſio, ſi nihil prohibeat, & purgatio, & clyſteres, cataplaſmata, linimenta, malagmata, ſinapiſmi, thapſiæ applicatio, conferunt. ſed peculiaris ligatura eſt quæ ad oppoſitam partẽ trahat, & miſſio ſanguinis à uenis ſub lingua exiſtentibus, & cucurbitulæ primæ & ſecundæ ſpondylo affixæ, & apophlegmatiſmi, & per nares attractio. parti etiam affectæ oculi, acria linimenta applicari, præſertim collyrium ex ſandyce, & alterũ quod è thapſiæ ſucco conficitur, non parum iuuabit.

De lingua reſoluta. Cap. XXXI

Vbi lingua reſoluta ſit, corpore prius exinanito uenas ſub ipſa exiſtentes incidito, & cucurbitulam ſub mento applicato, & apophlegmatiſmis & colluticnibus utitor ex ſinapi, exercitiaꝗ linguæ ac reliqua huiuſmodi admoueto, occipitiꝗ et collo uniuerſo linimẽta acria & epithemata et ſinapiſmos imponito.

De reſolutione inſtrumentorum uocis. Cap. XXXII

Vocalia inſtrumenta reſolui ſolent, muſculos inquam gutturis, ſed maxime faucium, deinde qui ſunt ſupra thoracem. his uero reſolutis delatio ſpiritus impeditur, ac nonnullis exiles uoces, quibuſdam difficiles fiunt, ut uix loquantur:

atq; alijs aliter uox intercipitur. primo ergo peractis remedijs communibus, medicamenta ſuperius memorata thoraci applicabimus,& acria gargariſmata exhibebimus. his ſpiritus detentio repentinaq; ac copioſa expiratio, & clamor efficaciſſime opitulaŕ: ſed uictus ratione & exercitijs uniuerſum corpus firmari oportet.

Deglutionis reſolutæ curatio. Cap.XXXIII

VBi deglutio reſoluaŕ. i. facultas ciborū delatrix (nam ſi ſtomachus reſoluiŕ, certā perniciē affert) calida omnia admouēda ſunt, peculiariterq; enitendū ut cibaria q̃maxime interius imponantur,ne in aſperam cannam delabantur: cucurbitulæq; mento affligendæ acribusq; linimentis circa columellā & tonſillas utendum, quæ è caſtoreo, ſagapeno & ſucco cyrenæo confici ſolent,& gargariſmatis è ſinapi & mādueatorijs pituitam ducentibus: exteriusq; communes inunctiones quas prædiximus, mento applicandæ.

De ueſica reſoluta. Cap.XXXIIII

VEſicæ reſolutio ſiue urinæ detineantur ſiue præter uoluntatem excernātur, communibus auxilijs curabitur, ſumini totiq; abdomini & loco ueſicæ collo adiacenti quem uretera uocant, admotis: priuatimq; ſumini, ac ſedi oleum nardinum, aut foliatum, aut ſuſinum illines, uel ſicyonium in quo eryngij radix, cyperus, cardamomum & ruta decocta ſint. poſt communia uero medicamenta & clyſteres enitendum, ut ueſicæ functiones reuocentur. ac primo quidem caſtoreum cum oleo ſicyonio, aut rutam, cyminum, anethum, in oleo elixata applicabis, deinde centaurio & colocynthide, modo in aqua, modo in ptiſanæ cremore decoctis locum fouebis. optime etiā facit anagallidis ſuccus, & origani & thymi decoctū, ſed omnibus oleum ſicyonium & caſtoreum cōmiſcebis. interdum etiam ſi æger frigiditatis ſenſum perceperit, opopanacem & chalbanam liquefactā, uel oleum ſicyoniū cum caſtoreo aut opopanace, uel ſilphium in oleo elixatū, per penis meatum inijcimus. ad detentam uero urinam fiſtula ueſicaria utimur, quam catheteta appellant: & poſt humidi excretionem adhuc inſidente cathetere, enema imponimus ex aliquo iſtorum quæ modo diximus, anguſtiſſimum tubulum paruulo utri inſerentes, ut catheteri apte cohæreat, ac mirabile dictu eſt quāta ex huiuſmodi enemate poſt urinarū excretionem utilitas conſequatur. quæ uero urinā cient, acetum uinumq; ſcylliticum per interualla exhiberi utriq; incommodo occurrūt: ſed de his iterum dicetur ubi de ueſicæ morbis agetur.

Penis reſoluti curatio. Cap.XXXV

IN reſolutione penis excretio quidem urinæ nō impeditur, ſed eductio ſeminis & concubitus impeditur: oportet ergo ijſdem præſidijs uti quæ ad ueſicā prædiximus, priuatimq; circa coxendicum articulos calefactoria adhiberi, & ea quæ ad intendendam uirgam ſuo loco tradētur: præter reliqua uero cerui pudendum femori tanq; cingulum illigatum, eiuſdemq; carnes comeſtæ polypiq; marini & herinacei, & ex auibus ſturni cōferte produntur. caſtoreum autem ad omnem reſolutionem efficaciſſime adhibetur. uitare præcipue oportet hoc morbi genere affectos, edulia ac potiones refrigerantes.

De inteſtini recti reſolutione. Cap.XXXVI

REſoluto inteſtino recto pleruq; ſine uoluntatis imperio ſimus excernitur: interdū tamē etiam detineŕ. quod quidē ijſdem remedijs paulo ſuprà ad ueſicam memoratis circa coxarum uertebras illitis curamus. priuatim uero modo adſtringentia, modo firmantia, nunc impinguātia, nunc mordentia & erodentia per clyſterem inijcimus. cupreſſi igitur & rubi decoctum nimiū alui fluorem adſtringendo compeſcet. ſuillus uero & anſerinus adeps, & maluaceum oleum durum & acre ſtercus molliet & impinguabit. at muria & colocynthidis, centaurij, arte-

miſſæ, conyzæ & thymi decocta mordebunt & erodent, ſed præ cæteris trifolij quod aſphaltida uocant, decoctū probatur. ubi aūt frigiditatis ſenſus affuerit, ſilphium, gentianam, uitis albæ & cucumeris agreſtis radicem in omnibus clyſteribus admiſceri conueniet: nos quidem interdum acopum ex euphorbio in clyſteri diluimus, cum fœnugræci decocto, & profecimus.

Cruris aut alterius membri reſoluti curatio. Cap. XXXVII

SI crus aut manus aut aliud membrum reſoluatur, communia remedia quæ ad reſolutionem diximus transferantur: moderata etiam exercitia ſingulis mēbris conueniunt. præterea utendum ad uniuerſas reſolutiones eis inunctionibus quas ad morbum articularem docebimus: ſintq; in omnibus alimenta quæ facile diſtribuātur, attenuantia, bonam aluum facientia, nihil uiſcidi aut praui ſucci continentia, uinum album tenue, nō ualde antiquum: omninoq; cauenda corruptio, refrigeratio, æſtus, ocium, laſſitudo, coitus, ebrietas.

De conuulſione & rigore quem tetanum uocant.

Caput XXXVIII

QVando ſtatim aut non multo poſtea à principio ægritudinis conuulſio ſuperuenerit, à repletione originē trahit. ubi uero poſt plurimos ſudores, aut uomitum, aut egeſtiones alui, aut uehementē ſanguinis eruptionem, aut famem, aut motiones immoderatas acceſſerit, in cauſa ſiccitas eſt: quando etiam in ſanis contigerit aliquod membrum repente conuelli, neceſſe eſt fieri ob repletionem. at quando poſt incendētes febres cōuulſio euenerit, uniuerſo uidelicet corpore præ nimia ſiccitate ſqualente, maxima inde mala oriuntur, & ferè curationem non admittit. ubi igitur membra anterius extenduntur, emproſthotonus appellatur. ubi uero retrorſum opiſthotonus, ubi utrinq; æqualiter rigent, tetanus nuncupatur: atq; eas quidem cōuulſiones quæ à ſiccitate proueniunt, nemo utiq; unquam curabit. quæ autem ob plenitudinem inflammationem'ue oriuntur, medicabiles ſunt, multitudinem euacuando, & inflammationem peculiaribus auxilijs propulſando: aduenit nonnunquam conuulſio in uomitu qui uehementer conturbat, ſedaturq; ijs quæ infeſtabant euomitis. confert conuulſis ſpinæ albæ ſemen epotū, & centaurij minoris ſuccus & ſeſelis cum poſca. caſtorium uero non tantum bibitum, ſed etiam extra illitum confert: quæ tamen ijs tantum exhibemus qui à multitudine conuelluntur.

De tetano aut conuulſione ex Archigene. Cap. XXXIX

QVid nomē tetani ſignificet, iam declarauimus: qui cum ab alijs cauſis quas prædiximus, tum à uulneribus & in fœminis aborſus ratione contingit. factus uero à uulneribus ferè inſanabilis eſt. illud ſciendū raro tetanum infantes aut ſenes inuadere. infantes enim potius morbus corripit comitialis, ſed quoſcūq; inuaſerit negligendus non eſt, quin ſanguis ſtatim mittendus, præcipue ubi à uulnere is morbus acceſſerit. ac quantitas quidem plurima educenda, non tamen uſque ad animi deliquium. tum paulo poſtea chondrum cum mulſa exhibendum, ſitq; quod exhibetur parciſſimum: deinde hydrelæo pinguiori æger inungendus, atq; in balneo uſque ad umbilicum continendus. nec minus partes quas non madefeceris, præſertim caput inungi oportet, quod deinceps recte operies, ne repleatur. ſed & linimenta ex oleo ſicyonio & gleucino & irino, & antiquo admouenda ſunt, & unguenta acopa moderate calefaciētia, quale fœtidum eſt, & quod è ſampſucho quodq; ex populo nigra conficitur: & conſimilia quorum confectiones in capite de articulari morbo explicabūtur. ſi uero non à uulnere ſed à repletione tetanus euenerit, poſt ſanguinis miſſionem linimentis magis ſtimulātibus utemur, quale eſt quod ex adarce conficitur, & ſimilia. deinde affectis locis præcipue circa

colli

colli, mandibularum, ſpinæq́; muſculos cataplaſmata quæ ſedando remittant & diſcutiãt applicabimus, quorum materia eſt fœnugræcum, ſemen lini, farina hordeacea & loliacea, quibus cõplicet̃ terebinthina reſina, chalbana melliſq́; copia, & oleum in quo decoquantur ruta, conyza, artemiſia, libanotis, interdum & ammoniacum thymiama commiſceatur. molliſſima uero & leuiſſima cataplaſmata ſint, fouea turq́; locus ſubiacente cataplaſmate cum ueſica amplæ magnitudinis oleo calido ſemiplena, aut cum ſale toſto, aut cũ ſacculo milij, imò & cataplaſmata in ſacculos cõiecta applicari expedit, ut ſine inquinatione locus foueri poſſit, p̃cipue ſi capiti admouenda ſint: madefactiones tamen aſſidue à capite arceri debent. earũ enim uſus frequẽtior replet. cataplaſmata uero & madefactiones ceruici, mãdibulis ſpinæq́; uniuerſæ uſq́; ad lũbos ſunt adhibendę, madefactionibuſq́; caſtoreum adijciendũ, & cucurbitulæ cum ſcarificatione omnibus affectis partibus applicãdæ, procedente tempore olei balnea moderata bis aut ter ſingulis diebus admittant̃. quintã olei partem calefacere oportet, deinde totum in labro cõmiſceri, præpararíq́; ad huiuſmodi uſus calidum domiciliũ. cõgruiſſimi potus ſunt, optimum apomeli & radicis ſilphij, ſiue hyſſopi decoctũ. deglutiat̃ etiam ſuccus cyrenæus ad erui magnitudinẽ, aut myrrhę troglodytidis quãtum faba eſt. omnibus uero prę ſtat caſtoreum dilutũ ad cochlearis menſurã: deinde inungatur ſedes è rutã & opopanace. confert & olei rutacei & terebinthinæ iniectio, ijſdemq́; hieræ Archigenis drach. ij. & tantundem caſtorei cum puſanæ cremore & melle propinetur: ac poſt reliquorum uſum caſtorium quoq́; ſeparatim exhiberi poteſt.

De dolore capitis diſtinctiones ex Galeno. Cap. XL

QVicunq́; ſine diſtinctione ad dolorẽ capitis medicamenta ſcripſerunt, plus nocumenti q̃ utilitatis credentibus attulerunt: neq́; enim unicus affectus, ſed plures ſunt qui dolorem capitis faciunt, quorum ſingulis propria curatio adhibetur. ac primus quidem ob ſimplicem intemperiem ſine aliquo humore contingit. alter ob humorum qualitatem, tertius ob multitudinem ſolam infertur. quartus quando multitudo humorum uaporumq́; meatus obſtruxerit. quintus quando aliquam capitis partem ſpiritus flatuoſus obſederit. uehementiſſimi ergo dolores capitis ob caliditatem frigiditatemq́; fiunt: temperati ob ſiccitatem, nam humiditatem nullus dolor cõſequitur. ſimili modo humoribus uel in toto capite, uel in aliqua tantum parte redundãtibus, calidis quidem ac frigidis uehementior, ſiccis uero moderatior dolor inuadit, ſi ſiccitas tamen abſq́; manifeſta caliditate fuerit. humidi autem quantum in ipſorum ratione eſt, nullum prorſus dolorem afferũt, multitudine tantum grauãtes, ſi ſine obſtructione ſint: nam cum obſtructione dolorifici euadũt. quod ſi cum multitudine mordacitas quoq́; acceſſerit, dolor augebitur. at flatuoſus uaporoſuſq́; ſpiritus extenſionem ſine eroſione inducit.

De dolore capitis ob æſtum uel calorem. Cap. XLI

DOlorem capitis à caliditate factum curant quæcunq́; ſine manifeſta adſtrictione refrigerandi facultatẽ habent. inter hæc excellunt quæ tenuioris ſubſtantiæ ſunt, propterea nihil prę ſtantius q̃ oleum roſaceum eiuſdem anni ex oleo omphacino ſine ſale confectum, ad ſummam frigiditatem redactum ſtatim à principio in ſinciput fundi: poſt roſaceum chamæmalinum probatur, in his qui moderata refrigeratiõe indiguerint. ſed ſi uehementer infrigidari oporteat, ſedi, aut polygoni, aut lactucæ, aut uuæ acerbæ, aut portulacę, aut palmitum uitis, aut pſyllij, aut ſeridis ſuccum miſcebis: nam papauer & mãdragora nimia frigiditate nocumentũ afferũt. tradit Heraſiſtratus calidiores tẽperaturas ſolis feruori exponẽdas ſpongia lata ac denſa ex aqua frigida expreſſa, & capiti applicata, mirũ in modũ p̃ſeruari. at dolorifico calore ſimul cũ flatuoſo ſpiritu caput uexãte primo repellẽ

tibus utendum quæ refrigerent & adſtringant: poſtea mitigantes & maturantes medicinæ repellentibus admiſcēdæ ſunt, deinde diſcutientes addendæ, paulatim repellentes auferendo.

De dolore capitis in febribus. Cap. XLII

VBi ſimul cum febri dolor capitis inuaſerit, prima aut ſecūda declinatione ſi nihil prohibuerit, uena ſecanda eſt: præſertim in his qui boni habitus plurimiq́ſanguinis fuerint. animaduertendumq́ eſt ne ob exhalationem ſtomachi eueniat, aut propter alui detentionem. ſi uero poſt ſeptimam inceperit, uentre per clyſterem copioſe exinanito, cucurbitulæ occipiti aut ceruici applicandæ ſunt, mitigandumq́ caput irrigationibus olei quidem roſacei cum portiuncula aceti in calidioribus tēperaturis & tempore æſtiuo. chamæmalino uero in caliditatibus magis remiſſis, ſicut anethino quod quintam aceti partem aſſumpſerit, in hyeme frigidioribusq́ corporibus. fronti præterea in frigidis cyphi, in calidis crocomagma illinendū. de dolore aūt capitis qui ob febriū uehementiā ſupuenerit, iam in libro de febribus dictū eſt.

De dolore capitis ob ebrietatē & crapulā. Cap. XLIII

VIna maxime calida uapores ac ſæpe feruidos humores affatim congerendo dolorem capitis inferunt. neceſſe eſt igitur multitudinem exinanire, & feruorem refrigerare, cui ſufficiet oleum roſaceum, non ualde frigidū capiti applicatum. ſomno ac quiete adhibitis tota die peractis, ueſpere loto ægro cibus boni ſucci offerendus eſt, qui non multum calefaciat, ut ptiſanæ cremor & alica, & panis ex aqua, & oua ſorbilia ſine garo, & lactucæ feruefactæ, ac potus aquæ omnino exhibendus: poſtq́ omnes cibos danda punici mali portiūcula aut pyrum, aut pomum, aut paſſulæ. poſtera die iterum lauandus æger, ciboq́ boni ſucci alendus, paululumq́ uini tenuis & albi concedendū eſt. amara uero amygdala quinq́ aut ſeptem ieiuno oblata, & caules braſſicæ prius comeſti ebrietatem arcere creduntur: ſed quæ præſentem iam ebrietatem extingunt, ſunt centaurij minoris decoctum, ceruinum cornu, uerbenacæ rectæ ſemen ex aqua potum.

Refrigerati cerebri medicamenta. Cap. XLIIII

CApite recenter refrigerato oleo rutaceo calido ſinciput madefiat: quod ſi uehementiori indigebit caliditate, adiecito euphorbij portiunculā, aut unguento irino, aut amaracino, aut nardino, aut laurino, aut ſerpillino inungito. eademq́ fronti naribus & meatibus aurium illinito.

De dolore capitis uitio ſtomachi. Cap. XLV

NOnnullis & ſi perexiguus in uētriculo ac præſertim in ore ipſius humor colligitur, protinus caput dolore infeſtat: improbis ſcilicet uaporibus ſurſum eleuatis, ut aliquibus niſi cibatione præuenerint, ſimilia quædā ſuffuſionibus ob tales euaporationes contingant, ideo ieiunia moleſte ferunt. eorum enim humorum prauitas ob cibi abſtinentiam inualeſcit. his igitur ita affectis medentes nihil quidem capiti applicabimus, ſed è uentre quamocyſſime noxios humores educemus, ac tepida propinata pennarū immiſſione uomitum prouocabimus. inde paruo interiecto ſpacio ſi tempus permittet lauabimus, poſtea cibū boni ſucci & ſtomacho congruū offeremus. at ſi tempus nō permiſerit, ante balneū tātum cibi exhibebimus, ut poſtea tutò lauari queāt. ueſpere uero parce cœnabūt, ac poſtridie in aurora abſinthiū potabūt, eodemq́ uictu utent̄. deinceps ſingulis diebus circa horā tertiā aut quartā modicū panis cum oliuis albis aut paſſulis, aut quopiā tali præbebimus, experimēto inueniētes qd' magis cōferat. aliud enim alij ob naturæ proprietatē magis cōferre ſolet. inde duabus horis interiectis ad balneū ducemus. prauorū aūt humorum affectio peſſima eſt, ubi in uentriculi tunicis imbibunt̄ impingūturq́, ut uix elui poſſint, nauſeam turbulentiasq́ inferentes: quibus optime

confert

confert amarum medicamentum ex aloe,quod habet aloes drach. centum,& reli quorum quidem drach.vi.croci uero drach.iiij.uel pauciores quoq;: crocus enim capiti infeſtus eſt.dato ex eo drach.i.cum duobus aquæ cyathis. ac cibi capitis do lorem inferentes,ab omnibus quidem,ſed ab his præcipue ſunt euitandi.

Quæ dolorem capitis faciant. Cap.XLVI

QVæ ergo caueri oportet,non tantum in doloribus capitis qui conſenſu ſto/ machi fiunt,ſed in omnibus penitus morbis qui circa caput conſiſtunt:ſunt uiticis ſemen,abſyntij ſuccus,lac epotum,glandes querceæ comeſtæ,oliuæ nigræ, arbuti fructus,eruum quod & articulos ſoluit.plurimũ uero lędunt myrrha,thus, hederæ corymbi. at omnem penitus rationem perturbant, lentiſci bacca , crocus, peucedanum,cyclaminus arida è uino pota.ſtyrax parce ſumptus mœſtitiam pel lit,copioſius ſomnos turbulentos facit.

De capitis dolore ob percuſſionem. Cap.XLVII

SI uulnus cum percuſſione fuerit,glutinatorijs & inflammationem ſedantibus medicamentis utemur,ſutura prius ulceris labia connectentes: ſi uero uſq; ad os percuſſio peruenerit,pericranium,i.membranã os contegentem cum cognata ſibi carne incidentes,curationem aggrediemur:non raro tamen conting t in caſi/ bus ex alto infringi quidpiam eorum quæ cerebro attinent,aut ipſas membranas, quãdo etiam acrius exitialiusq; periculum imminet.pręſtantiſſimũ igitur his eſt, niſi uel ętas,uel animalis facultatis imbecillitas obſtet,curationis principiũ à ſan/ guinis miſſione auſpicari,quę ſi alicuius impedimenti ratione prohibeatẽ,clyſteri bus aluũ ducemus,tum reuulſionis tum euacuationis gratia, deinde pręſidijs ute mur quę ad inflãmationem deſcribunẽ.optime,inquit Archigenes,membranam uulneratã glutinat calamẽthi ſuccus infuſus, & miliacea farina arida appoſita,de inceps butyrũ & roſaceũ, & ſuillus adeps ſine ſale antiquus, ꝗ tepefactus injcitẽ.

De cephalæa ex Galeno. Cap.XLVIII

QVæ cephalæa appellaẽ,capitis dolor diuturnus ac ſanatu difficilis eſt,à par uis occaſionibus exacerbationes maximas inferens,ut neq; ſtrepitus, neq; uehementior uox,neq; ſplendida lux,neq; motiones tolerari poſſint, ſed ob dolo ris magnitudinem in ocio ac tenebris degendum decumbendumq; ſit:ac nõnullis uidetur tanquam à pila percuti, nonnulli fractionem quandã extenſionemq; per/ cipiunt, nec paucis uſq; ad oculorum radices dolor progreditur . atq; hic affectus iuges interdum dolores affert,interdũ acceſſiones habet & interualla, quæ quan/ doque certis ordinibus quandoq; incertis adueniunt:ſæpe enim in eo ſicut in co/ mitiali morbo acceſſiones quieſcũt,mediumq; tempus intercidit exacte inculpa/ bile.illud ſciendum habere cephalęam cum reliquis capitis doloribus cõmune,ut caput ad paſſionem facile recipiendã paratum inuadat . priuatim uero cephalæa in capitibus magis imbecillis uerſatur. ac dolor quidem interiores quandoq; cere bri membranas,quãdoq; panniculum caluariã exterius tegentem occupat,ſed do lores aggrauãtes multitudinem indicãt,erodentes uaporum uel humorũ acrimo/ niam,pulſantes inflammationẽ:extendentes ſi pulſu eareant,ſpiritus tenuis ac fla tuoſi copiã,ſi cum pulſu fuerint in membranoſo corpore inflammationem decla/ rant: ſin extenſio cum grauitate iungatur,humorum copiã intra membranas con tineri iudicabis.ac ſuperficiarij quidem dolores pãniculi os cõtegentis affectũ de/ clarãt,pfundiores uero ipſas cerebri mẽbranas male habere : nã ꝗbus intra caluã morbus cõſtiterit,ijs uſq; ad oculorũ radices dolor ptendit,quonia oculorũ tuni/ cæ a membranis exoriunt.ſi ergo humorũ aut uaporũ multitudinem cauſam eſſe dignoueris,ac totius corporis plenitudo ſit, totum euacuando cephalæã curabis. at ſi caput tanq; imbecillũ excipit ea quæ eleuantur, materia ad reliquas corporis partes

partes retrahenda eſt: retractio uero clyſteribus,extremorum ligamẽtis,pluribus inferiorũ membrorum frictionibus,interdũ & ſanguinis euacuatione fiet: ipſum uero caput poſt retrahentiũ uſum cum repellentibus irrigationibus curabis.poſt totius uero corporis inanitionem iam tutò accedes ad ea quæ caput euacuant, deinde ad ea quæ firmant:repellit igitur oleum omphacinum & roſaceum,ſeorſum & cum aceto illitum,& confectio diacodion,& oleum tenerarum frondium olearum,& quod è corymbis hederæ & uiridi mentha conficitur.adhibeto autẽ remedia tepida quidem, ſi frigidior crudiorq́ fuerit multitudo. frigida uero ſi calidior bilioſiorq́ ſit.diſcutit dulciſſimum oleum calefactum, ac præſertim antiquum & ſicyoniũ.quod ſi multitudo è craſſioribus ſit humoribus,in oleo elixabis ſpondylium,aut ſerpillum,aut puleij aut calamenthi,aut menthæ comam,quæ præterq́ quod materiam diſcutiunt, etiam membrum firmant, propterea illis uſq; ad exactam curam utendum conſulo.præ cæteris uero cunctis mirum in modum diſcutit & firmat uerbenaca recta præcipue uirens, deinceps & arida cum radicibus, unà cum ſerpillo in oleo decocta, cum quibus radix quoq; conijcienda eſt crocodiliadis herbæ,præcipue quæ prope aquas naſcitur.ac ſi uerbenacam ſolam ſeorſum in oleo decoques, & caput madefeceris,omnem diuturnum capitis dolorem ſanabis, qui à frigiditate craſſis'ue humoribus fiat. maxime etiam conferunt uermes quos oniſcos appellant,ſub hydrijs degentes, ſi in oleo decoquantur.

De hemicrania ex Galeno. Cap. XLIX

Dolorifica affectio quam hemicraniam uocant,circa mediam capitis partem contingit,plerunq; per circuitus exacerbari ſolita uaporum uel humorũ defluxu,qui uel copia uel caliditate uel frigiditate infeſtent,ac quibuſdam extra caluariam quibuſdam in profundo capitis, alijs circa temporum muſculos acutiſſimus dolor percipitur. quorum omnium notæ ex his quæ in cephalea diximus dignoſcentur.primo igitur purgãdi ſunt,aut ſanguis mittendus, deinde ante acceſſionis tempus præſidijs localibus utendum, ſindone ac digitis dimidiam frontis partem fricando,ſed circa temporum muſculos præcipue calor excitetũ. tranſacta acceſſione medicamentis quæ hemicranica appellãtur, utemur:frigidiuſculis quidem ad dolorem à multa caliditate generatum: calidioribus uero nulla caloris nota apparente, utriſque tamen miſceatur aliquid quod adſtringendi uires habeat. optimum linimẽtum calefactorium eſt,quod habet euphorbij unc.i.ceræ unc.iij. olei dulciſſimi lib.i.hoc dimidiæ frontis parti & muſculis temporis ad frigidos affectus utiliſſime illinitur,ac plerunq; ſemel tantum illitum ante balneum liberat à dolore.nec parum ad eoſdem cõfert tepidum oleum in aurem infuſum, quod modicum euphorbij commixtum habeat, ut in olei libra ſatis ſint euphorbij drach. iiij.quadam uero naturæ proprietate euphorbium aceto dilutum,ac latere dextro dolente ſiniſtro applicatũ, & contrà ſiniſtro dolente dextro illitum, hemicranicis maxime cõfert.idem poſſunt lumbrici terræ triti,& cochlearum carnes lateri affecto illitæ.medicamenta quoq; ad capitis dolorem communia,quę paulo infrà memorabimus adhibenda ſunt.

Communis curatio cephaleæ & hemicraneæ ex Archigene. Cap. L

Diuturna ac ſanatu difficili cephalea uel hemicrania affligẽte à ſanguinis miſſione uel purgatione auſpicari oportet,aluo prius per clyſterẽ inanita. conſtat aũt à ſanguineis quidem ſanguinẽ mittendũ:eos uero qui prauis humoribus redundant,euacuandos,deinde congruis irrigationibus utendũ,& à naribus ſanguis auferendus.mox ad apophlegmatiſmos & ad ea q̃ per nares purgãt accedendum,tum abraſo capite illinenda ſcãmonea cũ peucedano & aloe, epithemaq; applicandũ quod ex amaris amygdalis thureq; & myrrha cõficitur. congruunt etiã

emplaſtra

emplaſtra,& quod ex agarico,& quod ex ſcylla,quodq́ꝫ ex agreſti cucumere præ
paratur,nigrum appellatũ:nam & locis puſtulas inſerunt, & materiam à profun-
do ad ſuperficiem euocant.nec parum facit malagma è baccis lauri.nos uero lini-
mento ex cantharidibus utimur,ac mirum in modum prodeſt,ſanie ab ulcuſculis
medicamẽto illatis diutius emanante.oportet tamen interea lactis potione & con
gruis irrigationibus ueſicã munire:adhibito enim ex cãtharidibus linimento,pro
prietate quadã ueſica facile iniuria afficit̃. perſeuerãte affectu arteriæ circa aures
ſunt incidendæ,præcipue quæ temporibus adiacent:quoſdã ad cephalæã inuſtio
ne profunda uſos cõperimus,tantum obſeruãtes, ne aliquis muſculus ſub caute-
rium incideret.infigunt̃ cauteria nuclei formã habentia,ubi magis dolor infeſtat,
dimittunturq́ꝫ donec os inurat̃,& ſquãmulæ abſcedant.barbari aũt circa anterio-
rem capitis partem ſupra frontem à ſiniſtra aure uſqꝫ ad dextrã lunarẽ ſectionem
faciunt,pericranion membranam incidendo, & os abradendo,atqꝫ ita caput tuta-
ri aiunt:neqꝫ huiuſcemodi chirurgia tanqꝫ immitis prętermittet̃ ab his qui morbi
difficultatẽ perpenderint,quam cognoſcentes,ea remedia neceſſitate maiora non
iudicabunt. elleborus quoqꝫ nihil peius cauterio prodeſt, imò fortaſſe melius. ac
primo æger uomitu præparãdus eſt,qui à raphanis excitat̃,deinde dandus ellebo
rus.ego uero & his & epilepticis ellebori albi triti & in minutiſſimũ puluerem re-
dacti exhibeo drach. i.quemadmodũ prius in libro de purgantibus medicinis prę
diximus:purgat em̃ efficaciſſime,ac plurima ducit excremẽta.inde quibuſdã die-
bus interpoſitis præbeo ſurculorũ drach.ij.qui uehemẽtius perturbãt,ubi purga-
re inceperint, idemq́ꝫ tertio repeto:ubi em̃ morbus iam in loco ſedem firmauerit,
atqꝫ ut ita dixerim,oſſib. ſit affixus, nullus inuenieť modus hoc efficacior.poſtca
refectis uiribus hiera noſtra inferius purgabimus, dem ſæpius per certa interual-
la repetẽdo, ut aſſueſcat materia eo itinere deriuari. euitari aũt oportet frigus, æ-
ſtum ac laſſitudinẽ totius quidẽ corporis,ſed præcipue capitis,q̃ uel uidendo,uel
audiendo,uel odorãdo,uel guſtãdo fieri poſſit.tactus tamen magis eauendus eſt.
abſtinendũ quoqꝫ ab acrioribus cibis,ſicut cepis,allijs,& ſimilibus: & à flatuoſis,
& ab his q̃ difficulter digerunt̃,ſicuti caſeus,lac,fungi,tubera,bulbi,rapæ.eligen-
da quæ bonã faciunt aluũ,& quæ facile cõcoquunt̃,tenera,ſine pinguedine,nido
re carentia,ſtomacho cõgrua,urinã mouentia.mel,acria ac dulcia cuncta fugien-
da.uinũ ſit album,tenue,neqꝫ ualde antiquũ,neqꝫ odoratum quantitate modera-
tum,temperatũ. herbam aũt ſtœchadem in aqua aut mulſa elixatã cephalalgicis
& hemicranicis,tanqꝫ unicũ maximumq́ꝫ præſidiũ exhibeto. Aliud ad omnem
capitis dolorem. Os cerui uſtũ ac cum roſaceo tritũ loco dolenti illinito,aut ocy
mum tritum applicato,aut mentã cum aceto tritam bis ſingulis diebus apponito,
aut rumicẽ agreſtem ſimul cum gallis terens illine circa tempora & frontẽ,& do-
lor ſtatim deſinet. Aliud ad idem. Hirundinum ſtercus priuſquam terram
attigerit,ſimul cum luto nidi in uaſculo ligneo aceto madefactum illinito.item ca
prarum pilulas illitas alligato, idem mane & ueſpere repetendo, & ſanabis: uel
naſturtium cum aceto & roſaceo ad cerati conſiſtentiam tritum, uel terræ lum-
bricos aut cochlearum carnes,uel fimi bubuli & thuris portiones æquas cum ace
to tritas applicato:quidam è pręceptoribus noſtris,Galenus ait,hoc utebantur ad
hemicranias:piperis drach.ij.crocomagmatis tãtundem,euphorbij recentis drac.
s.antiqui uero drachm. i. fimi columbarum agreſtium drach.v.atramenti librarij
drach.v.cum aceto acerrimo terito,ac temporũ muſculos & in parte affecta fron-
tis medietatẽ illinito. Crocomagmatis cõfectio. Crocomagma qd' temporib.
ad capitis dolores illinit̃,& quod alijs quoqꝫ medicamẽtis miſcet̃,ita conficit̃:cro
ci drach. centum,myrrhæ troglodyticæ drach.quinquaginta,roſarum aridarum,
gummi

gummi ſing.drach.quinquaginta cũ uino terito & utere. Aliud. Aliud medicamentum non tantum hemicranicis,ſed etiam omni diuturno capitis dolori conferens: in ſimplicibus quidem doloribus toti fronti intermediæ, ab altero ad alterum tempus illitũ.in hemicranicis uero dimidiæ ſolum parti quę affecta eſt,Croci drach.xv.atramenti ſutorij x.aluminis ſciſſilis drach.iij.myrrhæ,opij,omphacij aridi,chalcitidis crudæ ſing.drach. iij.gummi drach. xv.cum uino falerno ad formam collyrij ſubigito, & paſtillos conficito, atque uſus tempore aceto aut poſca diluito. Aliud ijſdem affectibus conferens. Scammoniæ drach. vij. croci drach.ij. corymborum hederæ drach.vij.ſulphuris uiui drach. iiij. aniſi,ſeminum apij.ſing.drach.viij.tere exquiſitiſſime cum ſucco ocymi,& paſtillos cõfice.quos ſi lethargo medebetis, plurimo roſaceo dilues, & caput irrigabis. ad capitis uero dolores cum aceto diſſolues. Aliud non tantum prædictis conueniens, ſed etiam uertiginoſis. Radicis peucedani drach.iiij.iridis illyricæ drach.ij.æruginis,acori ſing.drach.i.piperis nigri drach.ij.s.ſerpilli drach.iiij.s.myrrhę drach. ij.caſtorij drach.ij.s.baccarum lauri numero xxv. rutæ uiridis drach.viij.menthę uiridis drach.iiij.opij drach.i.cum uino aſſumito, ac paſtillos conficito.uſus tempore aceto aut oxyrhodino dilue ac utere.idem in roſaceum quoque ceratum ſumitur,ac malagmatis uice fronti applicaſ. Paſtillus hemicranicis & iſchiadicis cõgruens. Thapſiæ drach.iij.euphorbij drach.iiij. ſucci medici drach. iij.myrrhæ opopanacis ſing. drach. i. contunde ſimul,& cum uino diluta confice & utere cum aceto. Alius. Radicis peucedani drach. iiij. croci, myrrhæ, opij,ſing.drach.i.cum aceto in paſtillos conficito,quos in acceſſionibus aceto dilutos illines, ſtatim enim dolores ſedant. Alius ad capitis dolores & hemicranias,multis experimentis probatus. Succi abſinthij,ſucci hederę,fimi caprarum, cochlearum cum ſuis domicilijs uſtarum, chartæ crematæ, baccarum lauri, bulborum,thuris,euphorbij,atramenti ſcriptorum,crocomagmatis,gallarum foliorum raphani,uitellorum oui, ſucci maluæ ſing. portiones æquas,cum aceto in paſtillos confice & utere ex aceto.

Epithemata ad capitis dolores ex Aſclepiade. Cap.LI

SEminum uiticis,radicum peucedani,menthæ uiridis, frondium rutæ,baccarũ lauri, ſerpilli,ſpondylij,caſtorij,ſing.unc. i. roſarum ſiccarum unc.ij. aceto dilue,& in roſaceum ceratum aſſumito: deinde ſuper linteolo extenſum deraſis capillis toti capiti applicato, ac uittulis alligatum uſq; in poſterã diem ſeruato. tum rurſus diſſoluito, & nouum apponito. Aliud malagma ad omnem capitis dolorem. Acruginis æris uſti,ſtomomatis ferri ſing.drach. ij.cimoliæ,chalcitidis crudæ ſing.drach. iiij. pumicis crudi drach. iiij. terebinthinæ unc.i ceræ drac. xxxvij.olei antiqui unc. v. aridis minutiſsime tritis liquabilia admiſceto, confice & utere,ut dictum eſt: nam & fronti & temporibus illitum confert. nigra etiam Archigenis mirum in modum prodeſt,ſuper corio extenſa,& affecto lateri appoſita, confeſtim enim dolores ſedat. inuenies hanc inter præſidia ad orthopnoicos libro octauo, capite ſexageſimotertio.

Quæ per nares caput purgant. Cap.LII

POſcente uero neceſſitate,ut etiam per nares caput purgemus,toto prius corpore exinanito,anagallidis aut cyclamini ſuccum inijcimus,aut ipſam cyclamini radicem arefactam tritamq; inſufflamus, aut elaterium cum lacte infundimus.nos uero medicamento facile parabili uti conſueuimus. nigellã in acri aceto per unũ antea diem præmadefacimus: poſtea tritã cũ aceto in nares infundimus: quod etiam conuenit ad obſtructionem meatuum per quos mucus deſcendit. Item hederæ aut calamenthi ſuccum in nares infundito, & muci copia educetur.

Aliud. Nucleum ſpicilli in aqua intingito,& cum eo atramenti ſutorij puluerem minutiſſimum aſſumito,& intimas narium partes illinito.copioſe pur nt,& ſtatum dolorem ſedat.potes & idem atramentū in lacte dilutum infundere,& optime euacuabis,præſertim arquatos. Aliud. Nigellæ drach.viij.aphronitri triti drach.i.ſalis ammoniaci tantundem,oleo antiquo, aut irino,aut liguſtrino diluito,& linamenta ſpicillo implicata in medicamento intingito,& aſſidue naribus illinito,& effluet quicquid caput infeſtat. habeat uero medicamentum liquidi cerati conſiſtentiam & in cornea pyxide reponatur. nonnunquam pro aphronitro elaterium impono,& cōfert ijs qui diuturnis lippitudinibus affligunt̃,& epilepticis, plurimam enim humoris copiam educit. Aliud ſine moleſtia purgans & confeſtim à dolore patientem liberans. Cyclamini aridi drach.viij.iridis aridæ drach. ii.nitri rubei drach. i. ſed ego pro nitro elaterium accipio, terito exquiſitiſſime & per cannulam inſufflato, admonendo ægrum, ut ſurſum attrahat : inde iubeto ut deorſum inclinetur,quo humor collectus aptius effluat.ſternutamentis etiam caput excutiendum eſt,de quibus infra dicemus loco de narium affectibus.

Apophlegmatiſmi caput purgantes. Cap. LIII

NItri unc.vii.uuæ taminiæ unc.iii.foliorum lauri uiridium unc.iiii. paſſularū pinguium exemptis acinis quantū ad confectionem ſuffecerit. dato ex hoc mandendum ſingulis uicibus circa drach.iii.& iube ut expuat. Aliud manducatorium caput expurgans. Piperis,pyrethri,hyſſopi,uuæ taminiæ portiones æquas cum paſſularū carne aſſumito mandendumq; exhibeto,poſtea ſale & melle recurabis. Aliud optimum. Aliud quod caput purgat neq; ſinit dolorem ingruere, neq; oculos caligare,auribus etiā prodeſt,& dentibus, & qui eo per aliquod tempus uſus fuerit nulli harum ægritudinū ſubijcietur, Sampſuchi aridi,iridis illyricæ,pyrethri,hyſſopi,nitri,piperis,ſeminis apij, radicis panaceæ,uuæ taminiæ,ſing.drach. iiii. cuius uires ſi intendere uolueris addito & myrrhæ drach. iiii. ſingula primo ſeorſum,deinde ſimul terito,& cum aqua paſtillos conficito, modico mellis adiecto.uſus tempore melle & aqua diluito,& gargariſſa, aut oleo liguſtrino uel antiquo permixto in nares inijcito.

Smegmata & puluiſculi caput denſantes, Cap. LIIII.

NItri uernicarij uncias ſex,baccarum lauri,ſinapi,ſampſuchi ſingulorum uncias duas,cyperi,fecis uini combuſtæ ſingulorum unciam unam.hoc ſmegmate detergantur in balneo nullo prius unguine adhibito: præ oculis uero linteolum multiplex,aut ſpongiam detineto. Aliud. Nitri lib. unam, baccarū lauri libras duas,ſinapi,uuæ taminiæ, ſing.lib. unam,cucumeris agreſtis, uncias ſex. utere ut dictum eſt ad diuturnos affectus. Smegma capitis ad diſtillationes,& hydrocephalos expertum. Nitri aſſati ac uino extincti,uncias ſex,ariſtolochiæ, helenij ſingulorum unciam unam,oxymelitis quod ſufficit,terito,cribrato,& oxymelite irrigato, & abraſo ſincipite illinito ante balneum, ſinitoq; paululum, deinde abſtergito. Smegma ad omnem capitis dolorem & oculorum defluxum expertum. Helenij,myrrhæ,calami aromatici,farinæ lupinorū,eruorum, ſulphuris uiui, aphronitri portiones æquas cum ptiſanæ cremore aſſumito, ac paſtillos conficito, & uſus tempore cum ptiſanæ cremore diluito.oportet in balneo ſmegma ſincipiti applicari,capillis hinc inde diſtractis ut medicamentum corpori adhęreat,iubendo ut os claudatur,ac per nares calidus aër attrahatur,ut ocyus adiacēs materia tranſmittatur. Sapo Conſtantini. Sapo Conſtantini defluxuum exiccatorius. Balauſtiorū uncias duas,myrrhæ,ſandarachæ, ſpicæ nardi ſingulorum uncias duas,coſti,aloes.gallarum, thuris,malicorij,foliorum roſarum, ſarcocollæ,ſingulorū uncias tres,ſaponis gallici lib. unam,lupinorū amarorum decocti

ſextarium unum,arida terito & cribrato, deinde cum liquidis ſubigito,& admixto ſapone,paſtillos conſice, & uſus tempore quod ſat erit cum uino dilutum ſincipiti prius deraſo ante balneum illinito, ac paulo poſtea detergito & abluito.

Sapo Andreæ comitis ualde probatus. Floris odorati iunci, caſiæ, cyperi, amomi,folij, coſti,ſingulorum unciam unam,gallarum unc. S . nardi celticæ, aluminis ſciſſilis,iridis,fecis uini antiqui combuſtę,gypſi combuſti,nitri,ſingulorum uncias duodecim,roſarum ſiccarum,uncias octo,ſalis tantundē, teſtarum purpurarum uſtarum unc.iij.ſaponis gallici,lib.i.terito cum decoctione lupinorum,conſice & utere. Xeromyrum ad capitis diſtillationes nulli ſecundum. Iridis,helenij,floris iunci odorati ſing.lib.unam,roſarum ſiccarum uncias tres, amomi,coſti,folij,gallarum,ſingu.uncias duas,conſice & utere. Aliud optimum. Iridis uncias tres,gallarum unciam unam,caſiæ,coſti,folij,ſpicæ nardi,balauſtiorum,roſarum ſiccarum,carpobalſami ſing. uncias duas,myrrhæ, drachmas quatuor terito & cribrato, & ubi prius uino auſtero caput irrigaueris, puluiſculum ſtatim inſpergito,quod quidem longe efficacius paulo ante balneum. Theoſebij puluiſculus ad caput exiccandum. Gallarum,balauſtiorum,ſingu.uncias quatuor, cyperi uncias duas.ſpicæ nardi,folij,nardi celticæ,iridis ſingu.unciæ.S . terito cribrato & applica. Aliud optimum etiam ad alias partes. Iridis unc.iii.gallarum,cyperi ſingu. unc.ii. aluminis ſciſſilis unc.i.utere ut dictum eſt. Puluis ad humidū caput,cuius ratione oculi quoq; diſtillant. Radicis pæoniæ unc.i.aluminis ſciſſilis unc.i. baccarum lauri drach. iiii. cyperi unc.ii. nardi celticæ unc. vi. terito cribrato & applica.hunc nos ſæpiſſime experti ſumus. Alius caput firmans,& diſtillantibus oculis conferens. Florum mali punici,gallarum ſingu. unc.ii.cyperi,iridis, helenij ſing.unc.iij.armala quod beſaſa,uel rutam agreſtem uocant unc.ii. carpobalſami unc. i. floris iunci odorati unc. ii. ariſtolochiæ, roſarum aridarum, baccarum myrti, nardi celticæ ſingu. unc. ii. xylobalſami unc. ii. amomi,malicorij,uuæ taminiæ ſing.unc.i.terito cribrato & utere. Aliud ſmegma omnium diſtillationū deſiccatorium & præſertim acrium multis experimentis comprobatum. Canchryos unc.iii.ladani,gallarum ſing.unc.ii.floris odorati iunci,ſeminum roſarum aridorum ſing.unc.S .aluminis liquidi unc.ii.ſpicæ nardi unc.i.ſinapis,iridis,acacię,piperis,uuæ taminiæ,ſing.unc.ii.coſti,folij,pyrethri ſin.unc.i.calami aromatici unc.S . nitri rubei,lib.ii.nitrū urito,& oxymelite extinguito,deinde ſingula tere conſice & ſincipiti applica,& paulo poſtea abſterge.

De alopecia. Cap. LV

QVemadmodum quædam plantæ humoris proprij penuria tabeſcunt,quædam alieno ſuffocantur, ita & capilli ſuccorum paucitate corrumpi ſolent: ac humidi quidem paucitate caluities,prauitate uero alopeciæ & ophiaſes generantur,ægritudines nihil ſpecie,ſed figura tantum ac nomine differentes.ophiaſis enim in parte quam obſidet capitis, formam ſerpentis deſcribit: alopeciæ autem ſic appellantur,ꝙ id morbi genus in uulpibus frequentiſſimum eſſe tradatur.cum ambæ ergo à deprauatorum humorum ſubſtantia producantur,ſingulorum natura à totius cutis colore noſcenda eſt. candida enim pituitam, atra melancholiam, pallida bilim ſignificat.quicunque horum humorum redundauerit, primo pilulis ex aloe,& colocynthide, aut hiera colocynthidis Galeni purgandus eſt. ac ſi melancholicus ſuccus abundauerit,addendus elleborus.ſi bilis,ſcammonia.ſi pituita ſola ipſa hiera priuatim ſufficiet.poſt totius corporis euacuationem,ſatius erit prius per os pituitam ducere, deinde ad localia medicamenta accedere, quæ diſcutiendi, attenuandiq; uires habeant, poſtea prauis humoribus diſcuſſis, laudabilis ſanguis ad ſuperficiem cum thapſia euocandus eſt, prius tamen caput abrades

pannoq;

pannoq; aſpero perfricabis, deinde locum notabis nunquid poſt breuem frictionem ſtatim rubere incipiat, ita enim morbũ ſanatu facilem iudicabis. quod ſi uix poſt longam frictionem rubeſcat,difficilem curam ominaberis. tum thapſiam recentem exquiſite contritam primoq; humore ad nimium eius acumen retundendum conſperſam illinito,obſeruando diligenter, ne effreni feruore plus æquo rubeſcat cutis,quod colore ad ruffum tendente indicabitur. facile enim ſi neglexeris aduret. quod ubi uereberis, uel ad mitiora uerteris, uel ſi thapſiam malueris,uim illius cerato aut adipe admixto magis contemperabis. atq; omnino cauendũ quidem eſt,ne alopecia ulceretur, ſed ſi contigerit, inunge adipe anſerino, uel aliquo eorũ qui tenuis ſubſtantiæ ſunt inungi oportebit, ſuntq; huiuſmodi præſidia ſub calido aëre flatu carente in ſole applicanda.quod ſi hyems fuerit neceſſe erit in balneo applicari. è medicamentis uero ad hos affectus idoneis, calidiſſimum eſt euphorbium,deinde thapſia,ſinapi,& naſturcium, licet diuerſo itinere nihilo his imbecillior adarce ſit,deinde uernicarium ſulphur,& aphronitrum, & uterq; elleborus,& erucæ ſemen, oleumq; laurinum, & utrunq; halcyonium uſtum, radicesq; uallaris arundinis, & cortex combuſtus: item pix,cedria, murum ſtercus,anſerinus adeps,ſed magis urſi,& hyenæ,amaraq; amigdala,tota ſimul combuſta;& uiperæ corium cum capite crematum: item herinacei terreſtris cutis, & c-put, pari modo cremata, quorum potentioribus liquidum ceratum admiſceri oportet, imbecillioribus oleum laurinum,aut liquidam picem,ſicut diuturnis,& curatu difficilibus potentiora,nouis autem & ſanatu facillimis debiliora applicanda ſunt.

Critonis ad alopecias. Pilorum urſi crematorum,radicum arundinis,foliorum ficus, panni cilicij ſingulorum uſtorum portiones æquas in cedria, & adipe urſino aſſumito,& uſus tempore folijs ficus, aut nitro locum exterens perfricato, deinde medicamentum ſingulis diebus illinito. Archigenis ad alopecias.

Verbenacam rectam ex aceto tritam cuti prius nitro irritata,ſub ſole illinito, linteolumq; rarum apponito,quod ubi ablaturus ſis, locum præmadefacies.

Aliud. Halcyonium aſperius urito ad lucernam,extinguitoq; opobalſamo minime adulterato, cumq; eodem diluito & inungito: ferè enim ſemper perſiſtit, neq; abſcedit,donec capilli enaſcantur. Aliud: ſquammam ſtomomatis ferri diligenter ex aceto terito ſub ſole,& modico oleo adiecto illinito. Aliud. Equinos dentes cremato,& ex aceto utitor. ad diuturnas uero alopecias thapſiæ ſuccus cerato aſſumptus præſentaneum remedium eſt,quem loco appones neq; ultra laborabis: abſcedit enim extima ſuperficies,& expurgata ſanie, capilli ſponte enaſcuntur. Aliud ad alopecias & caluitiem & uitiligines diuturnas. Buccinas uſtas ex oleo antiquo terito ad glutinis conſiſtentiam, & capiti prius deraſo & fricato illinito,eſt enim probatum. Aliud Aſclepiadis. Aphronitri partes duas, ſalis ammoniaci partem unam urito & ex acerrimo aceto ad glutinis conſiſtentiam ſubigito, tum alopecia prius ad commodum pilorum ortum leuiter deraſa perfricato loco medicamentum illinito, ita enim profundius penetrabit. quod bis in die repetendum eſt. Aliud. Marrubium uiride tritum illine. Aliud. Perdicio herba trita cum folijs aſſidue locũ perfricato,uel ſpheriti dis folia torrefacta,& ex aceto trita illine, uel herinaceorum marinorum teſtas crematas cum melle applicato, uel ſumito halcyonij drach. ii. ſulphuris uiui drach. i. muſcarum torrefactarum ut exiccentur cyathos duos. muſcas terito ſeparatim, halcyoniũ uero contuſum in aqua decoquito, deinde ſuillum fel, & acetum paulatim inſtillando arida ſimul ad glutinis conſiſtentiam ſubigito, inde axungiam à rotis plauſtrorũ deradito, ac manibus remollitam, ut emplaſtica fiat admiſceto,poſtea deraſo prius capite ac perfricato ſpe optima illinito. Aliud Sorani quo etiam Archigenes

utebatur, ac uehementer commendabat. Deraſam prius alopeciam perfricato, deinde cepa minutim conciſa & cum rhaphani ſucco adiecto melle ſubacta cutim irritabis, poſtea hoc medicamentum illines: ſeminis naſturtij, ſtercoris murum, piperis, ellebori albi portiones æquas, cum aceto ſubigito, ualde enim commendatur. Aliud Archigenis. Rhu obſoniorum drach. iiii. ſinapi drach. ii. ſubige cũ aceto, uel cantharidas crematas cum melle tritas loco prius fricato illine, uel calciamenti noui laneam partem uſtam in æneo lebete cum oleo antiquo aut melle, aut aceto, ſubactã apponito, ocyſſime enim capillos educit. uel cyclamini radicem uiridem tritam aut aridam combuſtam cum aceto tritam, uel allia cremata cum roſaceo uel betæ radicem illinito, uel aſini ungularũ uſtarum, radicis aſphodeli uſtæ, halcyonij, nitri portiones æquas cum oleo antiquo aſſumito, & utere. uel herinaceorum marinorum uſtorum cum teſtis ſuis, gallarum immaturarum, amigdalorum cum putaminibus uſtorum ſin. drach. ii. ſtercoris murum drach. i. dilue cum aceto, & loco prius fricato, illine, uel halcyonij, cornu ceruini, ciperi integri, ſingulorum uſtorum partes æquales utere ex aceto, uel abrotonum uſtum cum oleo antiquiſſimo applicato. Aliud ad alopecias, & caluitiũ pilorumq; raritatem curatu difficilem tam in capite, quàm in barba & ſupercilijs. Pilorum ouis unc. i. radicis arundinis unc. vi. filicis cum radice unc. iii. reliquiarum barbæ tantundem, lanarum ſuccidarum pinguiſſimarum unc. vi. capita muſcarum xxx. muſcas abſq; capitibus quinq;, hæc omnia in ollam nouam coniecta furno decoquenda imponito, ac cinerẽ terito, priusq; tibi diluta ſint in uino amineo ladani unc. i. folij, myrrhæ ſin. unc. ii. adiectumq; ſit oleum cũ quibus arida cõmiſcebis, tũ alopecia prius linteo perfricata deinde leui ſcariſicatione, aut cepis aut ficulneę folijs irritata medicamentum cum frictione illines, poſtea ubi laueris panno aſperiori abſterges, idem tandiu repetendo quouſq; glabritiem ſuſtuleris. Oribaſij ad alopecias.

Stercoris muris unc. i. ſimi camelorum, hordei ſing. pugillum, lauri manipulũ, ſingula cremato, & cum ſorde ab axe plauſtri deraſa aſſumito & utere.

De fluentibus capillis. Cap. LVI

ALia capillorum affectio eſt tum cutis raritate, tum facultatis ipſos nutrientis debilitate contingens, propterea curatio eorum qui ita laborant cum alopeciis minime conuenit, in eis enim ſuccorum prauitatem delere, in his habitum capitis firmare & laudabilium humorũ copiam generare, & cutim ad temperamentum inter raritatem denſitatemq; reuocare, oportet. conſueuit frequentiſſime id morbi genus alias ægritudines conſequi, raroq; ſanos inuadit, ideo pleriq; abſque medicamentis uictu tantum corpus reficiente incolumes euaſerunt. ſint igitur horum præſidia temperatum cutis habitum ſine ulla frigiditate reddentia: nam quæ uehementer adſtringunt, omnino etiam refrigerant, & alimenti influxum repellunt, unde & magis defluunt. ergo moderate adſtringentia humectantibus medicamentis ſunt admiſcenda, ut ladanum, & lentiſcinum oleum, quæ ſuapte natura moderate calefaciunt, & adſtringunt, ut experimento compertũ ſit nihil præſtantius ad pilorum fluorem excogitari poſſe, quam ut ladanum cum lentiſcino oleo commiſceatur. & ſi lentiſcinum defuerit ſupplebit omphacinum, ex acerbis oliuis expreſſum. conſtat autem ſi caput quidem abraſum ſit, craſſius medicamentum illinendum. ſi uero ad cutim tantum detonſum, liquidius. quod ſi capilli perquam plurimi effluxerint, conijcito cutim quàm maxime rarefactã, ut iam pro lentiſcino myrtinum oleum ladano complicari expediat, imò & interdum nardinũ unguentum miſcebis, brumale tempus & ætatem frigidam nactus. efficax etiam medicamentum ad hæc eadem eſt, diuitum mulierum unguentum quod ſpicatũ & quod falca appellant, propterea his diuites etiam ſeorſum uti admonebis, utere, inquit,

Cleopatra

Cleopatra,ad capillos fluentes tali medicamento: cimoliam optimam in uino auſtero,& ſucco mororum,madefacito quantum imbibere poſſit,tum conijce ſeminis hyoſcyami minutiſſime triti quod ſufficit,omnibusꝗ ſimul complicatis paſtillos confice,quos in umbra exiccatos in fictile nouũ reponito. uſus tempore aqua dilui,& cum his fricari iubeto,quod cũ areſactum fuerit abluatur & diebus quinque interiectis idem repetatur.conuenit tamen calidioribus tantum capitibus.idẽ facit ad faciei colliꝗ impetigines. Aliud ad fluentes capillos. Verbenacam rectam uirentem cum radicibus in omphacinũ oleum conijcito, atꝗ ubi per plures dies inſolaueris oleum excolato,quo ſingulis diebus pro communi uteris.ꝙ ſi uirens herba defuerit aridam cum radicibus accipito, teritoꝗ ac cribrato, & oleo admiſceto donec craſſeſcat,atꝗ ubi ita per aliquot dies dimiſeris utere,nulli enim remedio cedit. Aliud ad fluentes capillos ex ægritudine. Chamæleontis nigri radices in uino decoquito ac capiti craſſius illinito:uel ſambucum uſtam liquidiſſimo cerato admixtam applicato, & capillos augebit, cutimꝗ denſabit, & defluxum arcebit.narciſſinum etiam unguentum illitum non ſinit capillos defluere: item ladanum,& roſas cum uino antiquo ſubigito,& illine,conſeruat enim & denigrat. Ad conſeruandos denigrandosꝗ capillos. Baccarum myrti nigrarum ſextarium unum, frondium myrti lib. i. ſeminis apij tantundem, capillorum ueneris,ladani ſing.ſemiſſem,uini nigri ſextaria ſex,decoque uſꝗ ad omnifariam diſſolutionem , deinde ubi tertia pars remanſerit conijce olei omphacini, aut alicuius unguenti ſextaria duo, ac rurſus decoquito : ubi uero bis aut ter efferbuerit,expreſſum & excolatum diligenter reponito.uſus tempore, eo prius perquam ualide agitato bis in die capillos inunges. pueris autẽ iuglandis putamen uſtum, cumꝗ uino ſubactum & illitum, uel loti arboris folia trita applicata, pulchros ac denſos capillos reddunt.

De glabris ſupercilijs. Cap. LVII

NE pili defluant tam à ſupercilijs quàm ab alia corporis parte, nigellã uſtam, & cum aqua tritam illines,ubi uolueris pilos enaſci præſertim in ſupercilijs: uel apes plurimas uſtas oleo commixtas apponito,obſeruando ne alium locum attingant,ubi nolueris pilos produci:item adamantem lapidem terito ex aqua,& applica,quod ſi uolueris pilos albos oriri,eundem aceto diluito. Ad denigrandos capillos. Quæ albos capillos tingunt,& nigreſaciunt ex auſteris adſtringentibusꝗ compoſita, non mediocriter lædunt: neꝗ enim in ſuperficie tantum, ſed in profundo quoꝗ,uſꝗ ad pilorum radices penetrando,cutim permutanr,ac mulieres quæ his utuntur morbus comitialis, apoplexia, improba ſoporũ genera carus inquam & cataphora , interdum & diſtillationes uix ſanabiles quas tabes conſequitur,occupare ſolent. nouiꝗ ego nonnullas capite huiuſmodi medicamentis refrigerato etiam emortuas,pręcipueꝗ his periculis exponunt,quæ frigidioris temperaturæ ſunt. quæ uero abſꝗ adſtringentiũ nocumento capillos denigrare uoluerint cedria inungantur, tribus aut quatuor horis ante balneum, deinde lotæ abſtergantur:neꝗ oportet cedriam oleo admiſceri ubi uehementer exiccandum calefaciendumꝗ caput ſit, in reliquis utiliter admiſcetur. cedria enim præter quod humiditates abſumit etiam denigrat & fluores compeſcit,& ipſos capillos qui nõ effluunt,robuſtiores reddit : idem facit & liquida pix cum oleo aſſumpta. Archigenes uero atramenta capillorum ita deſcripſit. corticem radicis capparis in lacte aſinino uſꝗ ad tertias decoquito, deinde tritum noctu illinito capillis prius deterſis:uel caprifici radicis corticem in aqua elixato,donec flacceſcat, atꝗ ipſum quidem illinito,poſtea eiuſdẽ decocto abſtergito. uel anemonæ filamenta nigra quæ intra calicem ſunt cũ oleo myrthino ſubigito, & utitor. uel ſalicis ſuccũ cum oleo

miſce, ſumme enim denigrat. Aliud efficaciſſimum atramentū. Sumito malum punicum uirens immaturum, cuius uerticem cui pediculus inhæret, diligenter excidito, ut quod excideris aptum deinde operculum fiat: tum excuſſis acinis, ac membranulis intra relictis, conijce in mali concauitatem ſeſami illoti drach. iiii. thuris tantundem, alternatim inijciendo modo thus, modo ſeſamum donec tota concauitas repleatur: mox cum proprio operculo luto, uel triticea farina aqua reſperſa circumlito, in clibano aſſato, poſtea remoto luto uel pane, malum conterito & in uitreum uas reponito, deinde capite prius recte abluto, & exiccato medicamentum olei portiuncula adiecta capillis illinito, & ita quinquies repetito: idē & criſpos faciet ſi pro ſeſamo & thure, nigellæ & gallarum tritarum ſing. drach. iiii. in punicum malum conijcies. Aliud atramentum. Aliud atramentum quod capillos tingit, & criſpos reddit, quos ante tincturam cymolia prius detergi oportet. pręſtat tamē deraſo prius capite medicamentum illinere, obſeruando ne frontem, aut uicinas partes attingat. eſt uero id à plurimis comprobatum, & plane neceſſarium. Sulphuris fullonici, atramenti ſutorij, gallarū, calcis uiuæ, ſpumę argenti ſing. unc. ii. æruginis ferri unc. i. primo ſingula ſeorſum, deinde omnia ſimul cū aqua ſubigito, ut fiat linimentū quo fidenter uteris, nihil calcem ueritus, cum à reliquis obtundatur. tingit id quoq; ligna, cornua, & lanas. Aliud efficax experimentū probatū, denigrat enim capillos ut admireris. Foliorū ficus nigrę, & mori nigrę & uitis pariter nigrę, ſingulorū lib. i. cuncta die ac nocte in pluuiali aqua madefacito, poſtea diligenter decoquito, & deraſis capillis illinito. quos ſi radere nolueris, eo liquidiore reddito radices pilorum madefacito. Aliud atramentum capillorum. Ladani, gallarum, amygdalorum amarorū decorticatorum, fecis uini, capillorū ueneris ſing. drac. vi. uini è uinaceis expreſſi, ſextaria tria, conijce omnia in uas æneum ſtamno illitū atq; ad tertias decoquito, deinde excolatū in alio uaſe paruiore rurſus decoquito ad mellis conſiſtentiam, & inijce unguenti mendeſij aut cuiuſpiam talis portiones æquas, atq; iſto ſingulis diebus utere. Præſeruatorium ne cani fiant. Colocynthida perforatam pulpa exquiſitiſſime exinanita, oleo laurino repleto, integrumq; hyoſcyami ſemen coniectum tota die cū ſua nocte ſinito madefieri, quod ſemel in anno utiliter illines. Barbæ atramentum. Recrementum ferri & plumbum in aceto uſq; ad tertias decoquito & illinito ab oleo penitus abſtinens.

Quæ fuluos capillos reddunt. Cap. LIX

LVpini crudi & nitrum cum aqua illitum, uel ramentorum loti arboris decoctum, uel cyperi folia cum ſtruthij ſeu herbæ lanariæ ſucco illito, uel fex uini antiqui uſta, & cum oleo balanino trita ad congruam cōſiſtentiam, hoc ſi ueſpere cum dormitum acceſſeris & mane cum ſurrexeris applicabis, fului capilli fient.

Vt capilli albi fiant. Cap. LX

HIrundinis ſimum cū taurino felle miſceto, & illinito, uel uerbaſci albi florem cremato, & aceto extinctum ſaponi admiſceto, & utere.

Vt capilli criſpi ac nigri fiant. Cap. LXI

SPuma ſalis cum myrrha pro ſapone utere, uel carpaſi ſuccū illinito, & criſpos nigroſq; cōſeruabis. uel aſpodeli radicem uſtam, & tritam uino admiſce. lapis quoq; qui alabandicus, ſeu alabandius uocatur, colore ſubnigricans cum fuluore & ſplendore, quo mulieres ad ornatum utuntur, cum uino nigro aut oleo omphacino ſubactus, & illitus capillorum ſuperficiem denigrat. Aliud ad criſpitudinē faciendam. Lini ſemen in uino madefactum paululū decoquito, & excolatum miſce cum oui albumine, ac ueſpere capillos fricato caputq; circumligato, deinde in balneo poſtridie abluito, quod frequentiſſime repetendum eſt, qui tamen frigi-

dioris

dioris temperaturæ fuerint in balneo illinendi ſunt, neq; ea die abluendi. Aliud probatum. Nucem pineam integram cõmodę magnitudinis unam, iridis ſcrupu.xii. foliorum & baccarum myrti ſing.unc.i. polytrichi unc.s. ladani unc.ii. gallarum, maſtichæ æthiopicæ ſing.unc.i. palmitum uitis unc.ii. lachrymæ palmarũ unc.xii. adipis urſini, ſeminis betæ ſing. ſcrupu.xii. rhu confectorum corij, aluminis ſciſſilis ſin. ſcrupu. vi. olei omphacini ſextaria tria, uini adſtringentis tantundem, ſucci artemiſiæ ſerapiadis quam triorchin uocant, polytrichi, aſphodeli, anagallidis ſucci, ſingulorum unc.iii. miſce, & applica ſingulis uicibus unc.i.

De his quæ pilos corrumpunt. Cap. LXII

TRes ſunt differentiæ pilos corrumpendi, quædam enim ſeparatim uocantur pſilothra, id eſt, depilatoria, quędam attenuatoria, quędã omnino abolitoria. quæ igitur penitus abolent uſum fallacem ac minime tutũ præſtant, illita enim interdum nõ tantũ corporis partẽ quã exquiſiueris in poſterũ penitus glabram reddunt, ſed etiam uſq; ad caput, & barbã, & ſupercilia, & palpebras glabrities tranſgreditur. attenuatoria uero & pſilothra ſine periculo adminiſtrantur.

Deſtructoria pilorum. Cap. LXIII

OMnino pilos deſtruere traduntur thunni iecur putrefactum, ranarum, quæ in arundinetis uerſantur ſanies, teſtudinis marinæ ſanguis, uitis lachryma, hedera, uitis alba, urtica, ſcolopendra marina, ſtellæ marinæ: quibus etiam miſcẽt nitrum, amurca, cedria, oleum amigdalinũ, halcioniũ, ſandaracha, & his ſimilia.

Aliud. Vrticæ agreſtis ſemen tritum & cũ oleo ualidiſſime illitum pilos deſtruit. ad pubem uero in pueris retardandã imò & iam ortam depellendam uitis lachryma cum oleo, & humor, ab eadem uiridi combuſta redditus efficaciter illinitur. Aliud. Succorum cichoreæ, tithimali, uini, olei ſing. cyathum unum mixta omnia illinito in balneo, & ubi modicum ſudauerit, perfrica locum, & in ſtrigili pilos inuenies, qui uero poſt quadraginta dies renaſcentur, lanuginis ſpeciem referent. Aliud. Aſellorum qui ſub hydrijs uerſantur drach. xii. ſandarachæ drach.iiii. calcis uiuæ drach.viii. lixiuij à ficulneorum cinere excolati heminas duas, aceti heminam unam, unito omnia & in ollam conie cta decoquito quouſq; experieris euelli pilos, deinde in balneo utere, ut dictum eſt. Aliud. Succorum bugloſſi & ſedi ſing. partes æquales terito cum fimo hircino & aſſumito in uitrea tabella, donec concreuerint. utere in balneo. Aliud. Bulbum hyacinthinum qui florem purpureum reddit, cum thure & oleo amigdalorũ amarorũ ſubactũ in balneo & extra balneum, ſingulis diebus illinito, & breui pili corrumpentur.

Denudatoria pilorum. Cap. LXIIII

TVto denudant à pilis lixiuium acerrimum, auripigmentum, ſandaracha, calx uiua. conſtat autem uehementiam uirium imbecilliorum humorum mixtione & ptiſanę aut oryzæ cremore infringi oportere. Depilatoriũ quod in libro de ornamẽtis inuenimus tale eſt, Calcis uiuę partes duas, auripigmenti partẽ unam, in plumbeũ mortariũ conijcito, & aquam calidam aut ptiſanæ ſuccum infundito, atq; ubi nigrũ euaſerit iubeto illini in balneo. protinus enim corpus depilabit, & glabrũ efficiet, & qui rurſus pili enaſcẽt, graciliores fient. Aliud. Oryzam, fabam, cicer, & ptiſanã in aqua decoquito, ac decocto prius admiſce calcis quod pro conſuetudine ſufficere uidetur, deinde agitato & ubi dilueris adijcito auripigmenti unc. i. tum unitis adde myrrhæ contritiſſimæ unc. i. pumicis torrefacti drach. iiii. opobalſami cochlearia duo, uel ſandaracam cũ hyoſcyami ſucco dilutam illinito. Aliud. Fructus caprifici unc. vi. ac foliorum eius tantundem,

& herinaceum terreſtrem uiuum integrum,ſucci aconiti,iridis agreſtis ſing.lib.i. auripigmenti,coſti,caſſię,carpobalſami ſing.unc.iiii.olei ſextaria uiginti,tundito ſingula & conijce cum herinaceo uiuente in uas æneum decoquenda, adiectis aquæ marinæ ſextarijs quinq; quouſq; abſumatur aqua,deinde ubi ab igne remoueris,ſinito tribus diebus quieſcere,& poſt conſidentiam excolato.utere hoc oleo in primo balnei domicilio,antequam ſudare incipias.

Attenuatoria pilorum. Cap. LXV

His quæ pilos attenuant medicus uti poterit,ubi plus æquo duriores,prolixiores,numeroſioresq; inuenerit. habent ea abſtergendi, attenuandiq; facultatem,& quemadmodum in reliquis medicamentis pro maioris,& minoris ratione diuerſitas reperitur,ita & in abſtergentibus accidit.hordei igitur,fabarũ,& eruorum farinæ,aphronitrumq; & nitrum temperatioris ſunt facultatis: quæ uero iſta exceſſerint conueniunt ijs qui duriſſimos ampliſſimosq; pilos habuerint,ut eſt nitrum uſtum,ſpuma nitri,aphrolitrum, teſtæ animalium crematæ : nam ſepiarum etiam non crematæ excedũt. item teſtæ fictilium,clibaniq; uſtæ pumex tam combuſtus quàm nõ combuſtus,halcyonium,herbæ lanariæ radices,uterq; elleborus, uitis albæ radix & dracunculi, & ariſtolochiæ & panacis cancryq; & alia huiuſmodi, quæ ſi odorata fieri uolueris admiſcebis cyperum, melilotum, roſas ſiccas, iunci odorati florem, iridem, meliſſophilum ſiue apiaſtrum.pro diuitibus uero addes ſpicam celticam,indicam,amomum, folium,myrrham,coſtum.pilos etiam attenuat cinis ſarmentorum,ficulneæ, tithymalli tritus & in balneo illitus.idem poteſt & cinis acinorum uuæ combuſtorũ, alumen ſciſſile,fimus caninus arefactus.

Smegma cutim illuſtrans,& lanuginoſos pilos reddens ualde probatum.

Mora acerbiſſima cum cimolia & nitro æquis portionibus terito & utere.

Aliud optimum. Pumicis torrefacti,teſtarum ſepiæ crematarum,nitri, cimoliæ portiones æquas,optima ſpe applicato:uel teſtarum purpuræ uſtarum,nitri,cimoliæ ſing.unc.viii.pumicis unc.i.torrefac omnia tere & utere in balneo,& admiraberis. Aliud quo in Cubiclarea uſi ſumus. Calcis uiuæ lib.i.auripigmenti unc.ii.uuæ taminiæ,cimoliæ,teſtarũ ſepiæ,radicis uitis albę,aluminis ſing.drach. iiii.ceruſſæ unc.i.ſampſuchi,aloes,ellebori nigri ſin.unc.vi.terito, cribrato,& utere,conijciendo ex hoc in conſuetum depilatoriũ circiter drach.iiii.& trium ouorũ albumina:deinde abluto depilatorio,hoc rurſus aridũ priuatim aſpergito.quod in balneo ſingulis diebus facies. Smegma attenuatorium & lanuginem auferens.

Farinæ fabarum,pumicis,ſimilæ ſing.ſextaria quatuor,fœniculi cũ ptiſana decocti,& rurſus aſperſi cũ oxymelite & arefacti,tritiq; & cribrati ſextaria quatuor, ſaponis gallici lib. ii. reliquis prius contritis,ſaponem manibus ſubigendo admiſceto,deinde utere. De porrigine ſeu furfuribus capitis. Sæpe ſcalpentibus quibuſdam à capitis cute excidũt ſquammulæ furfuribus ſimiles, à deprauatis humoribus generatæ,quas in curatione,tum diſcutientibus abſtergentibusq; medicamentis,tum catharticis & pituitam ducentibus remouemus,toto prius corpore exinanito,ſi humorum prauitate abundauerit. nonnulli tamen diſcutientibus medicinis quaſdam etiam quę adſtringunt admiſcere ſolent,conſilio firmandi partes affectas ne facile influentem ſaniem excipiant, ſed reſiſtant ac repellant, quale eſt atramentũ ſutoriũ & ſimilia.abſterget ergo à capite furfures cymolia cũ ſucco betæ,aut fœnugræci, aut utroq; ſimul cõmixta, uel faba tuſa cũ cortice. uel furfurũ ſextariũ in aquę ſextario madefit,tum diu manibus ſubigitur,poſtea excolato cremori heminæ aceti ſemiſſe adiecta,ad congruam ſpiſſitudinẽ coquitur illiniturq;, deinde betæ, aut fœnugræci aut lupinorum decocto abluitur. uel cymoliæ, ſulphuris uiui portiones æquas contritas in balneo illine, tum aqua lupinorum

lauato quod etiam extra balneum facere poteris, uel ſpumæ argenti, olei rutacei,
aceti partes æquales inungito, quod nos experimento probauimus, uel radicis cu-
cumeris agreſtis decocto utere. Archigenes uero affirmat medicamentum quod
ex uite alba conficitur reliquis omnibus præſtare. quod ſi certis ponderibus præ-
parare uolueris ita habet, cymoliæ unc. vi. nitri unc. v. farinæ fabarum unc. iii. radi
cis agreſtis cucumeris unc. ii. s. uitis albæ unc. i. farinæ hordeaceæ ſextariũ s. ſin-
gula ſeorſum terito & ubi commenſuraueris unito ac utere in balneo. Aliud.

Fœnogræci farinam, nitrum, cymòliam cũ ſucco betæ aut felle bubulo aut ſuil-
lo, & modico aceti ſubige & applica, atq; ubi hora tranſacta ablueris, atramentũ
ſutorium & nitrum cum oleo ſubacta, uel cymini, myrobalani, lomenti portiones
æquas ex aqua, uel amigdala amara decorticata ex aqua, aut aceto illinito, deinde
ubi capilli aruerint, aqua calida abluito. idem poſſunt nitri, pumicis, fecis uini par-
tes æquales ex aqua calida illitæ, uel aphrolitri, atramenti ſutorij par pondus cum
uino ſubactum ter aut quater ſingulis menſibus repetendo, ita enim nõ redibunt.
uel ſcorpiuri ſuccum inungito, uel ſcillam aſſato, & ubi flaccuerit ſuccum expri-
mito, & oleo commixtum illine. ſit autem uictus ratio flatu carens, craſſi ſucci mi-
nimè particeps, qualem ſucci craſſitudinem habent fungi, tubera, bulbi, legumina
& bubulæ carnes cæteraq; huiuſcemodi: omninoq; cibi eligantur quæ bonam fa-
ciunt aluum, concoctu faciles, & cum melle maxima ex parte conditi, ad intinctus
acetum adhibendum, iuſcula cum cymino, apio, & fœniculo condienda, reliqua
cibaria parce ſumenda, ſed pręcipue bellaria euitanda ſunt. uinum tenue quidem
& album eligito, iucunditatis tamen gratia quandoq; dulce & mulſum concedi-
tur. è fructibus paſſulæ optimæ ſunt, & in prima ſtatim menſa ficus, ſicut in ſecun
da malum punicum, amigdala etiam recentia conueniunt, quæ ante cibum exhi-
beri expedit, proriusq; nitendum eſt ut concoctio laudabilis fiat. mites uero deam
bulationes mane & ueſpere admittendæ ſunt, frigidæ etiam lotio calidæ præſtat,
ſed qui calida lauatur cauere oportet, ne plurimo aëri occurrat, cuius caput im-
mergendum non eſt, ſed perfundendum, ac deinde frigida uberrime recreandum.
ſomnus ad ſaturitatem cõcedendus, ſed ira, mœror, inſolatio, uehemensq; refrige-
ratio euitanda. ac omnia deniq;, quæ caput replere poſſint.

De phthiriaſi, id eſt, pediculari morbo. Cap. LXVII

PEdiculorũ ortus in capite quorundam confertim accidit, ob quamplures hu-
mores moderate calidos in cutis profunditate collectos, propterea neq; in ſu-
perficie pediculi quemadmodum porrigines generantur. eorũ igitur medicamen
ta exiccandi uires habere neceſſe eſt, & quæ magis à profundo euocent & euacu-
ent: ideo lupinorum aut tamaricis decocto, aut aqua maris, aut muria, aut aqua te
pida cum aceto caput lauari confert, uel hederæ ſuccum cum melle mixtum, uel
perdicium herbam dormituris illinere, uel cyperi flore cum uino ſubacto dormien
di hora operiri caput, uel uuæ taminiæ partes duas, ſandarachæ, nitri ſing. partem
unam, illine ex aceto, uel rhu obſoniorum cum oleo tritum uel alumen ſciſſile pari
ter cum oleo tritum adhibeto, uel ellebori albi & uuæ taminiæ portionibus æquis
utaris in balneo, uel rumicis agreſtis radicem cũ oleo, uel filicis portiunculam plu
rimo oleo admixtam applicato, uel oleo laurino, aut raphanino inunge. quod ſi
etiam capilli defluxerint, uua taminia cum oleo & aceto, aut alumine liquido ex
oleo, utitor. ad idem ſcordij triti drach. ii. cum origani drach. i. ex aqua mulſa utili-
ter bibuntur.

De achoribus & reliquis ſpontaneis exanthematibus quæ circa ca-
put contingunt. Cap. LXVIII

QVæ achores uocantur parua quædam foramina in cutis capite eueniunt, à
quibus

quibus tenuis ſanies & moderate uiſcida erumpit: ſimileq; illi eſt, quod cerion, id eſt, fauus appellatur, amplioribus foraminibus humiditatem ad mellis ſpeciem ſtillantibus. humores igi? ea uitia generantes euacuare oportebit, quibus magis fluentibus præmiſſa uenæ ſectione ſi patiens tolerauerit uehementiori cathartico fluxus arcendus eſt, ac ſero lactis cum mulſa præparato tribus epithymi drach. adiectis aluus ducenda. cuius medicamenti confectionem lib. ſecundo cap. 95. prædiximus. q ſi lactis occaſio defuerit in integram colocynthidē pulpa & ſemine exemptis ſapam aut mulſum conijcies. quod ubi ita die ac nocte permiſeris, calefactum propinabis, & ualide ſolues, deinde caput per os, ac nares purgabis. ob craſſitudinem uero lentoremq; humorum hanc ęgritudinem generantium incidentia diſcutientiaq; medicamenta admittenda ſunt. inchoantes uero achores, ubi corpus uniuerſum excrementis caruerit, cum adſtringentibus reprimentibusq; curabis, quales ſunt myrti baccæ, & piceæ cortex, & rubi folia illita. Item plantago, oleaſtri ſuccus, ſalicis folia & flores, polygonum. quædam autē præterq; quod achorum augmento reſiſtunt, etiam afluentem materiam repellunt, atq; id quod iam continetur maturant ſimul ac digerunt, cum mixtas facultates habeant, quibus poſt principium uti oportebit: talia ſunt myrtinum oleum, lentiſcinum, rubor ū aut portulacæ ſuccus, uterq; ex oleo, ladanum cum uino illitum, cyperus, lens. quædam uero achoribus in ſuperficie exiſtentibus & mediocribus diſcutiendo ac ſine manifeſta caliditate abſtergendo, neq; quidpiam irritando conueniunt, quorum potiſſimus uſus eſt ad dolorificas achoras, atq; in ijs quoq; ſemper à leuioribus inchoari oportet. cymolia igitur hanc tibi utilitatem præſtabit, creticaq; & ſamia terra. Item pompholyx, ſpodium, ſpuma argenti, cadmia mollis, capilli ueneris cum roſaceo, fœnogræci decoctum, malua cum uino & farina ſubacta, melilotum cum farina fœnogræci, & uino, cicerum decoctum, ipſaq; cruda illita, iuglandes amaræ manducatæ, & appoſitæ: quibus nihil proficientibus, xerion quod è charta conficitur illine cum aceto. quod ſi acrius uidebitur miſce ſpumæ argenti portiones æquas, ac ſi xerium è charta nō adſit, urito chartam cineremq; eius aceto infuſum, ijs qui duras carnes habuerint, adhibeto. quædam autem uiribus adeo ualidis pollent, ut etiam craſſiſſimos uiſcidiſſimosq; humores euacuent, quamuis ſcyrrhi ſpeciem prætulerint, atq; eoſdem diſſoluant: talia ſunt, ſal, chalcitis, uini fex uſta, ſandaracha, calx: nam acetum quocunq; tempore efficaciſſimū eſt ad achoras, diſcutiens ac reprimens, quod acerrimum eſſe oportet. optime etiam diſcutit lilij radix illita, & libanotis cum aqua & nitro, lupinorum amarorum, aut agreſtis cucumeris decoctum, folia ficus cum aceto trita, bulbi cum nitro, rutæ folia, farina fœnogræci cum nitro, thus ex aceto illitum, malicorium cum oleo laurino, alliorum cum ſuis ſcapis crematorum cinis ex oleo. quod planè optimum eſt. Item anchuſæ radix uſta, & trita ex oleo ad fecis conſiſtentiam cum penna illita ſanat, thymi uſti cinis in uino & oleo madefactus, buccinarum crematarum cinis ex aqua tritus: prorſus enim ſalutare remedium eſt, non ad achores tantum, ſed ad cuiuſcunque generis exanthemata. quod ſi quandoque achoribus inflammatis occurres, conſtat inflammationem prius cum humido medicamento ſedari oportere: quod ſine eroſione maturandi molliendiq; uires habeat, quale eſt quod panygron uocatur, & omnia quæ hedrica, id eſt, pro ſede confecta appellantur, & quæ ad carcinomata deſcribuntur. farinam igitur fabaceam uino madefactam & ad formam emplaſtri tritam apponito. quod etiam feruidiſſimis agreſtibusq; pſydracijs capitis confert. Aliud ad maximos inflammatorioſq; dolores. Collyrium ſtellæ, aut è thure, aut quodpiam ſimile cum modico hyoſcyami ſucco diluito, ſapaq; adiecta & roſaceo illinito. Vnguentum ad achoras quod liparum

nuncupatur

nuncupatur,& ad pſydracas,feruores,& intertrigines.quod etiam ſedi confert.

Spumæ argenti drach.viii.foliorum rutæ mollium drach.xxv.dilue cum aceto, & cum roſaceo aut myrtino oleo aſſumito, atq; cum penna inungito, id enim nobis certum experimentum præſtitit. Aliud ſimile. Spumæ argenti drach. iiii.ceruſſæ drach.vi. ſulphuris uiui, ceræ ſing. drach. iiii. olei myrtini aut roſacei quod ſufficit ad liquidi cerati conſiſtentiam.liquabilia aridis permiſceto,unito,& utere ad omnia uniuerſi corporis exanthemata. uel ladanum,baccas myrti, atramentum librarium,ſpumam argenti,ſemen hyoſcyami, malicoriũ ſimul terito, & uino aut myrtino roſaceo'ue oleo aſpergito, & utere. uel uerbenacæ ſupinæ, acaciæ ſing.drac.viii. myrrhæ drach. ii. cum uino auſtero terito & utere. uel baccarũ myrti,malicorij,atramenti ſutorij,ſpumæ argenti portiones ęquas è uino aut oleo myrtino terito. Emplaſtrum ad diuturniſſimos achoras. Picis aridæ,ceræ, adipis ſuilli aut bubuli portiones ęquas liquefacito & excolato in aqua,ac diu manibus cõmollito & utere. Aliud emplaſtrum quo uſus eſt Aegyptius Alexandriæ in Palladio magiſtro poſtquam remedijs principum medicorum fruſtratus fuerat. Colophoniæ unc.vi.ammoniaci thymiamatis unc. ii. chalbanæ unc.iiii. olei tantundem,maſtichæ,ceræ ſin.unc.i.picis humidæ lignoſæ drac.iiii.æruginis ſcrupu. iiii. opopanacis ſcrupu. iii. quod ſi acrius uideatur æruginem remoueto. diſcutit abſceſſus,ac iam fractos euacuat,ſanatq;.

Ad ſcabiem capitis. Cap. LXIX

RVtam & alumen terito è melle,& deraſis capillis illinito,uel ſulphur uiuum, & uuam taminiam tritam cum ſero lactis ac pice admiſceto & applica.

Ad parua & denſa capitis ulcuſcula papillis mammillarum ſimilia à quibus ſanies effluit. Cap. LXX

DEraſo capite ſemẽ lini terito & melle perfuſum applica, uel conchulas urito & ex aqua tritas illinito, uel emplaſtrum è lolio confectum apponito, & ubi humores euacuati ſunt,eo ſublato appone quod myrſinatum uocatur.

Ad rubra capitis exanthemata. Cap. LXXI

CEruſſam cum oleo nardino illine, aut pini corticem cum cerato humido aut clibani teſtam cũ aceto & uino,aut betam elixatam applicato, aut betæ ſuccum cerato roſaceo adiecto quantum capere poteſt illinito.

Medicamentum quod exiccat quodq; ad cicatricem achores capitis ducit. Cap. LXXII

SPumæ argenti, calcis portiones æquas,aceti,roſacei ſing.heminam unam miſce & utere. Aliud ulcera humida deſiccans & ad cicatricem ducens.

Spumæ argenti, ceruſſæ, hordei uſti portiones æquas cum roſaceo aut myrtino illine. Deſiccatorium omnium defluxuum præcipue antiquorum.

Spumæ argenti, ceruſſæ,ſalis foſſilis ſing. lib. i. aluminis ſciſſilis unc. vi. atramenti ſutorij tantundem,olei lib.ii. aceti ſextarium unum.decoque ſimul oleum, ceruſſam, argenti ſpumam, ſal minutiſſime tritum, atq; ubi rite confecta fuerint ſublato medicamento ab igne, & quadantenus refrigerato conijce paulatim alumen ſciſſile & atramentum ſutorium aceto diluta, & cum uniueris in mortarium fundito & exquiſite ſubigito,& utere.

Smegma ad achoras & furfures aſperitates & ſcabiem capitis. Cap. LXXIII

DEclinante morbo utendum huiuſcemodi abſterſorijs in balneo, Cymoliæ,nitri rubei ſingulorũ lib.i.s. myrobalani lib.i.myrrhæ,iridis,piperis ſing.unc. ii.nardi celticæ,caſſiæ,coſti,ſing.unc.i. terito,cribrato,& utere in balneis.

De aurium

De aurium doloribus. Cap. LXXIIII

AVrium dolores uel ob uentorum refrigerationem, uel ob frigidas medicamentoſas'ue balneorum aquas, uel ob cutis intra meatū exiſtentis, uel nerui auditorij in profundo latentis, inflammationem, uel ob flatuoſum ſpiritum exitu carentem fieri ſolent.

Ad dolores qui ob refrigerationem eueniunt. Cap. LXXV

DOlores uero qui à ſola refrigeratione contigerint, calefactoria confeſtim ſanant, ſicut cepæ, & allia in oleo feruefacta, & iniecta. ego uero perquam exiguam euphorbij portiunculam plurimo oleo immixtam uel piper cum oleo exquiſitiſſime ſubactum infundo. prodeſt & amaracinum, & optima nardus, & ruta cum dulciſſimo oleo decocta.

Ad dolores meatus aurium ob aquas medicamentoſas. Cap. LXXVI

VBi uero aqua medicamentoſa auditorium meatum offenderit, oleum iugiter infundi oportet & aurem irrigari, mollicꝫ lana foueri, idem ſæpius repetendo. mitigat eoſdem dolores ſummopere albumen oui cum lacte mulieris tepidum infuſum. ſint enim omnia quæ auribus adhibentur moderate calida. prodeſt & anſerinus adeps, ſed nihil præſtantius quàm oris exuctio ad aquam euocandam, quæ etiam per arundinem ueluti per tubulum quendam exugi poteſt, deinde ſuccum cepæ cū adipe anſeris inſtillari. ſi quis etiam alteri pedi innixus eiuſdem lateris cū aure affecta, capite parumper decliui ſaliat, aquam facile excutiet.

Ad aurium dolores ob humorum craſſitiem. Cap. LXXVII

VBi uero cum capitis prauitate dolor auris contigerit, à craſſis pituitoſiſcꝫ humoribus generatur, quod tibi præcedens uictus declarabit. nitrum igitur & aphronitrum aurium medicamentis miſcebis, candidumcꝫ ac nigrum elleborum, amigdala amara, ariſtolochiam optimam, ſi haberi poteſt, ſin minus, quam habebis, agreſtis cucumeris, aut uitis albæ radicem, aut centaurij maioris, & minoris comam, & irim, & caſſiam, ac denicꝫ omnia amara, quæ ſine eroſione impune meatum expurgent, abſtergant, & craſſos humores obſtructos incidant.

Ad aurium ſordes. Cap. LXXVIII

VNguentum nardinum tepefactum inſtillato, ac poſtridie auriſcalpio commode expurgabis, tum rurſus nardum infundito. ꝙ ſi ſordes plus æquo inaruerit, litrum torrefacito, & contritiſſimum imponito, calidumcꝫ acetum inſtillato, lanacꝫ applicata ſinito pernoctare, poſtridie infunde aquam, & oleū calefactū.

De tinnitu aurium. Cap. LXXIX

AVrium tinnitus plerunque quidem à flatuoſo ſpiritu, nonnunquam tamen etiam ob acerrimum audiendi ſenſum ab euaporatione contingunt. prima igitur dignotio ab hominis temperamento & corporis habitu, deinde ab omni præcedentis uictus ratione colligitur, deinde nunquid tinnitus paulatim conſtiterit, an repente inuaſerit, num ex certis interuallis accedat, an iugiter affligat. ita uero exquiſitiſſime res perpendetur. ſi enim ueritus fueris à flatuoſo ſpiritu exitum non habente tinnitum fieri, deinde incidentia attenuantiacꝫ adhibita nihil conferre, imò & apophlegmatiſmos fruſtra admoueri deprehenderis, ſatis tibi conſtare poterit, à nulla alia re quàm à nimio ſenſus acumine id accidens generari, cui ego cum his mederi ſoleo quæ ſenſum ſtupefaciunt. ut mandragoræ ſucco, aut pauculo opio. oleum etiam adhiberi poteſt in quo lumbrici terræ decocti fuerint.

Apollonij ad tinnitus, boatus, & ſibilos qui repente ingruerint. Acetum acerrimum calefactum, uel priuatim, uel cum roſaceo inſtillato, & ſi parum profeceris, cyminum & rutam decoquito in aceto, & roſaceum adijcito, aut radicis cucumeris ſylueſtris ſuccum infunde, aut eandem in oleo decoquito. ꝙ ſi adhuc perſiſtat,

utere

utere amaris omnibus, & acribus & attenuantibus & diſcutientibus, quæ paulo ante ad dolores aurium ob craſſos humores euenientes connumerauimus, in aceto decoctis & melle adiecto. ad diuturnos uero caſtoreũ & ſpica nardi æquis portionibus ex aceto & roſaceo conferunt. Aliud ad ſonitus diuturnos. Struthij ſeu herbæ lanariæ, croci, caſtorei, ſpicæ nardi, partes æquales ex aceto tritas in paſtillos confice, quibus deinde uino dilutis uteris. Aliud ad tinnitus poſt ægritudines. Locum prius cum abſinthij decocto fouebis, deinde acetum cũ roſaceo, uel raphani ſuccum ſimiliter cum roſaceo, uel aloem optimam cum mulſo inſtillabis, & ſi adhuc perſiſtat elleborum nigrum in aceto decoquito & applica.

Ad audiendi difficultatem & ſurditatem. Cap. LXXX

QVi difficulter audiunt biera primo aut pilulis ex aloe & colocynthide, deinde & apophlegmatiſmis purgandi ſunt & caput abradendum liniendumq́ quocunq; modo, ac firmandum, attenuatoriusq́ uictus admouendus, in auremq́ ipſam inſtillanda, quæ uiſcidos craſſosq́ humores incidunt, quorum materiam paulo ante prędiximus. Apollonij ad audiendi difficultates repente obortas & quæ ob capitis dolorem euenerint. Abſinthium in olla ſtricti orificij cum operculo per unicum foramen exhalante decoquito, deinde locum per arundinem foueas, ita ut alterum caput arundinis concauitati auris inſeratur, alterum foramini quod in ollæ operculo factum fuerit, ut uapor eleuatus auditorio meatui commode occurrat. Aliud. Baccas aut folia lauri in aqua decoquito, uel origanum aut hyſſopum, aut aquam marinam cum aceto miſce, & ſimili modo fomentatio nem parato. tauri etiam uel bouis lotio cum aceti quadrante locus foueri ſolet, ſed & contrita myrtus fomentis utiliter admiſcetur: circa aurem uero circulum laneũ fieri oportet, ne partes adiacentes inflammentur. conueniunt eiſdem collutiones ex acris aceti candidi, & aquæ portionibus æquis. nitrum etiam tritiſſimum calefactum pluribus diebus iniicito, poſtea aqua calida abluito. Quæ ad audiendi difficultatem utiliter infunduntur. Sulphure in aqua decocto frequenter aurem colluito & fumum ex olla recipito, uel marrubij ſuccum cum unguento irino mixtum tepidũ infundito, uel ellebori nigri radicem ex aceto & melle imponito uſq; ad audiendi inſtrumentum, ac diebus quinq; permittito: uel capræ nuperrime iugulatæ cornu lotio eiuſdem repletum præcipue eo quod in ueſica compertum ſit, ad fumum nouem diebus ſuſpendito & utere. uel aſphodeli radicem in oleo decoquito, iuuat enim antiquas audiendi difficultates. optimus quoq; eſt radicum uel foliorum cucumeris agreſtis ſuccus cum aceto infuſus, aut lotium & fel capræ ſimul calefacta in aurem inſtillato, aut caſtoreum cum baccis lauri & aceto, aut elleborum nigrum in aceto & melle per quandiu decoctum in parua collyria glandi ſimilia conficito, & meatui auris imponito, finitoq́ tribus diebus. uel ſeminis naſturcij quod ſufficit cum nitri portiuncula, & cum carne ficuum exemptis ſuis acinulis aſſumito, & glandulas conficito quæ meatui auditus accommodentur, deinde imponito ac tribus diebus permittito: id ſordium copiam educit, & protinus leuat. interdum pro naſturcio ſinapi adhibemus. nec parum ad eadem cõfert ſpongia fruſtulatim inciſa & contorta melleq́ madefacta, & impoſita, quæ etiam carnem ſuperuacuam in audiendi meatu natam compeſcit. fel etiam cuiuſq; generis piſcium & perdicis & capræ conuenit: ſed & taurinum fel cum ſenecta anguium contritiſſimum & in aceto aſſumptum, utiliter in eundem meatum imponitur: quidam roſaceum adijciunt. poſtea uero calida aqua locum fouere oportet. Item ſaluiæ ſuccum cum oleo omphacino in aurem inſtillato, ualde enim prodeſt. uel herinacei terreſtris fel cum oleo infundito: uel ſaluiæ albæ drach. iiii. caſtorei drach. ii, aphronitri drach. i. miſce, & ex aceto utere tanquam optimo, utere etiam

paſtillo ex amaris amigdalis cum oxymelite, quem ad aures purulentas deſcripſimus. uel clauos nauales ueteres numero centũ in uino amineo ſeptem dιebus madefacito, deinde uſq; ad ebullitiones ſeptem decoquito, tum excolato & ſeruato, atq; uſus tempore quod ſat fuerit calefacito, & infundito. hoc ego ſurdũ ſanaui.

De aurium inflammatione. Cap. LXXXI

MEdiocres ac minime pulſantes inflammationes oxyrhodinum tepefactum curat, & glaucium in cote medicinali cum paſſo & aceto tritum. at ſi uehementior fuerit inflammatio ad ſedandos dolores albumen oui cum lacte mulieris tepidum infunditur, uel unguentum nardinum cum emplaſtro baſilico, aut cum adipe anſeris uel phaſiani, utiliſſime adhibetur. quod ſi dolor acrius infeſtauerit, ad ea quæ ſtupefaciunt neceſſario accedemus, quale eſt quod è lacte mulieris & oui albumine cũ pauculo opio conficitur, adiecto in uehementiſſimis quidem doloribus pari caſtorei pondere, in mitioribus autẽ, duplo. nos uero opium & caſtoreum exquiſitiſſime cũ ſapa ſubigentes paſtillos conficimus, quorũ aliquem uſus tempore eadem ſapa diluimus, & tepidum inſtillamus. cæterum audiendi meatus in ipſo doloris tempore, prorſus attingendus non eſt, ſed ſpecillo molliſſima lana imbuto cui emplaſtrum baſilicum cum oleo nardino uel quopiam ſimili tepefactum illeueris, molliſſime fouendus eſt, ita ut ad os meatus ſpecillũ ſuſpendatur, ſinaturq; ex eo medicamentum in intimas partes inſtillari, id toties repetendo donec meatum repletum cognoueris. poſtea extimum orificium lana tueberis. q ſi æſtas fuerit, patiensq; ingentem feruorem circa inflammatam partem percęperit, fomentatio ex probo roſaceo facienda eſt. ſed & ad feruentes inflammationes albinæ, id eſt, muris auriculæ aut polygonij, aut portulacæ, aut ramentorũ cucurbitæ ſuccus cum roſaceo utiliter inſtillatur. aranei quoq; uel aſelli ſub hydrijs reperti, uel blattulę intra domos uerſantes, uel terreſtres lumbrici in roſacco decocti adiecto amigdalino uel hyoſcyamino oleo ad aurium dolores mitigandos efficaciſſimi ſunt. Medicamentum ad aures diachylon, id eſt, è ſuccis confectum. quod inflammationes ſanatu difficiles curare ac cito ad ſubpurationem ducere poteſt, ramentorum cucurbitæ, arundinis, hyoſcyami, perdicij, braſſicæ, ſucci, ſing. cyathum unũ, nitri torrefacti, zingiberis, croci, ſing. drac. iiii. unguenti nardini unc. i. aluminis liquidi unc. i. aceti ſcillitici unc. ii. mellis optimi lib. i. conficito & in uitreo uaſe reponito, atq; uſus tempore nardino aut roſaceo diluito. Aliud ad diuturnas ac ſanatu difficiles inflammationes. Chalbanæ drach. vii. ſeui taurini drach. iiii. ceræ, ſaponis, colophoniæ ſing. drach. iii. picis unc. i. liquefactis prius colophonia, ſeuo, pice, chalbanam primo cum cera, deinde ſaponem præmollitum conijcito, poſtea excolato, atq; uſus tempore cum aqua, aut quopiam oleo ad cotem diluito. Ad dolores in ſummo affligentes. Aloem optimam uino mulſo dilutam uel acetũ in quo lana ſuccida bullierit inſtillato, ipſamq; lanam in aurem imponito. quod ſi aceto ſapam addideris mitius medicamentum conficies.

Ad aures abſq; ulcere humentes ac ſeorſum ſaniem ueluti exudantes. Cap. LXXXII

MIſy panno inuolutum & ſub prunis crematum ſimul cum panno terito atq; per arundinem inſufflato, uel gallas in linteo uſtas ac tritas ſimili modo applicato, uel alumen in fictili combuſtum terito, oleoq; prius inſuſo inſufflato.

Ad ulcera quæ in aurium meatu conſiſtunt. Cap. LXXXIII

QVæcunq; noua ulcera fuerint glaucium ſanabit, priuatim cum aceto tritũ, & omnia collyria quæ ex ipſo, & quæ ex croco quæq; ex roſis cõficiuntur. confert & Damocratis collyrium diaſmyrnium uocatum. quæ uero abſq; dolore ſuppurantur, ſi id moderate fiat, eiſdem remedijs curabuntur. ſi uero pus exceſſe-

rit paſtilli adhibendi ſunt, qualis eſt Andronis ſed præcipue qui ad Muſam refertur, cum ſapa & modico aceto inditus. ad maximas autem ſuppurationes ferri recrementum ſub canis feruore in ſole cũ acerrimo aceto tritum in paſtillos formato, & utere cum aceto. ꝙ ſi canis æſtus nõ affuerit ferri recrementum tritiſſimum cum aceto mixtum optime ad prunas decoquito quouſq; exiccetur, deinde utere cum aceto. Collutiones aurium. Apollonius uero ad ulcera aurium hæc tradidit. uino mulſo calido aſſidue colluito, aut myrtum decoque in uino & utere. ꝙ ſi fœtidum ſit quod defertur, malicoriũ & lentem in uino decoquito, quo dum tepet, aurem colluito. hæ infuſiones autem poſt collutiones conueniunt, fel bubulũ, ſed præcipue porcinum, in malicorio dilutum inſtilletur: idem facit & fel caprinũ & cuiuſq; generis piſcium. Aliud optimum. Alumen ſciſſile cũ ſapa & aceto tritum in feruenti cinere ad mellis conſiſtentiam decoquito. conuenit & omne aluminis genus cum polygoni ſucco, & quæ panchryſos liquida Eraſiſtrati nuncupatur in ocularibus medicamentis deſcripta. uel aluminis ſciſſilis, croci, gallarũ ſing. partes æquas miſce, & e uino auſtero utere. uel amigdala amara decorticata numero xx. aphronitri albi, thuris, opij ſing. drac. iiii. terito cum aceto & paſtillos formato & utere, præſente quidem dolore roſaceo diluens, in ſuppuratione autem uino mulſo, aut aceto & ſapa. at ſi audiendi difficultas adſit cum aceto diſſolues: præterea aloes, thuris, myrrhæ ſing. drach. iiii. myſios drach. ii. conficito cum aceto & utere, roſaceo & aceto diluens.

Ad putredines & aurium fœtores. Cap. LXXXIIII

COlluto prius malicorij & lentiũ decocto ueluti dictum eſt, deinde utere ijs quæ ſubſcribentur. aluminis mileſij lib. i. atramenti uſti drach. iiii. myrrhæ drach. viii. aloes, crocomagmatis ſing. drach. viii. uini dulcis myrtei ſextaria tria. alumen cum uino dulci decoquito, & ubi concreuerit reliqua prius cum aceto trita, admiſceto, & utere cũ aceto & ſapa. Aliud ad ſuppuratas & fœtidas aures.

Vrſi fel inſtillato. quod ſi aridum ſit, dilue cum ſapa & aceto, mirifice enim confert. Aegyptia ad omnes prædictos affectus etiam in auribus congenitos.

Amygdalorum amarorum drach. iiii. medullæ fabæ Aegyptię, piperis albi ſin. drach. ii. croci, myrrhæ, opij, thuris, caſtorij, ſing. drach. ii. omphacis, atramenti ſutorij ſin. drac. iiii. aphronitri drach. ii. terito cum aceto in quo malicorium ad fecis conſiſtentiam decoctum ſit. uſus tempore accipe ex medicamento quod ſufficit, & roſaceo dilutum inſtillato.

Ad excreſcentias carnis in auribus Heraclidæ tarentini. Cap. LXXXV

AEruginis æris drach. viii. ſquammæ eiuſdem drach. iiii. mellis unc. ix. arida tritiſſima cum melle aſſumito, & decoque donec rubeſcant atq; loco imponito quem in aure supereminentem conſpexeris. uel æruginis, atramenti ſutorij ſing. drac. iiii. ſucci porrorum cyathos tres, mellis quod ſufficit conficito, & utere ut dictum eſt. Aliud Apollonij memphitæ omnem carnis excreſcentiam reprimens ſine dolore. Aluminis ſciſſilis, myſios uſti ſing. unc. iiii. æruginis, lemnij ſigilli, gummi ſing. unc. ii. terito ex aceto & paſtillos confice, & utere ex aqua aut uino. reprimit enim carnem & ad cicatricem ducit. naribus etiam ulceratis cõfert ex quacunq; cauſa contigerit.

Ad uermes aurium. Cap. LXXXVI

VErmes aurium uel innatos, uel aduenas ut ſummatim dicatur, omnia amara & acria interficiunt, ut foliorum capparis ſuccus, cedrus, & lotium humanum antiquum, utrunq; cum melle mixtum, ariſtolochiæ puluis inſufflatus, calamenthi ſuccus, elleborus albus cũ uino, colocynthidis, centaurij, abſintij, polij, allij, marrubij, elaterij ſingulorum in aceto decoctiones. benefacit & malų domeſticę

aut agreſtis ſuccus, præcipue ubi aures ſint inflammatæ.

Ad eruptionem ſanguinis ex auribus. Cap. LXXXVII

ERumpente ab auribus ſanguine, ne grumus fiat, porri ſuccũ cũ aceto inſtillato. id enim ſanguinem ſiſtit, & grumum ſoluit, uel decoctio mali punici in aceto, uel polygonij ſucco cum modico aceti aurem colluito: aut acaciam aut amurcam, ſed præcipue lycium cum aceto diluito, & infundito.

Ad lapillos, aut quidpiam aliud quod in aurem inciderit. Cap. LXXXVIII

SI lapillus, aut faba aut quidpiam tale, in meatum auris inciderit colluito, aut ſpicillo lanam reſina uel alio glutinoſo medicamento, uel dropace intinctam circunnectito, & attrahe. quæ ſi parum profuerint, ſternutamenta naribus imponito, cogitoq́ patientẽ, ore ac naribus clauſis perſiſtere: ita enim ob uehementẽ ſpiritus intenſionem exufflatur quod inciderat. neq́ id prius deſiſtat facere quàm liberetur. ſi enim perſtiterit, auris inflammatio orietur. optime etiam ad hoc idẽ cõfert concuſſio. ac ſi puer quidem fuerit, pede detentus atq́ in caput ſuſpenſus concutitur. ſin adultus, ſuper tabulam ita extendatur, ut in latere affectæ auris decumbat, capite ipſi tabulę innixo. deinde eleuata uerſus caput tabula, ſinito ut repente decidat, idq́ ſæpius repetito: namq́ ita quod inciderat commouebitur, & ad partem meatus magis expoſitam progredietur, quod tu poſtea paruo ſpicillo diligenter euelles. at ſi faba, aut quidpiam ſimile ob longam moram intus cõtractam, maduerit & intumuerit, ac propterea dolorem incutiat, fieri quidem nõ poteſt ut eximatur integra, ſed ſpecilli cyatiſco diligenter ſecanda eſt, atq́ ita fruſtulatim efferenda. poſtea ſapa, aut paſſum calidum infundendum, meatusq́ ob præcedentes moleſtias mitigandus.

De affectibus extra meatum auriũ contingentibus. Cap. LXXXIX

ATtritiones auricularũ in infantibus inflammatas oleo qđ in æneo uaſe æruginem ab ipſo ære contraxerit, iugiter inungito, & ſanabis. ꝙ ſi etiam contuſę fuerint, myrrham, mannam, thus, terram nigram qua nõnulli pro ſtrigili utuntur cum cera ad cerati cõſiſtentiam conficito & illinito, caueq́ omnino ne locum irrites. uel ſulphur uiuum, myrram, thus, cũ liquida pice ſubigito, & ſplenium apponito. uel bituminis, aloes, thuris, cochlearum cum ſuis carnibus partes æquales cum aceto terito, & illine tanquam ceratum. uel applica paſtillum ad pudenda cõfectum: uel lumbricos cũ modico ſuæ terræ ubi latuerint, terito, & appone. ad aures uero perfractas intrinſecam cõcauitatem extrorſum uergentem argilla repleto, ſinitoq́ areſieri, deinde ſolanum illinito cum abſinthio, donec morbus deſierit. ꝙ ſi fracturæ inflammatio ſuperuenerit, tepidum butyrum in meatum inſtillato, aut anſerinum adipem, aut gallinaceum, aut polygoni, coriandri'ue ſuccum, aut decoctum corij mali punici dulcis, uel glaucium adhibeto. utere etiam hoc emplaſtro: ſandycis, olei ſing. lib. i. aquæ unc. vi. decoque ſimul uſq́ ad exactam confectionem, & utere.

De parotidibus. Cap. XC

PArotides è genere inflammationũ ſunt, eueniuntq́ affectis glandulis quæ auribus adiacent: non tamen ad eas utimur quemadmodum ad reliqua inflammata membra in principio reprimentibus, ſed cõtra attrahentibus, feſtinantes noxium humorem è profundo ad cutim euocare, naturæq́ opem ferre per abceſſus frequenter febres curanti. ubi uero ingenti motu materia ad locũ irruerit, naturæ totum opus committentes nihil agemus ſuperuacuum: ſi enim uel cucurbitulam, uel medicamentum è profundo attrahens applicabimus, hominem uehemens dolor inuadet, ob quẽ uigiliæ ſuborientur, febres intendentur, ac uires ſoluentur. potius igitur locũ placidiſſimis linimẽtis mitigare oportet quàm humorũ curſum iuuare. linimẽta uero eligenda ſunt quę cũ humiditate moderata calorẽ habeant do-

loribus

loribus ſedandis, atq; influentibus humoribus maturādis & ſuppurandis idoneū, quos ſuppuratos diſcutere enitemur, & ſi durities affuerit mollitiua attrahentibus cōmiſcebimus. at ingenti dolore exuberante, humoribusq; defluentibus locū aſſidue butyro illinemus, aut ſuillum adipem cū butyro liquantes cera exigua addita ut molliſſimū ceratum fiat, applicabimus. mediocres uero parotidas ad quas neq; plurimi humores influūt, neq; uehemens dolor infeſtet, neq; ſuppuratio expectetur, facile curabimus fomentis è muria, & cataplaſmatis & medicamentis exquiſitiſſime diſcutientibus, quale eſt qđ ad Mnaſeam refertur, & qđ diachylon, id eſt, è ſuccis uocatur, è quibus adhuc longe magis molliunt, quæ cerati formam habuerint, è butyro aut œſypo confecta additis oſtreis crematis, aut buccinis, aut purpuris. quale illud eſt, adipis porcini antiqui diſſoluti unc. vi. butyri unc. i. ceræ unc. i. s. oſtreorū combuſtorū tritiſſimorū unc. ii. liquatis liquabilibus oſtrea admiſceto ac fidenter utitor. Aliud optimū: zopiſſæ, quā & apochyma uocant unc. vi. picis unc. viii. ceræ unc. iii. colophoniæ unc. ii. adipis uituli unc. i. s. bituminis unc. ii. reliqua quidem liquato & excolato, bitumen uero cum modico aceto ſubigito illiq; liquabilia admiſceto deinde omnia ſimul ſubigito, & utere. ad induratas autē & diuturnas parotidas, buccinæ crematæ & oſtrea cuncta adipi ſuillo liquido admixta, ueluti dictum eſt, omnino ſine moleſtia diſcutiunt, neq; his tantum, ſed reliquis quoq; induratis inflammationibus cōferunt. ergo ad duriores parotidas emplaſtro è buccinis ad Oribaſium relato utemur & alio è miſye, quod adſcribitur Dionyſio, quæ loco de emplaſtris deſcribentur.

De ægritudinibus naſi. Cap. XCI

E Genere tumorū preter naturam polypi ſunt qui in naſo oriuntur, ſicut è genere ulcerum ozænæ, & excretionum naturam excedentium ſanguinis eruptio. ozænæ igitur ab acrium putridorumq; humorum defluxu fiunt, qui ſi acres tantū fuerint ulcera ſanatu quidē difficilia minime tamen fœtida generare parati ſunt. Qui uero polypus appellatur ſubſtantiæ proprietate colore & cōſiſtentia polypi marini carnibus ſimilatur ex craſſis lentisq; humoribus genitus. cōmunis tamen curatio utriq; eſt, ozænæ inquam & polypo, ut primo exiccetur, firmeturq; caput, utrunq; enim ob copioſum prauorum humorum defluxū fieri cōſtat. quomodo autē firmari caput oporteat, loco de capitis dolore docuimus, poſitis ibi diuerſorum ſmegmatū & epithematum deſcriptionibus, quæ tum in ſincipite, tum in toto capite prius deraſo applicari debent. præter illa uero optimum quoque eſt quod ex anemona conficitur capiti appoſitum, atq; aliud huiuſmodi, myrrhæ, thuris ſing. unc. i. cochleas integras numero quinq;, albumina ouorū duo tundito in mortario, & cōmiſceto, & illine caput ſuperpoſito linteo, ac nouem diebus ſinito, deinde ad localia præſidia deuenies.

Ozænarum curatio. Cap. XCII

VBi igitur cum his quæ proxime diximus caput recte firmaueris ad naſi curationem accedes, directa intentione in ozænis ad partem affectam exiccandam medicamentis mixtarū facultatum repellentibus ſimul & diſcutientibus. repellunt auſtera & acerba, diſcutiunt calida & ſicca, Archigenes autem ad narium ozænas iſta deſcripſit. Calamenti ſuccū inſtilla, aut idem aridū tritumq; inſuffla, uel melle in nares ſtillato poſt aliquod ſpatiū adhibito ſternutamento cruſtas excutito, deinde elleborus cū ſemine naſturtij tritus ab ęgro inſpiratione attrahatur, poſtea amurcā cū melle illinito, uel ranunculi ſuccū cū liquido alumine in nares inſtillato, atque attrahi iubeto, idq; tam diu repetas donec ſanaueris. quod ſi morbus antiquus ſit, acerrimū acetū admiſceto, nariumq; meatus ſpica & miſyos portionibus æquis è uino auſtero ad fecis conſiſtentiam ſubactis inungito & lanam ſuy

perligato. optime etiam ad ozænas facit atramentum ſutorium cum melle decocto aſſumptū, ſimili modo & chalcitis & ærugo & ſquamma æris & quod antheron ſtomaticon dicitur, atq; aliud tale: chalcitidis crudę drac.xii.cadmiæ drac.viii. tere ex aceto canicularibus diebus, & ubi poſt plurimos dies deſiccatū fuerit utere è uino diluens, aut idem aridū inſuffla. uel miſyos, chalcitidis, mirrhę ſing.drac.vii.atramenti ſutorij drach.vi.aluminis ſciſſilis, gallarū, ſquammę ęris ſing.drach.iiii.aluminis rotundi drach.ii.thuris drach.i. aceti ſextariū unū, omnia ſimul trita in ęneo uaſe ad mellis cōſiſtentiam decoquito, deinde linamentum hac medicina intinctū in nares intimas applicato, ſeminis, uel ericę, myrrhę, nitri, malicorij ſing.drach.iiii.croci drach.i.coſti drach.ii.tere, & inſuffla. uel aluminis ſciſſilis, mirrhæ ſin.drac.iiii.ſandarachę, rhu obſoniorū, ſalis ammoniaci, croci, coſti ſing.drach.ii. tere & inſuffla ablutis prius naribus uino mulſo. Aliud Theodori ad nariū fœtorem. Amomi, myrrhę, roſarum aridarum portiones ęquas cum oleo nardino dilue, & utere. uel caſię, myrrhę, roſarū, ſingulorū partes ęquales, terito, cribrato, ac melle irrigato illinitoq; mane ac ſero, donec ęger cōualeſcat: uel hedychroū cū mulſo terito, & utere. Aliud quod iucundum uocatur. Myrrhę drach.iiii.floris iunci odorati drach.i.roſarū ſiccarū tantundem terito cū uino mulſo, & utere illinendo nares. Aliud quo iugiter ad ozęnas utimur. Cōfectioni paſtilli Muſæ adijcito chalcitidis drach.vi.interdū & drach.xii.ellebori drach.ii.& utere cum mulſo. Aliud. Myrrhę drach.iii.chalcitidis drach.iiii.caſię drac.iii.ſpicę nardi, miſyos ſin.drac. ii. ellebori albi drac.i.utere arido, & cū melle. Aliud bonū.

Miſyos torrefacti unc.viii.iridis drach.iiii.croci drach.i.aſſumito cum melle & utitor. Aliud. Aluminis ſciſſilis unc.i.myrrhæ tantundē, thuris, muſcilij herbę quā dorcadiadem uocant ſin.drac.iiii.ęruginis drac.ii. ſalis ammoniaci ſcrup.iiii.aceti quod ſufficit. Aliud etiam quod polypis confert. Aeris uſti, ſtomomatis ferri, aluminis, myrrhæ, ariſtolochiæ, uerbenacæ rectæ, ſquammæ æris, æruginis portiones ęquas miſce & utere interdum uino diluens & cū linamento imponens, interdū cōfectione diamoron, interdū melle, ſæpe etiam aridū inſufflans, ore ægri prius aqua repleto. Aliud ad ozænas cuius uſum non contemnes.

Centaurij minoris, polij uſti, chamæmali uſti ſing.drach.viii. æruginis ſquammæ æris, radicis aridæ calamenthi, myrrhæ, aloes, malicorij ſing.drach.iiii. tere & utere, ut uolueris. Paſtillus ad ozęnas Cyriaci Archiatri Edeſſæ urbis. Cadmiæ uſtæ, plumbaginis, plumbi uſti, ſpumæ argenti, ſpicæ, thuris, foliorū cupreſſi, ſauinę, gallarū, licij indici, gummi ſin.drach.iiii. ceruſſæ, glaucij, rubricæ, folij, balauſtiorum, floris iunci odorati, malicorij, aloes, acaciæ ſin.ſcrup.viii. foliorū punicæ, roſarū ſiccarum ſing.ſcrup.v. terito cribrato, & cum aceto paſtillos conficito, atq; uſus tempore uino aut ſapa diluito. Aliud. Foliorum uitis albæ unc. iii. mannæ, atramenti ſutorij, thuris, chalcitidis, ariſtolochię ſing.drac.iii.terito & aridum inſuffla. Aliud. Cyperi unc.iii.ſandarachæ, aluminis, myrrhæ, croci ſing.unc.i.miſce & aridum inſufflato. Aliud Apollonij ad polypos. Elleborum & origanum ſimul contrita inſuffla: aut elleborum nigrum & ſandaracham æquis portionibus cum oleo terito lanaq; excipito, ac nares oppleto. uel atramentum ſutorium æruginem æris & laſerem ſimul cum oleo ſubigito, deinde ſpecillo lana inuoluto naribus quinq; diebus illinito, poſtea ſenſim attrahito & polypum eximes. uel auripigmentum tritum ſpicillo copioſe imponito, atq; ubi locus intumuerit, elleborum nigrum aridum & tritum moderate applicato. ſeptem enim diebus ut quàm tardiſſime fiat, nares expurgabuntur, quas deinde exteres, uel diphryge cum melle trito, uel auripigmento, uel calce, uel elleboro albo, trito, & ſpecillo impoſito.

Polyporum curatio. Cap. XCIII

EX craſſis uiſcidiſq; humoribus, ſicuti dictũ eſt, polypus originẽ ducit, propterea mixta materia adſtringente inq̃ incidente & diſcutiente indigebit, ut hoc habet. aluminis ſciſſilis, myrrhę, ſandarachæ ſin. drac. iiii. æris uſti drac. i. gallarum tantundẽ, tere & utere narib. prius uino odorato ablutis, deinde nucleo ſpicilli illitis. ſed & illa adhibere poteris, quę ad ozęnas deſcripta ſunt. Aliud ad polypos. ſoreos drac. ii. chalcitidis torrefactę, ammoniaci ſing. drach. ii. myrrhę drac. iiii. croci drac. i. utere arido. Aliud perq̃ mirabile, Soreos unc. iii. aluminis ſciſſilis unc. iii. gallarũ myrrhę ſin. unc. ii. Aliud ad polypos ozęnas, ęgilopas & quęcũq; uolueris ſine inciſione uſtione ue tollere, quod etiam corrupta oſſa adimit. Scobis rubri ęris unc. i. ſalis ammoniaci unc. ii. aluminis rotundi unc. iii. aceti acerrimi heminas ſex. arida terito, iniectoq; aceto excipito in uas ex ære rubro, atq; inſolato radio æneo ſub canis feruore ſubigens donec areſcat, deinde tritũ in fictili reconditо, atq; uſus tempore in nares puluiſculũ arundine inſufflato, iubendo interim ut ęger aquam in ore contineat. Aliud ad polypos & ozęnas. Sinapi tritũ aqua madefacito, ac glandiũ formas conficito, quas uſus tempore in tenui linteolo inuolues, ut quoties libuerit facile eximas, atq; ita naribus impones, linteoli ſummitate prius aliquo pingui extrinſecus illita, finitoq; integram diem, & polypus excidet. Aliud ad polypos, ozęnas & carnis excreſcentias in naribus. Aluminis ſciſſilis ſcrup. ix. rotundi ſcrup. vi. atramenti ſutorij ſcrup. iii. chalcitidis ſcru. xviii. myſios, myrræ ſing. tantundẽ, thuris ſcrup. iii. gallarũ ſcrup. xii. terito cribrato & cũ aceto ad collyriorũ formam paſtillos cõficito, uſus tempore cum aceto & melle diluito, & linamentũ medicamine intinctũ in nares imponito, diemq; integram ſinito, poſtero die remoueto, & polypus plerunq; ſubſequetur: & ſi perſtiterit, idem repetito. Aliud Apollonij ad polypos. Noctuę iugulatę calidũ ſanguinẽ polypo illine, reliquũ ſub ſole exiccatũ reponito, deinde aridũ terito, & applicato.

Aliud eiuſdẽ ad ulceratos polypos & ozęnas. Caninũ fimũ candidũ aceto dilutum illine, ſumme enim opitulatur. Ad polypos & carniũ excreſcentias Oribaſij. Squammę ęris drac. viii. ſandarachę drac. iiii. ęris uſti drac. vi. ellebori nigri drac. ii. aridũ inſuffla tanq; pręſtantiſſimũ. decẽ enim diebus quantũ pręſidij ferat, aperte indicabit. Aliud ulceratos polypos erodens. Dracunculi radicẽ tritam applicato, aut eiuſdem ſuccũ illinito, aut cũpreſſi pilulas carne ſicuũ excæptas, apponito, aut ſaluiam illine & laſerẽ cũ atramenti & ęruginis ęquis portionibus. ego aũt inquit Galenus ad polypos naſi & ozęnas, deprehendi feliciter ſuccedere ea quę ſtatim ſubſcribam. primo id quod ė punicis malis conficit̃: ſumantur punica triũ generũ numero & magnitudine ęqualia, auſtera, dulcia, & acida, quæ adhuc recentia contundere oportet, totaq; penitus infringere ut ſuccus exprimi poſſit, quẽ ubi lento igne decoxeris, in ſtanneo uaſe ſeruabis. qd' uero craſſum ſolidumq; dereliqueras, rurſus in mortario exquiſitiſſime contundes, ac deinde ex eo collyria oblonga cõficies craſſitie & longitudine differẽtia, deinde exiccabis, atq; uſus tempore eliges ex ijs, qd' meatui nariũ ęgri magis accõmodabit̃, in quo polypus fuerit. temporis eñ progreſſu abſq; eroſione polypũ auferet. q̧ ſi tibi humidior molliorq; uidebit̃ polypus, plus auſterorũ punicorũ inijcies. ſi aridior plus acidiorũ. quoniã uero collyria huiuſcemodi haud facile tolerant̃, poterũt quãdoq; intermitti, atq; interim ſuccũ prius expreſsũ in nares infundi, ſimulq; ore hiante illini qua parte palatũ uerſus naſum perforat̃, aut penna, aut lana ſpicillo inuoluta. inter arida uero medicamẽta diphryges efficaciſſimũ ẽ, eo eñ ſolo polypũ quãdoq; ſublatũ nouimus: nec parũ confert idẽ collyriũ ė punicis malis aridũ minutiſſime tritũ & inſufflatũ, aut nucleo ſpicilli impoſitũ, q̃ oia aſſidue faciẽda ſunt, neq; unq̃

pars affecta abſq; medicamento dimittenda, facile enim ob influentem humorem eluitur. at in eunuchis corporibusq; mollioribus ac propterea eroſionem non tolerantibus, roſas aridas minutiſſime tritas imponito: nam mollibus humidisq; temperaturis mirifice congruunt. in quodam etiam diuite ozæna laborante, dum odoratum quodpiam medicamentum ſibi adhiberi flagitaret, paſtillũ hedychroum uino aromatico antiquo madefactum adhibuimus, uixq; credi queat, quam cito ſanitati ſit reſtitutus, cuius confectio in theriacæ deſcriptione explicatur. Aliud Nechepſonis regis ad carnis excreſcentiam in naribus. ſquammę ferri, ſquammæ æris, aluminis ſciſſilis æquas portiones, terito & inſufflato aut ſpicillo imponito, ac linamentis utere. Aliud Aſclepiadis ad polypos. Atramenti ſutorij uſti drach. i. diphrigis, calcis uſtæ, ſandarachæ ſing. drach. ii. terito & aridũ imponito, aut contortum linamentum aqua præmadefactũ & medicamento inſperſum applicato. Aliud quo utebatur Antipater. Atramenti ſutorij drach. iiii. rubricæ ſinopicæ drach. i. terito & inſufflato. Aliud Muſæ. Sandarachæ, atramenti ſutorij portiones æquas tere & inſuffla aut ſpicillo impone.

Ad ulcera in naribus. Cap. XCIIII.

VLcera nariũ ſimpliciora ſemper curaui paſtillo andronis, aut paſſionis, aut polyidis, aut bithyni aut muſæ, quandoq; uino dulci diluens, quandoq; auſtero, interdum & aceto, à morbi accidentibus, uſu medicamentorũ inuento. Archigenes uero linimentis quæ lipara appellantur talibus utebatur: ſcoriæ plumbi & myrti portiones æquas ex uino antiquo tritas in fictili ad prunas agitatu aſſiduo ad fecis conſiſtentiam decoquito, tum in pyxide plumbea exceptum ſeruato. uel ſpumæ argenti drach. vi. ceruſſæ tantundem, plumbi uſti ac loti, myrrhæ, aloes ſing. drach. iiii. gallarum drac. i. uino & oleo myrtino diluito & utere. quod etiam ad ſedis morbos adhibetur. uel atramenti ſutorij drach. vii. aluminis ſciſſilis drach. vi. gallarum malicorij ſing. drach. iii. è uino terito & utere. uel ſpumę argenti drach. vi. ceruſſæ drac. viii, malicorij, aluminis ſciſſilis ſing. drach. iiii. uino diluito adiecto oleo myrtino, & in plumbeo uaſe ſeruato. optime ad eadem faciũt ſtellæ collyria & quæ libiana appellantur, ſed præcipue quæ ad Cleonem referuntur cum uino & myrtino diluta.

Ad eruptionem ſanguinis è naribus. Cap. XCV.

ERuptionem ſanguinis è naribus ſuccus foliorum urticæ, linamento impoſitus reprimit, ipſaq; met folia illita, & chalcitis arida trita linamento excepta & applicata. linamentum uero frigida præmadefactũ deuolui in chalcitide oportet. idem poteſt lyſimachij ſuccus & anthyllis uſta & ferulæ pars lanoſa cum aceto impoſita: item ruta trita, thus cum polygono, porri ſuccus, aſininus fimus recẽs cum ſucco porri & aceto linamento impoſitus confeſtim ſiſtet. aut eiuſdem fimi uſti cinerem inſufflato, aut ſpongiam nouam pice liquida madefactam urito & cinerem imponito. uel caudæ equinæ ſuccũ, aut ipſammet tritam applica, & frontẽ illine, aut ſaluiæ folia trita adhibeto, aut putamina ouorum urito, & terito, atq; horum partibus duabus, unam medullæ gallarum acerbarũ admiſceto, tum linamento aceto aut aqua præmadefacto excipito, & appone, frontemq; illine bulbis ex ſucco porri aut aceto tritis: aut gypſum albumine oui madefactum fronti ac naribus applicato, magis autẽ confert translucidus lapis qui ſpecularius uocatur, cum aceto uſtus. Aliud. Cochlearum carnem cum aceto terito, & utere: aut eaſdẽ cum ſuis domicilijs uſtas tere & fronti ac naribus ex aceto applica. Apollonij. Apollonius uero carnes inquit cochlearũ cũ thure tundito & nares oppleto, ita enim ſanguis ſiſtetur, eaſdẽ tamẽ fronti quoq; illinito. idẽ facit & medicamentum aridũ qđ ex anemona conficitur naribus ac fronti applicatũ, & qđ ex ſalice. illud

uero optimũ quo ego frequentiſſime uſus laudem comparaui. molarem lapidem ignitum acerrimo aceto extinguito, ac uaporẽ naribus admoue, atq; ita fluorem compeſces, neq; fruſtra ſpongijs frontem refrigerabis. caput præterea eleuari iubebis, radiceſq; manuum & inguina & poplites alligabis. Eiuſdem Apollonij.

Iubet quoq; Apollonius ad eruptionem ſanguinis narium pollicem pedis uinciri, & ita multum pertinacemq; ſanguinis fluxum arceri. cõfert & aures cera obturari atq; in ore pluuialẽ aquã frigidam contineri, eandemq; in aurem aduerſam inſtillari, uel in utranq;, ſi ab utroq; nariũ meatu ſanguis defluxerit. cucurbitulam etiam ſcapulis cum ſcarificatione applicato, atq; aliam peramplam uiſceribus, iocinori quidem ſi à dextro meatu emanauerit, lieni uero ſi à ſiniſtro. ſed nonnunq; ad uenam quoq; ſecandam trahimur, quoniam id ſumme confert. item rhoidarij & ochræ partes æquales aceto dilutas inſtillato in aduerſam aurem, ſiniſtram inq; ſi à dextro foramine, dextram ſi à ſiniſtro eruperit, potui etiam tradito ea, quæ ad ſputum ſanguinis deſcribemus.

Ad euocandum ſanguinem è naribus. Cap. XCVI

MEntham tritam melle aſſumito & confectis collyrijs naribus applicato, uel rubiæ radicem contritiſſimam, oleo admiſceto, & intimas nares illinito, uel graminis florem aut ſummam eius partem aſperiorem naribus impoſitam circumuoluito, donec ſanguis erumpat.

Galeni de obſtructione narium, & odoratu affecto. Cap. XCVII

OCulis quidem linguæ ac ori uniuerſo ſenſus & motus per neruos à cerebro diſtribuitur, uaporum uero ſenſorium intra caluam eſt, in prioribus cerebri uentriculis, uaporoſum ſpiritum continentibus. ſciri tamen prius oportet quo modo naſi ſtructura ſe habeat, quæ ue corpora meatibus eius continenter adhęreant. cum igitur naſus geminos meatus notatu dignos, & ſeptum habeat intermediũ, licet ambo illi meatus in ſingula quaq; nare unus tantũ appareat, in ſuperioribus tamen partibus naſi, unuſquiſq; eorum tam dexter quàm ſiniſter bifariam diuiditur, ita ut altera pars introrſum circa palatum decumbat, altera uero ſicut incœperat in ſublime aſcendens, ad cerebrum uſq; eleuatur. inſunt autem cerebro propagines geminæ, oblongæ, & concauæ, à prioribus quidem cerebri uentriculis enaſcentes, ad eam uero caluariæ partem progredientes ubi naſus exoritur, in qua etiam parte colatoria oſſa locantur, per quæ inſpiratio & reſpiratio à cerebro fit, atq; eiuſdem excrementa purgantur. durior aũt cerebri membrana, quatenus oſſa attingit colatoria, eatenus paruis diſtinguiť foraminibus, per quæ excolanť craſſiora cerebri excrementa quæ mucos uocamus: quę quidem prone delata primo quidem membranam pertranſeunt, poſtea uero per colatoria oſſa excolantur, & inde in naſi meatus dilabuntur, qui tandem locus ancipitem præſtat defluxũ. quandoq; enim in eum meatum quem tendere ad palatum diximus, excrementum declinat, præſertim ſi uiſcidum craſſumq; fuerit, quandoq; ad nares delatum egreditur. hæc uero quæ palato excernuntur, ſcreatu adiuuamus. at expulſio quæ naſo perficitur uiolentiori exſufflatione, & ſternutatione roboratur. reſpirandi igitur & odorandi gratia meatus producti ſunt qui à cerebro ad nares deueniũt, quibus ſubinde natura ad purganda cerebri excrementa utitur. ergo his ita ſe habentibus odorandi nocumentũ nõ meatibus naſi, ſed prioribus cerebri uentriculis ad intemperiem delatis, aut foraminibus colatorium os penetrantibus attinebit: quod plerunq; grauedine aut diſtillatione præcedentibus, uel earum partium refrigeratione aut humectatione cõtingit. aër enim pręcipue plus æquo frigidior inſpiratione attractus narium meatus & circumuicinas partes extemplo refrigerat. debet igitur primo qui odorandi facultatem uel aliquod muci excernendi inſtrumentum

affectum habuerit, in aridioribus locis uerſari, quales maritimi ſunt, exercitiaq; & frictiones & inunctiones collo eleuato ſingulis diebus pro uiriũ ratione admouere, caputq; fouere & nitro in balneo detergi marinaq; aqua ablui perfuſo & immerſo capite, balneoq; egreſſus frigida parumper inſpergi. optimũ eidẽ eſt in mari aſſidue natare, pręſertim ſi conſueuerit, aſſidueq; per os ac per nares caput purgare. cibi uero oblati attenuantis ſint facultatis, unde & acriũ comeſtio, quam drimyphagiam uocant, per interualla probatur. domus pręterea in qua degit, pro anni tempore ad caliditatẽ declinet. huic pręcipue meridianus ſomnus infeſtus eſt, dum uero hora dormiendi acceſſerit capite eleuato in latus ſanũ decumbat ſi forte altera tantũ naſi pars obturata fuerit: atq; ita quidẽ uictus rationi ſtudebimus, poſtea permittente aëris qualitate aluũ quoq; mouebimus hiera ex colocynthide relata ad Archigenẽ, inde ſublimioribus naſi partibus irudines applicabimus, donec idoneã ſanguinis copiã attraxerint. at tertia die peracta ſplenio à media fronte ad malam extenſo obſtructa naſi pars cõprehendat, illito aliquo emplaſtro eorũ, quę diſcuſſionẽ pollicentur, quale eſt malinũ Serapionis, aut qđ ad Hiceſiũ refertur, aut nigrũ Archigenis, quodq; è ſucco tithymali cõficitur, quodq; è ſcilla & huiuſmodi: à quibus nõ prius deſiſtemus, quã quindecim dies pertranſierint. poſtea cõfectione amara ex aloe cõtinue uenter ducatur, uſus enim eius aſſiduus nõ parum cõfert, tum apophlegmatiſmis utendũ ex uua taminia & maſticha. ubi uero idonea per os inanitio peracta ſit, naſo & fronti oblinendũ eſt emplaſtrũ ex agarico, aut ex canchrye, aut malagma ex baccis lauri, uel aliquod ſimile donec ſuperficies rubore excandeſcat: conſueuere enim talia mucoſum humorẽ ad ſuperficiem attrahere. deinceps ſternutatorio utendũ, primo quidẽ ſimpliciori, poſtea uero efficaciori, qualis eſt elleborus albus contritiſſimus. tertia aut quarta die poſt ſternutatorium tranſacta, abraſo capiti ſinapiſmus uſq; ad frontẽ applicandus eſt, ac deinde abluendus, poſtq; aliquot dies qui ſufficere uidebuntur, ſi oportuerit, caput per nares purgabis, ſitq; efficax quod adhibebis, quale eſt elateriũ cũ lacte, aut cyclamini ſuccus, aut cyclaminus ipſa arida, trita, & inſufflata, aut cucumeris agreſtis radix. nigellam quoq; minutiſſime terito, & cribrato, poſtea cũ oleo antiquiſſimo rurſus exquiſitiſſime cõtundito, traditaq; aqua ęgro tantiſper in ore continenda, in nares medicamentum infundito, iubetoq; ut inſpirando uehementius attrahat. hoc ego pręſidiũ cũ adoleſcenti cuidam adhibuiſſem, quẽ ob grauedinem diſtillationemq; diuturnã ſenſus odorandi defecerat, poſt tres ſubinde dies magnopere adiutus eſt: in quarta uero dum medicamentũ uehementer inſpirando attraheret, in penitioribus cerebri partibus ingentẽ mordicationẽ percępit, qua ſenſim diminuta poſtridie omnino ſanitatẽ adeptus eſt. nigella quoq; poſt eorũ uſum utiliter ex aceto aſſumit, ſed & reliqua huiuſcemodi odorata naribus iugiter admouenda ſunt, ut narciſſus, ſiſymbriũ, ſerpyllũ, liliorũ, uiolarumq; folia, mentha, polium, ruta agreſtis, ac thymũ pręcipue, & thymbra. omniũ uero utiliſſimũ eſt caſtoreum in aceto quantũ eſt cochleare, tritũ & cũ cyathis tribus aquę mulſę potũ, id plurimorũ medicamentorũ uicem ſupplebit, quod etiam efficacius fiet adiecto dimidio cyatho aceti ſcillitici, imò & acetũ ſcilliticũ diebus ſingulis exhibitum mirum in modum confert. & ſi poſt tot ingentes motus affectio adhuc quopiam pręſidio indiguerit, uomitus quoq; admittatur à rhaphanis inciſis & oxymelite, aut garo madefactis. poſtera die poſt uomitum à rhaphanis decoctũ abſinthij aut pulei bibatur, poſt quæ emplaſtrum è ſcilla loco de emplaſtris deſcriptũ naribus admoueto, quod ego expertus ſum aliquo tempore applicatum permittere, donec puſtulas quaſdam in loco excitaret, & uiſcidum humorem attraheret. hæc omnia & bis, & ter, & ſæpius admoueri oportet, ad pertinaciores affectus.

De ſter-

De ſternutatorijs. Cap. XCVIII

STernutatio fit calefacto aut refrigerato inani, quod eſt in cerebro, euenitq́ ſonitus, quoniam per inane & anguſtum erumpit ſpiritus: poſtea uero conſiderabimus quo modo ſternutatio capitis grauitati medeatur. perficiuntur ſternutationes ubi maximam inſpirationem exſufflatio celerrime conſequatur, exſufflationem uoco, confertam repentinamq́ exſpirationem: cerebrum enim geminas has facultates habet, quarũ altera è prioribus uentriculis excrementa contractione excernit, altera narium alas expandit & ſpiritum attrahit. tantum ergo contrahitur, ſi ad expellendam materiam ſola contractio ſuffecerit. ſi uero obturatis narium meatibus aggrauans flatus aut mucus extrudi non poterit, ad ſternutationem cerebrum ſtimulatur, uiolenta motione enitens quæ meatus obturant expellere: atq́ ita ſternutationes ſicuti dictũ eſt, capitis grauitati medentur, imò & affectus quidam cerebrum inuadentes, qualis præcipue lethargus eſt ſoporiferæq́ omnes diſpoſitiones, ſternutatorijs medicamentis maxime remouentur. ſi ergo ſolem inſpexerimus ad ſternutandũ excitamur, quoniam, ut arbitror, craſſiores flatus in cerebro expanduntur, ſternutationes uero craſſos ac lentos mucos à cerebro excutiunt ob uehementiorem delati ſpiritus impetum. cæterum ſternutationes excitare poſſunt elleborus albus, ſtruthium, piper, caſtoreum, cyclaminus, euphorbium, nitrum, cyminum, herba quæ ptarmice, id eſt, ſternutatoria appellatur, ſingula uel priuatim, uel ſimul ſumpta. quæ tamen inſufflanda nõ ſunt, ſed ſat erit pyxidem agitatam naribus admouere, aut nucleo ſpicilli eorum portiunculam intra naſum imponere. habemus quoq́ quædam ex his cõpoſita, quale illud eſt Heraclidis tarentini: cymini æthiopici, piperis, ſtruthij, caſtorei portiões ęquas terito & cribrato, inq́ æneam pyxidem ſeruato, qua uſus tempore admota naribus ſpiritus ualide attrahitur, aut nucleum ſpecilli medicamento illitum commode imponitur. Aliud. Piperis, ellebori albi, ſtruthij, euphorbij, caſtorei ſicci, portiones æquas terito & utere, ut dictum eſt. Aliud ad diuturnos capitis dolores, ad uertigines, epilepſiam & capitis grauitatem. Ellebori albi, ſtruthij, nitri rubei, caſtorei, piperis, ſing. drach. quatuor. utere ut ſupra diximus.

Ad redundantes ſternutationes reprimendas. Cap. XCIX

NImias ſternutationes compeſcent, quęcunq́ medentur grauedini, ut oleum roſaceũ in nares infuſum, dulce oleum, unguentũ nardinũ. quæ uero odoratu ſternutationem prohibent, ſunt aniſum, ocymi feſtucæ arentes, & tritæ, nigella trita, thymum cum fermento ſubactum & ſub cinere aſſatum deinde tritum: ſingula iſtorũ linteo inuoluta odoranda admouebis. myrrha præterea priuatim, uel cum thure è uino odorato trita, & naribus illita, aut hedychroon aut cyphi odoratum ſternutationes reprimit. confert & perfuſa tepida faciem fouere. ſi etiam naſi uenas utrinq́ magnis oculorum angulis adiacentes digito compreſſeris, ſternutationem coercebis.

Ne infantes ſternutent. Cap. C.

APollonius arcanum quoddam naturæ prodit ad infantium ſternutationes prohibendas. ciconiæ inquit pennæ in ædibus ſunt habendæ, atq́ ita fieri non poterit, ut infantes ſternutent.

SEXTI LIBRI FINIS

QVAE IN LIBRO SEPTIMO AETII AMIDENI CONTINENTVR

DE oculorum natura Cap. i
Quot qui'ue morbi circa oculum fiant Cap. ii
Curatio perturbationis oculorũ Ca. iii
Curatio inflammationis in oculi ſuperficie exiſtentis Cap. iiii
De flammationibus ob plenitudinem contingentibus & de chemoſi oculorum ubi obiter aphoriſmus exponitur Cap. v
De balneis lippientium Cap. vi
De uini potione Cap. vii
De ſanguinis miſſione Cap. viii
De purgatione ubi & propriæ lippitudinis notæ explicantur Cap. ix
De fomentatione Cap. x
De frigida oculorũ intemperie Cap. xi
De oculorum inflatione ex Demoſthene Cap. xii
De oculorum tumore quod uocant œdema Cap. xiii
De œdemate ad ſcirrhi ſpeciem accedente Cap. xiiii
Seueri curatio communis ulcerum oculi & confectio ſucci fœnugreci C. xv
De paruis animalibus, palea ſiue arena in oculum incidentibus Cap. xvi
De calce uiua incidente in oculum Cap. xvii
De ulceribus ab igne Cap. xviii
De ijs quæ oculo infiguntur Cap. xix
De hypoſphagmate Cap. xx
De punctionibus, quales à ſtilo eueniũt Cap. xxi
De uulneribus profundioribus Ca. xxii
De albuginei humoris excretione Cap. xxiii
De prolapſu totius oculi Cap. xxiiii
De ulceribus in ſuperficie exiſtentibus ex humorum decurſu genitis, caligine, nubecula, epicaumate, & encaumate Cap. xxv
De argemo Cap. xxvi
De foſſulis & concauitatibus Ca. xxvii
De pure aut ijs quæ onychia, id eſt, ungula appellantur Dionis collyria Cap. xxviii
De phlyctenis oculorum ex Apollonio Cap. xxix
De carbunculis genarum ex Seuero Cap. xxx
Ex Demoſthene de canceroſis ulceribus oculorum Cap. xxxi
De maleficis ulceribus oculorum Cap. xxxii
De myocephalis & pterygijs C. xxxiii
De ſtaphylomatibus Cap. xxxiiii
Chirurgia ſtaphylomatũ Cap. xxxv
De ulceribus ad cicatricem ducendis Cap. xxxvi
De cicatricibus oculorum ſiue albuginibus Cap. xxxvii
Materia eorum quæ attenuant cicatrices & albugines ex Galeno Cap. xxxviii
Alia ad cicatrices & albugines Cap. xxxix
Ad oculos glaucos ut pupillæ nigreſcant Cap. xli
De medicatione infantium Cap. xlii
De aſperitatibus denſitatibus'ue, ſycoſi & callo, collyriaq; diuerſa, & liquida linimenta ad aſperitates Cap. xliii
De oculorum imbecillitate ex Demoſthene Cap. xliiii
De myopia Cap. xlv
Ad nyctalopas, tum eos qui noctu non uident, tum eos qui noctu magis proſpiciunt Cap. xlvi
De oculorum hebetudine ex Galeno Cap. xlvii
De obſcuritate Cap. xlviii
De oculorum reſolutione Cap. xlix
De glaucedine ex Demoſthene Cap. l
De ſuffuſione ex Demoſthene Cap. li
De mydriaſi ſeu dilatatione pupillæ Cap. lii
De diminutione pupillæ Cap. liii
De atrophia & diminutione oculorum Cap. liiii
De expreſſione oculorum Cap. lv
De confuſione Cap. lvi
De ijs q̃ oculorũ albo innaſcunt̃ C. lvii

De pter-

De pterygijs Cap. lviij
Medicamenta ad pterygia Cap. lix
Pterygiorum chirurgia Cap. lx
De angulorum augmentis quæ encanthides appellantur. Cap. lxi
Chirurgia encanthidum Cap. lxij
De eruptione ſanguinis ab ab angulis Cap. lxiij
De genarum agglutinatione quam proſphyſin uocant & ancyloſi cap. lxiiij
De pediculis palpebrarum & lendibus Cap. lxv
De hiſpiditate genarum & deprauato pilorũ ordine & phalangoſi cap. lxvi
Medicamenta ne pili euulſi renaſcãtur Cap. lxvij
Glutina pilorum Cap. lxviij
De ſutura palpebrarum ex Leonida Cap. lxix
De ectropijs, id eſt, euerſionibus genarum ex Demoſthene Cap. lxx
Chirurgia euerſionum ex Antylo Cap. lxxi
De lagophthalmis Cap. lxxij
De oculorum duritie ex Demoſthene Cap. lxxiij
De ariditate oculorum Cap. lxxiiij
De ſcabie oculorum Cap. lxxv
Curatio duritiei ariditatis ſcabieiq́ oculorum Cap. lxxvi
De glabritie & ptiloſi palpebrarum Cap. lxxvij
De abſceſſibus genarum ex Demoſthene Ca. lxxviij
De lithiaſi genarum Ca. lxxix
De grandine oculi Cap. lxxx
De hordeolo genarum Cap. lxxxi
De ganglijs, atheromatibus, ſteatomatibus, & fauis genarum Cap. lxxxij
De uaricibus genarum & maleficis appendicibus Cap. lxxxiij
De ægilope ex Seuero cap. lxxxiiij
De uſtione ægilopum Cap. lxxxv
De anchilope Cap. lxxxvi
De fluoribus oculi & aduerſus eoſdem ſtibiũ Alexandri regis Cap. lxxxvij
Ex Seuero de inurentibus tempora Cap. lxxxviij
De arteriæ ſectione ex Seuero Cap. lxxxix
De periſcyphiſmo. i. excoriatione pericranij Cap. xc
De hypoſpathiſmo Cap. xci
De uaſorum curatione & de linimento è capitibus uiperarum confecto Ca. xcij
De temporum cataplaſmatis, & de glutinatorijs linimentis Cap. xciij
Totius capitis linimenta ex Seuero Cap. xciiij
Cataplaſmata oculorũ ex Dioſcoride Cap. xcv
Linimenta oculorum Cap. xcvi
De aridis collyrijs Cap. xcvij
De liquidis collyrijs Cap. xcviij
De collyrijs quæ ex croco & uarijs ſuccis conficiũtur Cap. xcix
De collyrijs quæ monohemera quaſi unius diei nuncupãtur ex Galeno Cap. c
De ſiſtentibus collyrijs Cap. ci
De immordacibus collyrijs Cap. cij
De candidis collyrijs immordacibus & cynarijs Cap. ciij
Collyria libiana ſtella tephra & ſpodiaca Cap. ciiij
Collyria ex thure Cap. cv
Collyrium Cleonis Cap. cvi
Collyria diarhoda candida & uiridia & diarhodon Nili Cap. cvij
Aliud collyrium Cap. cviij
Collyria diaſmyrna & chiaca è uino confecta Cap. cix
Aliud Philagrij Cap. cx
Collyria abſterſoria ad aſperitates Cap. cxi
Collyria quæ inſtillantur enſtacta appellata Cap. cxij
Collyria diaceratos. i. è cornu confecta, Aſclepiadæ ad ulcera phlyctænas & ad exterendas cicatrices Cap. cxiij
Collyria nardina & theodotia ca. cxiiij

FINIS

AETII AMIDENI MEDICI CLARISSIMI LIBER SEPTIMVS IOANNE Baptiſta Montano medico Veronenſe interprete

De oculorum natura. Caput primum

VARIA prorſus diuerſaq; oculorum curatio eſt, quoniam & membrum ipſum oculus inquam nõ ſimplex eſt, ſed ut ſubſiſteret plurima indiguit compoſitione, tunicis et humoribus genarumq; ornatu. natura enim à cerebro neruos quos opticos uocant, ad oculos deſtinauit: ſimulq; cum ipſis incedentem membranarũ cerebrum muniẽtium portionem, quam expoliendo & ueluti dilatãdo oculorũ tunicis ſubſtantiã prçparauit. atq; intimã quidem omniũ tunicam quam amphibleſtroidem, id eſt, retiformem appellãt, ex optico neruo formauit. rhagoidem uero præiacentem quam uueam nuncupamus, quod grano uuæ nigrç colore & ſpecie aſſimiletur, ex tenui membrana propagauit, figura circulari in pupilla perforatã. at quæ extra utranq; eſt ceratoides. i. cornea uocata ex duriori membrana producitur. extima uero omnium candida hæc quam coniunctiuam dicimus, ex membrana extrinſecus os capitis ambiente, quam modo perioſtion, modo pericranion uocãt, atq; ex propaginibus corporum oculo adiacentium generatur. tres autem ſunt oculi humores, quorum intimus quidem in retiformis tunicç cõcauitate contentus, uitreus nuncupatur. fuſo enim uitro & ſubſtantia & colore ſimilis eſt. qui autem extra retiformis terminos continetur, cryſtallinus uocatur, & à nõnullis diſcoformis & lentiformis, quoniã colore cryſtallo aſſimilaẽ, ſpecie uero lenti aut diſco. at extimus omnium albugineus appellatur, ꝙ ſubſtantia & colore albumini ouorum ſimilis ſit. natura igitur uitreum quidem humorem qui intimus eſt, alendi cryſtallini gratia generauit. circumfuſum uero exterius albugineum ad oculorum tutelam, ne. ſ. exterius à ſolis ſplendore lçderẽtur: genas poſtremo pãniculus agnatus cõſtituit cõgeminatus, ac ueluti indumentũ duplex genarũ muſculos circũplectens. horũ ſingulorũ quodcũq; à propria natura aberrauerit, çgrotare oculum cogit.

Quot quiue morbi circa oculum fiant. Cap. II

QVæ proprie ophthalmiæ. i. lippitudines appellãtur, chemoſes, perturbationes, œdemata. i. tumçfactiones, hypoſphagmata, pterygia, cõiunctiuæ tunicæ morbi ſunt. quæ etiam ulceratur, carbonesq; ac canceroſas affectiones perpetitur. ſclerophthalmia uero & xerophthalmia, quarum altera dura, altera ſicca lippitudo eſt, oculis & genis communicant. at in extima genarum ſuperficie aquoſitates quas hydatidas uocant, melicerides & ſteatomata eueniũt, ſicut intra eaſdem ſcabrities, hiſpiditas, ſycoſis, grãdo, lithiaſis, compactio, clauſio. nã lagophthalmi quaſi leporinos oculos prç ſe ferentes uocanẽ, ij quibus ſuperior gena reuulſa eſt, ut operiri oculus nequeat. contra ectropij appellantur quibus gena inferior euertitur. ſed & mutilationes, eroſiones, ulcerationesq; circa genas conſiſtunt. palpebris accidunt hiſpiditas, ordo pilorum præpoſterus, caluities, quç etiam glabrities dicitur. præterea phthiriaſis quam pediculationem nonnulli uocant, porrigo, hordeolum, & quã miltoſim appellãt, ꝙ in ea in rubricæ ſpeciem palpebrç rubeſcant.

anguli uero patiuntur quidem & ipſi ægilopas non ſoli tamen, ſed encanthides & rhyades ipſorum tãtum ægritudines ſunt, nec minus milphoſis angulis attinet, rubicundi enim & ueluti ardentes anguli fiunt, eo morbo laborãtibus rubricę colorem imitãtes. porrò in cornea tunica eueniunt, caligo, nebula, argemum, ardor, ulcus, cauitas, foſſula, fractio, prolapſus, ungula, pus, phlyctęnæ, carbunculi, cancroſę diſpoſitiones. in ea quam rhagoidem .i. uueam appellari diximus, prolapſus, myocephalum, ſtaphyloma, claui, mydriaſis, & quam platycoriã .i. dilatationẽ pupillæ uocant, item tabes, ſynchyſis, conuulſiones pupillæ. at ſuffuſio in foramine uueę .i. in pupilla oritur. albugineus quoq; humor, quandoq; ſeipſo plenior, quandoq; craſſior exquiſitum uiſum intercipit, ſicut diminutior cryſtallinum exiccat. quæ uero glaucedo appellatur, cryſtallini humoris uehemens ſiccitas eſt. hebetudo aũt nerui optici obſtructio, ut eius qui ita affectus ſit, ne minimum quidem nocumentum ſenſu percipiatur: pura enim pupilla conſpicitur, neq; quidpiam circa oculos uituperandũ apparet, cum tamen interea debiles ſint, & noctu potius perſpicaciores. cæterum in morbo qui erpieſmus appellatur, totus oculus manifeſte læditur. eſt aũt oculi prominentia quaſi extra decumbat. inchoãda igitur curatio eſt à ſimplicioribus magisq; in ſuperficie exiſtentibus oculorum morbis.

Curatio perturbationis oculorum. Cap. III

OCulorum perturbationes, fumo aut æſtu, aut puluere, aut quopiã tali obortas facile curabis. primo quidem iubendo ęgrum à cauſa lædente abſtinere, ueluti ſole, fumo, & huiuſmodi, oculosq; tepida primo, deinde & frigida abluere, auerſumq; à lumine conniuere. ita enim nulla re alia adhibita, ſalus parabitur. parcior tantum cibus offerendus, potusq; augendus, ſi ob æſtum affectio contigerit, nam & ſomnus profundior occupabit, & formidata lippitudo digeretur, ideo ne à balneo quidem abſtinendum ſi modo reliqua uictus ratio diligentius obſeruet̃. perſiſtente morbo quies adhibenda, illinendaq; genis collyria aut ex croco, aut ex roſis cõfecta, & præcipue collyrium Nili. ſordes uero ac gluten noctu circa palpebras collectum, repurgat et probe exterit poſca dilutior, uel aqua frigida priuatim inſperſa, aut aliquid aridorum quæ ad lachrymas ciendas conficiuntur, quale eſt crocodes quod procatalepticum nuncupatur.

Curatio inflammationis in oculi ſuperficie exiſtentis. Cap. IIII

INflammationi in ſuperficie membranæ cõiunctiuæ apparenti, niſi dolor uehemens affuerit, repulſorium collyrium admouebis, quod eroſionis uehemẽtiam ſedet, addito oui albumine, plerunque enim ſolum albumen ſufficit cum collyrijs quæ monohemera quaſi diaria nuncupantur. curabis quoq; inchoantes in ſuperficie ægritudines abſq; inflammatione uehemẽti, ſi ueſpere quidem balneum adhibebis. poſtero die ad firmitudinem roburq; parandum nardinum collyrium illines, cui prima illinitione minimum quidpiam repellentium admiſcebis: ſecunda minus adhuc. in quibus igitur adſtringentia dominantur, plurimũ albuminis adijci oportet, paucius uero collyrij. at in quibus maturantia exuberant, quale eſt nardinum, craſſiora illinenda ſunt. ſed & fomentum adhibeatur per ſpongiam moderate quidem dolentibus ſemel aut bis. ubi autem acrior dolor infeſtat, uel quinquies replicabis. ſenſus tamen hebetudo & acumen in oculo curando attendenda ſunt. quicunque enim oculi natura uenas latas habuerint & ſanguine refertas, quiq; glauci fuerint collyriorum adſtrictionem ne minimũ quidem ſuſtinent, propterea ijs dilutiora collyria adhibere oportet.

De inflammationibus ob plenitudinem contingentibus, & de chemoſi oculorum ubi obiter aphoriſmus exponitur. Cap. V

PLenitudine uniuerſum corpus aggrauãte, magna oculorum inflammatione

oborta, ingentiq; dolore affligente, ſolus collyriorum uſus non amplius ad huiuſmodi affectum ſufficiet, ſed uaria medicatione indigebimus, præſidiaq; aſſumenda erunt, quæ ab Hippocrate memorãtur, Oculorum inquit dolores, meri potio, aut balneũ, aut fomentum, aut alui ductio, aut ſanguinis miſſio ſoluit. non tamen eidem homini cuncta hęc adhiberi iubet, ſed alij ſanguinis miſſionẽ, alij fomentũ, alij ſolutionẽ alui, alij balneũ atq; alij meri potionẽ, à balneo igitur inchoabimus.

De balneis lippientium. Cap. VI

Congruit itaq; balneum quibus œdematica inflãmatio circa oculos ineſt. eſt autem œdema tumore laxum, tactu frigidum, colore candidum, humorq; illi influens, immordacior ac minus caleſcens, qui quidem oculo neq; ruborem neque extenſionem affert. euenit ferè id morbi genus in ſenio, hyemali tempore, ac mulieribus præſertim pinguibus, & omnino his qui pituitoſi cerebri fuerint. ubi ergo prædictæ omnes notæ apparuerint, fidẽdum maxime balneo, ita enim ægrũ leuat, ut alio præſidio non egeat. multum uero ſub dio perſiſtendũ, & oculi plurimum aridioribus fomentis cum ſpongia diligenter expreſſa fouendi ſunt: quod ubi feceris, planè ſenties œdema ſub calido aere euanuiſſe, atq; interim ægros penitus incolumes redditos. quod ſi quid ab integra curatione deliquerit, nardinum collyriũ balneum ingreſſuro infundito. at ſi remiſſior dolor uidebitur, craſſius collyrium aſſumito, diluens primo ad cotem. poſtea ubi lauerit patiens, ueluti dictũ eſt, balneumq; egreſſus fuerit, humore ſpongia diligẽter exterſo, collyrium illines obſeruando ne in oculũ incidat: magnũ enim nocumentũ afferre ſolet, propterea nec ſudãtes inungi oportet, quoniã ob fuſos in balneo humores defluens collyriũ, ſua quadam eroſione materiã facile ad oculos trahit, inflãmationemq; geminat. ſed ſi euenerit ut morbus iſte ſit pertinacior, atq; humoris ſubſtantia ad uehementiorem frigiditatem declinet, tũc capitis ſmegmata adhiberi oportet in balneo, & poſt balneum puluiſculos inſpergi: ac prius quidem ſimplicioribus uti, cauſa uero permanente ad compoſita aſcendere, quorũ materia huiuſmodi eſt: lauri baccæ, nitrum torrefactum uinoq; extinctum, ſampſuchus, fex uſta, & ſimilia. puluiſculi autem præcipue mulieribus cõſueti admouendi ſunt, quale eſt ex iride. ſemine apij, & pilulis cupreſſi confectũ, & qualia ſunt quæ xeromyra quaſi arida unguenta appellantur, neq; enim quæ adhibentur eſſe oportet immoderate calida, aut acria, ſed cõmixta, & mediocri adſtringendi facultate calefacere, quorum confectiones iam in præcedenti libro deſcripſimus. ſmegmata igitur in balneo ſincipiti ſunt apponenda, diſcretis inuicem capillis, ut remediũ propinquius corpori adhæreat: iubendumq; tantiſper in balneo clauſo ore perſiſti, ut plurima aeris ui uehementius per nares attracta, ſubiecta materia uelocius trãſmutetur. poſt balneũ uero capillis exquiſite deterſis puluiſculi, ſicuti docuimus inſpergendi. hactenus de balneis: nunc de uini potione dicendũ.

De uini potione. Cap. VII

Vinum craſſos humores permutat & attenuat, ſæpeq; ex accidenti illos etiã euacuat, quod eſſe oportet colore fuluum, ſubſtantia tenue, neq; adeò antiquum, neq; uehementer adſtringens, dandumq; maxime aſſuetis intemperiemq; ſiccam & frigidiorem habentibus. uino enim communio quædam uidetur ineſſe cum balneo. quando igitur uſus poſtulauerit, ut humores euacuentur & transmutentur, balneum admoueri oportet: ſed ubi permutandum, ſimulq; reficiendũ humectandum calefaciẽdumq; ſit, ac præterea moderate euacuandũ, uino indigebimus: quod quidem calidæ aquæ nec multæ admiſcebimus, minusq; dilutũ ſit quàm prius dilui conſueuerat. aquam uero puriſſimam eſſe conuenit, fumoq; & odore carentem, & feruidam, ſcilicet ut ſeipſa reddatur tenuior, ſufficiatq; ad maiorẽ uini copiam temperandam, exhibeaturq; in ampliori poculo, ſuper quo quàm maxime æger

me ægri oculos inter bibendū adaperiat. ita enim ſoluetur obſtructio, plurimisqꝫ effluentibus lachrymis ſpontinis & ſaluberrimis, dolor penitus remouebitur, atqꝫ genæ relaxabuntur, ac ſeipſis ad motum habiliores leuioresqꝫ reddent. obſeruandum tamen ne hominis caput pati ſoleat, tale enim à uini potione tutum non eſt. pro morbi uero reliquijs prius collyrio dulci ac prorſus immordaci ad præcedentes perturbationes ſedandas utemur. ſed ubi pacatiores oculi fuerint, atqꝫ ab ardore liberati, tunc repellentia applicabimus, quale eſt quod Hermolaus appellatur, reliquaqꝫ huiuſmodi ſtaltica quaſi contractoria uocata. nam rubore inflammationeqꝫ adhuc præſente adſtringētia collyria remoueri oportet, quæ adſtrictione ſua reliquias materiæ intrudētia dolorem adaugēt. atqꝫ hæc quidem de uini potione ſufficiant, nunc de ſanguinis miſſione dicendum.

De ſanguinis miſſione. Cap. VIII

SAnguis ergo mittendus eſt, niſi quid prohibuerit eorum quæ ſæpiſſime dicta ſunt, quando ingenti dolore oculos affligente plurima extenſio rubedo renitentia ad tactum atque ardor affuerit, feruidarumqꝫ lachrymarum copia defluxerit, ac tumor corneam pariter & coniunctiuā tunicam occupauerit, præ uehementi inflammatione oborta genæ ita euertantur, ut uix oculos poſſint occludere, totaqꝫ coniunctiua intumeſcens rubuerit, ac præterea uniuerſum corpus ſanguine repletum fuerit. uena autem quā potiſſime ſecare oportet ſuperior eſt, quam humeralem uocant, ſectionemqꝫ ampliorē facere expediet, ut craſſiore ſanguine euacuato & animi deliquio maturius inuecto protinus dolor ardorqꝫ inflāmationis auferri poſſit. toto uero corpore exinanito, collyrijs aliaqꝫ adhibita curādi diligentia ad morbi reliquias conuertemur: atqꝫ in hoc morbi genere collyria eligemus, quæ minime erodant, qualia ſunt cycnaria & libiana quopiam liquore calido affatim diluta & iugiter inſtillata. neqꝫ hic fomentis multum opus eſt, ſpongiam tantum ex tepida expreſſam ſuauiter applicabimus. alimenta autem offeremus immordacia, ſtomacho cōgrua, diſtributu facilia, urinam ducentia, minime acria aut ſalſa, aut craſſioris ſucci aut concoctioni renitentia: poſt inflammationis declinationem nardinum dilutius uſqꝫ ad exactam ſanitatem infundemus.

De purgatione ubi & propriæ lippitudinis notæ explicantur. Cap. IX

SI neqꝫ ætas, neqꝫ anni tempus, neqꝫ ſtomachi præcipue aut alterius cuiuſpiam uiſceris imbecillitas, aliud'ue inſigne nocumentū obſtiterit, purgationem admittemus, in quibus tenues multæqꝫ lachrymæ, aut ſalſæ, aut acres, aut frigidæ emanauerint, uniuerſumqꝫ corpus prauo ſucco abundauerit, caputqꝫ excrementoſum fuerit, iugiterqꝫ aluus ſiſti conſueuerit, & inde deprauatorū humorum multitudo aggregari, ingensqꝫ dolor infeſtauerit. ſicut enim in mittendo ſanguine plenitudinem corporis quam plethoram uocant, ita in purgatione ſuccorum prauitatem remouere cogitamus. neqꝫ uero una purgantiū natura, ſed multiplex eſt, quā pro uaria redundantium infeſtantiumqꝫ humorum qualitate uarie permutamus. quibus ergo aluus aſſidue detineri ſolet, aloem braſſicæ ſucco dilutā, in pilulasqꝫ redactā exhibebimus. quos uero pituita aquoſiqꝫ humores lædunt, ijs dato quod habet euphorbij, piperis, ſalis ammoniaci ſingulorum drach. viij. propinatur aridum in ouo ſorbili, cuius cōfectio in libro tertio explicatur. at ſi bilis exuberet, dabimus amaram ex aloe, admiſcentes ſcammoniæ triuſſimæ ſcrup. ij. aut quātum pro uirium ratione ſuffecturum uidebitur. ſin ſuccus melancholicus dominetur, addemus epithymi ſcrup. vi. ſcammoniæ obolos tres. poſt idoneam uero catharticι ſolutionem, ſi ſimplex quidem ac ſine ulcere fuerit affectio, adſtringentibus utemur collyrijs, quale eſt Hermolaus & reliqua huiuſmodi. ſin oculus ulceretur, ſimplicia & eroſione carentia applicabimus, qualia ſunt cycnaria & libiana. iam igitur quan-

tur quantum præſenti attinet uſui, Hippocratici aphoriſmi intentionem declarauimus, quomodo inquam uehementiſſimis doloribus inflammationibusq; ſit occurrẽdum. at quoniã plerunq; maxima remedia omittunt̃, præcipue purgatio & phlebotomia, ſpectandũ quo nam pacto tales curari oporteat. cum prędictis ergo notis cõmunibus ſunt & propriæ quædam omnem oculorũ ægritudinẽ arguentes. ſordes enim ac lachrymæ quandoq; apparent glutinoſæ & craſſæ, quandoq; tenues & protinus defluentes, interdum etiam ſalſę, interdum acres & mordaces, nonnunq; calidæ, nonnunq; frigidæ. quod ſi in principio lippitudinis ſtatim ſordes appareat, cruditatem indicat, diuturnamq; lippitudinem fore. his itaq; ſuauiter mederi oportet, dulcium collyriorum infuſione atq; alia huiuſmodi curandi ratione, ut paulatim uera concoctio fiat: repellentia enim collyria plerunq; cum frigida ſint, ſubſtantiam obſtruendo meatusq; conſtringendo & materias includendo uehementiſſimas inflãmationes doloresq; difficiles inuehũt, ut interdũ cornea tunica ob nimiã humorũ extenſionem diſrumpat̃, præcipue ubi rubor plurimaq; materia oculos occupauerit. talia uero ſunt collyria quæ ex plurimo opio & acacia confici ſolent, ſicuti Antoninus, Hermolaus, & quæ pelaria uocantur, atq; ijs ſimilia. nonnulli enim poſt longiorem Antonini collyrij uſum præter doloris additamentum uidendi quoq; facultatem iniuria affecerunt, nimia enim refrigeratione mortis ſimilitudinem membro inflixere.

De fomentatione. Cap. x

FOmenta adhibenda ſunt, ſi craſſiſſima ſordes præſertim in principio apparuerit, ut attenuet̃: tuncq; à balneis penitus abſtinendũ, quamuis alioqui fomentum balneo aſſimiletur. uinum uero quandoq; dandum, paucaq; alimẽta quæ ſtomacho congruant, quæq; attenuent. quod ſi durior aluus fuerit, abluenda eſt betę ac ſurfuris decocto cum melle & ſale, illinendumq; os ad euacuandam materiam cum confectione diamoron, aut alia oris collutione pituita euocanda eſt: plurimi enim maxillares muſculos iniuriæ habẽtes obnoxios difficulter mãdere poſſunt. poſtea uero, ſicuti dictũ eſt, ſimplicia collyria infundemus, ac ſi calida fuerit affectio utendũ ijs quæ libiana appellant̃: quale eſt quod nos ad huiuſmodi morbos experti ſumus: è quorũ quoq; numero eſt quod ad Heram refert̃, ab ipſo tephrũ uocatũ, pompholyge carens, quo libentius nos eius deſcriptionẽ admiſimus: nam pompholyx & perq; raro inuenit̃, & perq; facile adulterat̃. optima uero eſt colore non candida, ſed potius ad liuidũ uergens. hanc efficaciſſime experimur, ſi carbonibus admota auream flammam emiſerit. utendum ergo collyrio, quod tephrũ uocatur, aduerſus lippitudinem à calido humore generatam. quod ſi defuerit, ad aliud quodpiam ex libianis aut è cycnarijs accedendum. quod ſi inflãmatio affuerit cum calidæ lachrymæ defluxu, hecatontarchion dilutiſſimum infuſum opitulatur, niſi exulceratus ſit oculus. ſed ſi ſęuiat inflammatio, addendum hecatontarchio aliquod ex adſtringentibus collyrijs. ſi uero deſtillatio potius dominetur, ipſum priuatim dilutius infundi oportet. omnium autem efficaciſſimũ eſt, ubi ſordes craſſæ tenacesq; fuerint, collyrium quod è uino conficitur iſotheon appellatũ cum albumine oui infuſum, ita exacte dilutum, ut tantũ à collyrio albumen coloretur: ſtatim enim abſq; alio præſidio incolumitatẽ affert. at ſi poſt collyrij uſum punctionis cuiuſdã aut caloris ſenſus offendat, albumen oui infundito: delata enĩ lachryma à ſuperiori parte in gena ſiſtit̃, opinionemq; arenæ patiẽtibus affert. ac medici quidẽ credentes ijs quę ab ægro dicunt̃, arenulã ſubeſſe, genam inuerſam ſpongia detergunt: ac primo quidẽ æger ab ea ſuſpitione liberari uidet̃, poſtea uero maximũ ingruit nocumentũ, exaſperata enim gena pũctorius dolor geminat̃: ideo ijs q̃ ab ægris dicunt̃ non omnino credere oportet, perturbati enim doloribus

ignorant

ignorãt quod uere offendit. ergo poſt collyriũ fomentatio copioſa adhibenda eſt, nam ita inhærens lachryma diſſoluetur: deinde ad mordicationem ſedandam ſolum oui albumẽ prius tepefactũ infundemus. id enim meatus rarefacit, ſuoq; lentore facile lachrymã educit, & emplaſtico liquore humorũ acrimoniã contemperat, eorũdemq; tenuitatẽ ad cõmodam craſſitudinẽ trãsfert: utq; ſummatim dicã, ſiue infeſtet ſiue nõ infeſtet punctio, ſemp albumen oui priuatim infuſum cõfert, nam morboſam putredinẽ totã detergit: collyriorũ enim ſubſtãtia etiã ſi tenuiſſima fuerit, genis tamen atq; oculorũ tunicis inſidens, quandã inducit aſperitatem, præterq; ꝙ oculo impacta nihil utilitatis afferre cenſenda eſt. quidã uero ad dolorem hebetandũ acrimoniamq; dulcorandã lac pro ouo inſtillare cõſueuerunt, deceptiq; pro breui ſolatio diuturnos affectus inferũt: idem eñ peccãt, atq; ij q pinguia uulneribus applicãt, & carnis excreſcẽtias adaugent, imò & lac facile à calore ſuperatũ qui in oculo pter naturã eſt, cõfeſtim ad acrimoniã pmutat. ac de calida quidẽ lippitudine q̃ ſine ulcere fit, hactenus dictũ ſit, nũc ad frigidã accedẽdũ.

De frigida oculorum intemperie. Cap. XI

IN frigida uero oculorum intemperie minus quàm in calida dolores infeſtant, ſerius tamen curatur, & ſi in hac inflammatio ſuperueniat, œdematica fiet, colore ueluti plumbeo, neq; oculi ualde perturbati aut rubicũdi apparent, effluũtq; his lachrymæ à minori angulo, interdum tamen & à maiori paruiſſimæ & frigidiſſimæ. at progreſſu temporis genæ ſubinflammãtur, punctionesq; ſubſequuntur: conſiſtitq; is affectus ob pituitoſa frigidaq; excrementa in capite redundantia, nonnunquam & ob frigidi aeris occurſum, præſertim poſt balneum. ijs igitur oportuno clyſteri exinanitis, balneum admoueatur, ſed & uinum detur eo modo, quem paulo ante in Hippocratici aphoriſmi expoſitione tradidimus, infundatq; inchoante ægritudine nardinum Zoili dilutiſſimum. at quo magis lachrymæ minuuntur, eo craſſius reddatur collyrium, ſitq; tibi hæc communis curandorũ oculorum inteñtio, pro ratione decrementi influentis materiæ ſemper adhibitorum collyriorum ſubſtantiam reddere craſſiorem. declinante uero lippitudine, nardinum aqua dilutum genæ cum nucleo ſpecilli illinito.

De oculorum inflatione ex Demoſthene. Cap. XII

INflati dicuntur oculi, quando abſq; manifeſta cauſa intumeſcunt, decoloratiores q; ac magis pituitoſi pruriẽtesq; cum fluore efficiunt. ꝙ quidem ſenibus maxime euenit, inchoante pruritu ad angulũ naſi tanq; muſcæ uel culicis morſu in æſtate præcipue redundans. curatur fomento ſpongiæ, deinde interiori genæ illito melle, uel priuatim uel cũ croco aut liquido emplaſtro Heraſiſtrati qd' pãchreſton uocant: ſed & extrinſecus genis mel illinendum. confert & aluũ ducere, deinde lauari, & caput calida temperata perfundi, ac poſt balneum uinum calefactũ potare. ubi uero uehemens pruritus affuerit, ſi corporis habitus atq; aluus permiſerit, nihilq; aliud obſtiterit, uena cubiti ſecanda eſt, aut præmollita aluo corpus purgandum. aqua etiam marina præſertim in hyeme oculus recte colluitur.

De oculorum tumore quod uocant œdema. Cap. XIII.

TVmere oculum intelligimus, quando gena exterius attollitur decoloratior, grauior, ad motum contumacior pallidiorq; reddita, interdum & candidum genæ ſupereminet nigri quantitatem. nonnunq; etiam tumor laxus extra genam contingit, qui digito preſſus pari uelocitate meat & remeat, eſtq; plerũq; indolẽs, ac natiuo cõcolor fere à defluxu aqueo fieri ſolitus. qcũq; uero tumores circa genas abſq; oculorũ cõſenſu fiunt, præinanita per clyſterẽ aluo ſolis linimẽtis curandi ſunt, quæ adhibitis primo ſpongiæ fomentis apponi debent. ad laxũ aũt & concolorem tumorem, præeuacuata ſimiliter aluo poſt fomentationem mel interiori

genæ illinitur,uel liquidum emplaſtrum Heraſiſtrati.ſunt quoq; ad hos uſus idonei apophlegmatiſmi e melle cocto,uite domeſtica,thymo & puleio,nam acriora ſunt recuſanda,quemadmodũ uua taminia,& reliqua huiuſmodi.ubi autem oculus genæ conſenſu afficitur,præeuacuato uentre & ieiunio imperato,ſpongia locum fouebimus:interdum & totam faciem perfundemus,præſertim ubi pruritus infeſtauerit.deinde abſinthium tritum,& hyſſopum cum melle ſuperiori genæ illinemus.ſi uero corpus fuerit imbecillum,lentem elixam cribro coquinario aut rariori panno excolatã adiecto melle illinito. æſtate uero crocum cum mulſo applicato,aut quod ex ſucco coriandri, aut ſolani, aut ſeridis conficitur. idem facit & glaucium.oculum præterea inungito liquido linimento Heraſiſtrati,aut alio quopiam quod humiditatum copiam purgare queat.

De œdemate ad ſcirrhi ſpeciem accedente. Cap. XIIII

EVeniunt & circa oculos œdemata quæ ad ſcirrhi formam accedunt, renitentia & dura,progrediẽtia uſq; ad malas & ſupercilia,fiuntq; præcipue ex carbunculoſis affectibus diuturnisq; lippitudinibus ac mulieribus maxime eueniũt: oportet ergo ſi gena interius intumuerit,iuxta morẽ inuertere,et collyrijs ad aſperitatem præparatis fricare.quod ſi exterius tantum fuerit ægritudo, oculũ nullatenus inunges, ſed totius corporis atq; ipſius induratæ partis frictionem admouebis:deinde oculo ęgri occluſo quatuor extremis digitis diutiſſime locum fricabis. poſtea ſubſequenti collyrio inunges:thuris,gummi ſing.drach.vi.aluminis ſciſſilis drach.i.malicorij tãtundem terito ex aqua & illinito,ſinitoq; areſieri, & ubi aduesperaſcit,molle linteũ & lanam alligato,ac ſi æger robuſtior fuerit, plurima ambulatione interdiu ſenſim utatur,deuitetq; balnea,& moram ſub ſole cæteraq; calefactoria.itẽ legumina,bellaria,irã,ſpiritus retẽtionẽ,uomitũ et cõcubitũ fugiat.

Seueri curatio communis ulcerum oculi & confectio ſucci fœnogræci. Cap. XV

VLceratur oculus quandoq; quopiã extrorſum incidente, quandoq; acriorũ humorum deſtillatione erodente. ſiue igitur in coniunctiua, ſiue in cornea tunica,ſiue in genis,ſiue in angulis,ſiue in quacunq; oculi parte ulcus contigerit, communi conſilio curabitur, quemadmodũ & reliqua totius corporis ulcera, uel uenæ ſectione,uel purgatione,uel clyſteri,uel omnibus ſimul adhibitis, ſi ita occaſio poſtulauerit.uictus uero rationem infeſtanti humori cõtrariam adhibebimus, ut tenuis craſſeſcat, craſſus attenuetur,lentus incidatur, corruptus diſfletur,acris pingueſcat, & omnino ad temperiem ægri natura ducatur, ſemperq; obſeruabimus,ut alimentis alui mollities comparetur.inferiorum quoq; membrorũ frictionem adhibebimus,lõgasq; deambulationes ſenſim faciendas imperabimus:aquę etiam potione utemur, & lotionem rariſſimã concedemus. omnino uero collyria ad quodcunq; oculi ulcus infundi,quale eſt quod ſtella appellaẽ,ſingulare præſidium eſt.cãdida etiã cycnaria q̃ ita à colore nuncupanẽ,pręſertim q̃ ex ſucco fœnogręci cõficiunẽ,pariter cõprobanẽ.at ſi ulcus ſordidũ fuerit,cũ ſucco fœnogręci diſſoluenẽ collyria,atq; ita infundenẽ. eius eñ lentore ſordes facilius depellet, ſed præter lentorẽ relaxandi quoq; uirtute pollet,ut nos frequenter ad ulcera hoc tantũ uſi ſucco rem perfecerimus.ſi tamen ſordes redundauerit,ſucco fœnogręci quidpiam mellis addemus. fœnogræcũ aũt prius diligentiſſime purgari oportet, deinde plurimum ablui, poſtea in aqua dulci puriſſima die ac nocte madefactum in fictili exacte decoqui,uitariq; in decoctione uas æneũ.poſtero die effuſa priori aqua,& alia pura cõiecta ad ignem ſplendidũ fumo carentẽ decoquito.ideo uero primã & ſecũdã aquã abijcimus, ut ois inde amaritudo eximaẽ.tertio igiẽ puriſſima aqua adiecta,& exqſitiſſime operta ad liqdioris mellis cõſiſtentiã decoquito,

inde

índe per línteum excolabis, fœnogræcum nequaquam exprimens, ſed eo tantum ſucco contentus qui ſponte defluet, quem ad prædictos uſus ſeruabis. ſeruari autē in alteram diem, uel quãlongiſſime in tertiam poteſt, ulterius enim moratus acreſcit. ſed ubi ulcera ſatis purgata ſint, à ſucco fœnogræci abſtínebis: & ſi profunda fuerint, libianũ collyrium, aut potius quod ex thure conficitur, admouebis. at iam incarnatis ulceribus, & ad planitiem uel ad perquam exiguam profunditatem redactis collyria admouebis, quæ ad cicatricem ducunt, quale eſt quod ad Cleonem refertur. ac de communi ulcerum curatione ſat hactenus dictum ſit, reliquum eſt explicari quomodo ſingulum quodq; ſeorſum tractari oporteat, inchoãdumq; ab ulceribus ab extrinſeca cauſa illatis.

De paruis animalibus, palea ſiue arena in oculum incidentibus. Cap. XVI

SI in oculum culex inciderit aut aliud perexiguum animal, occluſo ſano oculo patiẽs aperiendus eſt, ut animal libere exeat. ſi uero palea aut arena quidpiam ue tale inciderit, idem quoq; fieri poteſt: quod ſi parum ſuccedat, uolſella ſuauiter extrahes, aut aquam, aut lac, aut potius mulſam infundes: ſin adhuc magis oculo adhæreat, medicamẽto quopiã uiſcido minime acri tentabis euellere, quale eſt qđ è melle cõficit̃.

De calce uiua incidente in oculum. Cap. XVII

SI calx uiua in oculũ inciderit, lac quidẽ aut aqua infuſa ulcera & incendit. oui uero albumen infuſum & magis oleum roſaceũ adurendi fac[...]tatem retũdit.

De ulceribus ab igne. Cap. XVIII

QVæ ulcera ab igne eueniunt duriores cruſtas inducunt, quas aſſiduo albuminis oui & lactis illitu madefieri oportet, collyrioq; uti quod è ſtibio conficitur, & eo quod ad Cleonem refertur.

De ijs quæ oculo infiguntur. Cap. XIX

AT ſi oculo ſurculus aut quodpiam impingatur oſſiculum, uolſella extrahemus, diligenter cauendo ne infringatur. ſi uero nihil emineat, ſed æqualẽ habeat cũ corpore ſupficiem, bina poma accipito, atq; utrinq; erectis nucleis cõprime oculũ, ut quod infixũ eſt in medio intercipiat̃. cumq; procũbere uidebit̃, uolſella extrahito, deinde ſanguinẽ turturis aut colũbæ aut oui albumen inſtillabis: quæ ſi parum ſucceſſerint, curato oculũ infuſionibus & linimẽtis q̃ ad inflãmationes cõficiunt̃. poſt aliquot enim dies ſuppurata punctione ꝙ infixũ eſt fluitabit.

De hypoſphagmate. Cap. XX

HYpoſphagma dicitur, quando ob percuſſionem quampiã fractis aut contuſis uaſis intra tunicas oculorum ſanguis colligitur, ac ſtatim quidem in principio ſanguineus color apparet, poſtea uero liueſcit. his mederi oportet communi adhibita curatione, quam paulo ſuprà de ulceribus explicauimus, ſectione uenæ, purgatione, ac reliquis quę ſequuntur, infundendo albumen oui tepefactum, aut ſanguinem turturis ſeu columbæ. ſuperiori uero genæ lanam uino, oleo roſaceo & ouo madefactam applicabimus, utq; oculus ad emittendam lachrymã commode aperiatur, uinculo laxiori utemur. poſtero die fouendus ſæpiſſime oculus ſpõgia expreſſa ex decocto abſinthij, ſed potiſſime hyſſopi, lana extrorſum appoſita, atq; ubi iam oculus ſine inflãmatione ſit, melle inungat̃, aut liquido linimẽto Heraſiſtrati, aut collyrio aromatico. benefacit quoq; ſolatri ſuccus cũ melle illitus, & thus cũ ęquali bituminis pondere ſuffitũ. ad diuturna uero hypoſphagmata id mirifice cõfert: in ahenũ rubrum pueri impolluti urinã cõiectã, tudicula ęnea ſub ſole aliquot diebus ſubigito, donec quantum ſucci ſat fuerit exudetur, tunc ſinito areſieri, & adiecto melle utitor. Aliud Apollonij mẽphitæ ad hypoſphagmata & uibices. Lapidis hæmatitę, ſanguinis à corde aſini extracti, ac ſub ſole arefacti

portiones æquas cũ pueri urina terito, adiecto naſturtij ſucco, quod hiberida uocant, ac collyria cõficito, uſus tempore cum muria infundito. Aliud. Lapidis hæmatitæ, columbini ſanguinis arefacti, aſinini ſing. drach. iiij. gummi drach. ij. terito ſimul, ut dictum eſt & utere. collyria quoq; Damocratis applicabis, diaſmyrnium & dialibanum & diacrocum appellata, præcellitq; ijs fœnogræci ſuccus decoctus, ſicut docuimus, & columbinus ſanguis.

De punctionibus quales à ſtilo eueniunt. Cap. XXI

PVnctiones oculorum quales à ſtilo aut quopiam tali cõtingunt, poſt curationem communem quam iam prædiximus, ſtatim à principio turturis aut columbæ ſanguine, aut oui albumine irrigentur. atq; initio quidem fomenta omnia uitari oportet. tertia uero aut quarta tranſacta præinanito uniuerſo corpore ſpongijs fouebis, & illines cataplaſmata quæ ad inflammationes deſcripta ſunt, ac collyria eroſione penitus carẽtia admouebis, etiam ſi ulcera impura cognoueris. uteris ergo ſpodiaco & tephro, & ſtella, & ſimilibus. benefacit & Nili diarhodon cũ ouo dilutum & infuſum.

De uulneribus profundioribus. Cap. XXII

VBi uero profundius maiusq; ulcus in oculo obtigerit, ut inſiti humores egredi periclitentur, obſeruari oportet ne inflammatio ſuperueniat, quam febris ſubſequatur. præ omnibus ergo ſi uirtus tolerauerit, cubiti uena ſecanda eſt: inter initia enim nihil hoc præſidio efficacius, ſed ſi ſectio uenæ fuerit prætermiſſa, ad purgantem medicinam ſtudium conuertes. quod ſi ne id quidem fieri poſſit, uſitatis clyſteribus aluum duces. oculũ uero oui albumine irrigabis, & illines linimento quod ex ouo ſimul cum uitello ac roſaceo & uino tepefacto cõficitur, excipiẽs lana & applicãs: ſubſequentibus diebus fouebis roſarum aut meliloti decocto, inſtillabisq; lac mulieris cum ouo tepefactum. linimentis præterea uteris quæ ad inflãmationes deſcripta ſunt, præſertim quod ex capitulis papaueris, meliloto, croco & pane præparatur. frons quoq; & tempora modico opio, plurimo croco admixto inungenda ſunt. leuia uero ſint linimenta, & ſuperior tãtum gena illinatur, ut cõmode aperiatur oculus ad defluentes lachrymas excernẽdas, qua ratione leuia quoq; ligamenta adhiberi oportet. quod ſi aliqui linimenta non tolerauerint, inungentur genæ, frons & tempora Nili diarhodo. at ſi uehementior dolor infeſtauerit, abraſis capillis & uertici & occipiti cucurbitulæ applicentur, propineturq; in nocte quodpiam eorum quæ anodyna appellãtur. circa ſeptimam uero dilutiſſimum Nili diarhodon uſq; ad exactam curationem inſtillabis. ſorbitiones autem pro cibo eligendæ ſunt boni ſucci, bonamq; reddentes aluum, oportet enim aluũ perq; facilem eſſe, ſed à uino uſq; ad declinationem omnino abſtinere oportet. cauenda quæcunq; caput replent & defluxum irritant.

De albuginei humoris excretione. Cap. XXIII

SI uero puncto oculo albugineus humor excernatur, ita ut oculi quantitas contrahatur, cætera quidem fient ad inflammationem arcendam quæ ſuperius dicta ſunt: ſed poſt inflammationis & ulceris declinationem balnei uſus & uinum tenue temperatum & boni ſucci conferet, ut ſcilicet corpus probo alimento nutriatur & humidum reparetur.

De prolapſu totius oculi. Cap. XXIIII

TOtius oculi prolapſus ex aliqua uiolenta capitis percuſſione contingit, aut carbũculoſis ulceribus, aut membranis & uaſis quibus oculus inſitus eſt, fractis uel relaxatis. in nõnullis enim oculus uniuerſus adeò extrorſum procidit, ut à genis operiri nequeat, imò interdum ad malas uſq; & ſupercilia prolapſus attingit: euenitq; id potiſſime ob caſum è ſublimi loco, uel ob uiolẽtas capitis pcuſſiones,

periculoſa

periculoſa ſanè affectio, propterea confeſtim curanda eſt ſectione uenæ aut purgatione, aut quodam alio ex ijs quę ad ulcera ſuprà explicauimus. è cibo quoque ſubtrahi oportet: deinde ouum, roſaceum & uinum lana excipiens apponito, poſtea cataplaſma quod ex capitulis papaueris, croco, meliloto & pane cõficitur, uel folia hyoſcyami cum pane, uel pſyllium calida modice madefactũ illinito. aſſidue uero linimenta immutanda ſunt, ne partes concalefactæ ſuppurentur. ſubſequentibus diebus ubi parum profeceris, deraſo capite occipitio cucurbitulam applicabis. ſi tamen adſit inflammatio, cucurbitulę non conuenient, ſed tepidum lac cum ouo iugiter infundi oportebit. declinãte inflammatiõe diarhodon Nili cum ouo, aut cum modico mellis ad ſaniem excernendã illinendum eſt. ſæpe etiam ſub genam ſpecilli nucleus immittendus, ut agglutinatio quæ fieri poſſet, impediatur. ꝙ ſi oculi prolapſus ingens omnino fuerit, ita ut nulla amplius ſpes uiſionis ſuperſit, cataplaſmatis utemur quæ ſuppurandi facultatẽ habeant: ſed & lenticula cum melle illinenda eſt, atq; inflammatione declinante balneum admittendum.

De ulceribus in ſuperficie exiſtentibus ab humorũ decurſu genitis, caligine, nubecula, epicaumate & encaumate. Cap. XXV

VLcera uero magis in ſuperficie exiſtentia, ob decurſum humorum generata diuerſimode nominantur: caligo enim eſt ulcus ſuperficiarũ in nigro oculi apparens, cœruleum caliginoſo aeri ſimile, nigri maximam partem occupans: ꝙ ſi ad pupillam peruenerit, uiſum difficilem reddit. nubecula eſt eiuſdem nigri ulcus, ſed caligine profundius & anguſtius, colore candicans. epicauma dicitur quando nigrum oculi in ſuperficie exaſperatũ incẽditur, ac ſpeciem cineris præbet. encauma uero eſt ulcus plerũq; ab igne generatum, cum cruſta impura in nigro aut albo oculi adueniens. in nigro tamen ſi ad profundum penetrauerit, plerũq; inter repurgandum ulcus ampliori tunicarum eroſione inuecta humores paulatim effunduntur, totusq; oculus effluit. ad ulcera igitur quæ in ſumma ſuperficie extiterint, ſiue cum febre, ſiue abſq; febre ſint, aluo prius per clyſterẽ euacuata, Nili diarhodon dilutiſſimum infundimus, atq; in ipſis infundendi collyrij interuallis, lac interim paulatim inſtillamus. poſt aliquot uero dies Nili collyrio admiſcẽdũ chia cum Apollonij, aut aromaticum, deniq; his quoq; puris utendum. at ubi purgata ulcera fuerint, Cleonis collyrium applicabis: ocyſſime enim cõglutinat ac tenues cicatrices reddit, ut uix ſenſu percipi poſſint.

De Argemo. Cap. XXVI

ARgemum eſt ulcuſculum in iride circulo, in albo quidem nigrum, in nigro uero candidum apparens: quod cum profundius ſordidiusq; contigerit, & nimis propere mundificetur, ſæpe procidit uuea, ideo emplaſticas illi medicinas in principio adhiberi oportet, ut ſine inflammatione perſiſtat, atq; obiter oculi tunica ſubnutrita cruſtam deponat.

De foſſulis & concauitatibus. Cap. XXVII

FOſſulæ appellantur, quando in nigro, caua, anguſta puraq; ulcera eueniunt, puncturis ſimilia. cõcauitates uero ſunt rotunda & latiora foſſulis ulcera, minus tamẽ profunda, q̃ non acribus collyrijs purgãda ſunt, ſed potius mitiorib. nutrienda, pcipue quę foſſulæ dicunt. cõcauitates aũt ſi antiquant, primo leuiter ab ſtergẽtibus curabimus, deinde ad incarnãtia pgemus, qualia ſunt ex thure confecta. at ubi planę fient, aut parũ admodũ concauæ, Cleonis collyriũ adhibebimus. ubi uero etiã ſordidæ ſint, mulſam infundimus. nos uero fœnogręci decocto præparato ſicuti diximus, mellis portiunculã cõmiſcentes rem quæſitã cõſequimur. utimur etiã ad caua & ſordida ulcera Theodotio Seueri cũ oui albumine diluto, quod ſine omni proſus dolore mũdificat, & ocyſſime ad cicatricẽ ducit. neq; uero ptermittenda hic eſt cõmunis illa curatio, quam ſuprà de ulceribus tradidimus.

De pure aut ijs quæ onychia, id eſt ungulæ appellantur Dionis collyria. Cap. XXVIII

PVs in ulceribus genitum diuerſas appellationes ſortitur. ungula enim uocatur, quando à profundiori ulcere effluens pus intra ipſas tunicas labitur, collectumq; in circulo iridis ſpeciem ungulæ imitatur. plurimo uero pure coniucniente, ac nigri dimidium occupante, aut ſe per totam corneam diffundente, oculū hypopyon, quaſi ſuppuratū uocamus. poteſt idem ſine ulcere accidere, ſi capitis dolor aut lippitudo aut inflammatio præceſſerit, ob cuius ingentem ardorem diſruptis uaſis ſanguis effuſus ſuppuretur. omnia uero hypopya pulſatorius dolor, ac circa uniuerſum oculum rubor & temporum dolor conſequitur, quæ reiectis in principio fomentis curabimus, facta prius alui per clyſterem inanitione ſanguinē à ſuperiori cubiti uena mittentes. deinde uenam quoq; anguli maioris oculi abſque illa conſueta colli deligatione ſecabimus: tum cucurbitulas occipitio, aut ſanguiſugas temporibus applicabimus: inde collyrijs ad inflammationem, præcipue Nili diarhodo cum ouo aut lacte diluto utemur. tranſacta tertia locū ſpongijs primo moderate, deinde per additamenta paulatim procedendo, magis ac magis fouebimus. ſuntq; hic emplaſtica collyria euitanda, diſcutientia uero & excolantia admittenda, præſertim chiacum Apollonij, & ſimilia. quę uero diaſmyrnia uocantur, uehementiſſime diſcutiētia & exiccantia ſtatim quidē tenuiores partes uberrime euacuāt: reſiduum uero craſſius redditum cogitur & exiccatur, ut uix extirpari queat. medicus uero quidam apud nos probatiſſimus ocularius, etiam concuſſione capitis multos hypopyo laborantes ſanauit: ſtatuebat em̄ eos in ſella erectos, & utrinq; ex obliquo caput complectebatur, deinde concutiebat ita, ut nos manifeſte pus delatum inferius conſpicaremur, ubi deinceps ob grauitatem perſiſtebat. quando igitur pus in ſuperficie fuerit, atq; ulceri proximus, in mundificando ulcere omnino & pus euaporat. ubi uero pus longe penitior profundiorq; ulcere fuerit, ut per medicamenta excolari nequeat, oculum circa iridem quæ & corona appellatur, ſub ipſius puris loco acu oblique perforari oportebit, ita em̄ pus excernetur: hæc tamen chirurgia admittenda non eſt, niſi loca inflammatione caruerint. Ex Demoſthene. Vbi uero in coniunctiua tunica ſuppurationes fiunt, cum eminentia rubedine maioriq; pulſu, eleuatis genis circumplexoq; humore coniunctiuam in parte inferiori ſcalpro ſenſim incides, atq; ubi pus effluxerit, utrinq; oui albumen inſtillabis: deinde integrum ouum cum uino mulſo ſubactum, molli lana excipiens oculo applicabis & alligabis: poſtero die ſpongia ex aqua expreſſa fouebis, inſtillatoq; ouo rurſus lanam prædicto medicamento madefactam appones, ac poſt tres dies collyrium ad Cleonem relatum illines, aut quodpiam aliud eorū quæ ad puncturas admitti ſolēt. Dionis uero collyriū tale eſt: ſpodij drach. vi. thuris, ſquāmæ æris, myrrhæ, acaciæ, ſpicæ nardi, opij torrefacti ſing. drach. i. gummi drach. vi. confice cum aqua pluuiali. uſus tempore cum oui albumine infundito, deinde lanam cum prædicto medicamento apponito. quod ſi ceſſante inflammatione ex inciſione caro decumbat, præcedens collyrium lacte dilutum illinito. probe etiam contrahit & mundificat chiacum.

De Phlyctænis. Cap. XXIX

PHlyctænæ & in albo oculi & in genis eueniūt, plerunq; tamen circa corneam conſiſtunt: harum quædam in ſuperficie, quædam in profundo fiunt. cornea enim tunica ex quatuor ueluti membranulis denſiſſimis tenuiſſimiſq; conſtituiť. interdum igitur phlyctæna ſub prima membrana exoritur, unde & colore nigrior apparet: interdum ſub ſecunda aut tertia quæ & candidior ſpectantibus offertur, quoniam in profundo occultatur: natiuus enim color phlyctænę niger eſt. cornea

uero

uero tunica ueluti cornu candicat. quãto ergo phlyctæna profundior fuerit, tanto candidior apparebit, magisq́ doloritica, & moleſtior: namq́ phlyctæna ſiue ob multitudinẽ erumpat ſiue ob acrimoniam erodat, ut inde membrana ulceretur, ul cus quidem in ſuperficie facillime, difficillime uero in profundo curabitur. immi net enim periculum, ne reſiduum corneæ, cum per quàm tenue ſit, infringatur, & procidat uuea, atq́ oculi humores effluant, præſertim ſi fractio in pupilla euene rit. fractionem enim pupillæ, quocunq́ modo curetur, aliud ingens malum conſe quitur: nam obducta ulceri cicatrice intercæpta uidendi acies excæcabitur. cum uero nonnunquam contingat ut ob carneæ tunicæ eroſionem uuea prolabatur, at que imaginem præbeat ueluti phlyctænæ in ſuperficie exiſtentis, id diligentiori inquiſitione indagari oportet. phlyctæna ergo exiſtens in ſuperficie undequaq́ ſi mili modo nigreſcit, non multa tamen neq́ exquiſita nigredine: uueæ uero dela pſæ pars tantum quæ procidit, nigra eſt aut cœrulea. illud uero indicium maxi mum, q́ baſim circuli uueæ prolapſæ candidam cõſpicaberis: cornea enim tunica colore candida eſt, qua fracta defluxit uuea. ſed & pupillę magnitudo in uuea de lapſu minuitur, aut omnino figuram uariat: neq́ enim in eo defluxu pupilla figu ram exquiſite circularẽ ſeruabit, ſed in aliqua parte ueluti reuulſa apparebit. præ dictæ igitur notæ diligenter ſunt aduertendæ, & ægritudines diſtinguendæ, quo niam pro ægritudinũ differentijs curationes quoq́ immutantᷓ. in uueæ enim pro lapſu magis adſtrigentibus & repellentibus utemur, in phlyctænis autem ſenſim diſcutientibus. ergo phlyctænas curabimus, primo iubentes, ut ægri parũ loquan tur, euitentq́ ſternutationes, iram, ſpiritus detentionem, nimium ſplendorem: de inde cibũ, ac potũ q̃ maxime cõtrahentes, aluũ quoq́ clyſtere acri citabimus, ten tabimusq́ lactis potione mollire, his quibus neq́ in ſtomacho aceſcit, neq́ nido rem contrahit, neq́ uomitum prouocat. ubi enim quidpiam horũ euenerit lac re moueri oportet, ac ius potius gallinæ aut cnici cremorem, aut aloen, aut aliquid ſimpliciorum aluum ducentium propinare. euitanda autẽ uehementiora cathar tica præcipue quæ ſtomacho aduerſantur. ligamenta etiam & linteorum lanæ ue applicationes ab eiſdem remouebimus: ſunt enim hęc infeſtiſſima nõ eis tantum, ſed omni quoq́ lippitudini, quæ ob acres humores euenerit. locus igitur in princi pio illinendus eſt quando inflammatio obſederit, leuibus quidem rebus ſed apte adhærentibus. ſumes enim linteola tenuiſſima & molliſſima ſuper quibus exten des cataplaſmata, & toti oculo appones complectendo malam ſuperciliũ & tem pora, ac tandiu permittes quandiu humida fuerint: ubi uero aruerint, ſtatim aufe res, nouumq́ rurſus ſimili modo appones. eligere autem oportet illa, quæ ad in flammationes conueniunt, ueluti ouorum uitellos cum croco & opij portiuncula ſapaq́ & pane ſubactos. congruunt etiam quæ adſtringunt ueluti poma cydonia decocta, aut malicoria in aqua elixata: obſeruandumq́ ſicuti ſæpius dictũ eſt, ne oculus arcte uinciatur, id enim aduerſiſſimũ eſt, imò ſedata inflammatione cata plaſmata quoq́ remouebis grauitatis ratione lædentia. in principio igitur diarho don Nili cum lacte dilutum & infuſum melius adhibebis, deinceps diaſmyrnium dialibanum & diacrocum. fomenta uero in principio quidem tepida applicabis, calidiora enim inflammationem exacuunt, poſt principium autem fomentorum calor augendus eſt. deambulationes & reliqui motus initio non conueniunt, tran ſacto initio balnea cæteraq́ caleſactoria conceduntur. toto curationis tempore à uino abſtinendum, & calida aqua potanda, cibiq́ molles & qui facile digerantur, aſſumendi, cauendumq́ in his à uenæ ſectione in fronte, aut angulis oculorum. procidit enim oculus, præcipue ſi inflammatio ſimul affuerit, aut ulceratio pro fundior.

De carbunculis genarum ex Seuero. Cap. XXX

QVoniam uero carbones è genere phyctenarum ſunt, in genis & ipſi orientes trahentesq; oculum ad maximum affectionis conſenſum, aduerſus hos quoq; præſidia afferemus, ubi prius notas, quibus diſcerni poſſint, tradiderimus: nam & alia quædam genas occupantia carbunculorũ ſuſpicionẽ afferunt imperitis. hordeola enim pani & uari circa genas contingunt, ſed cum tumore quodam, & plerunq; abſq; inflammatione, nec cũ multo dolore: carbones aũt ſtatim à principio maximũ ruborẽ præſeferũt, ut ab eis oculi incendant̃, neq; cito intumeſcũt aut attolluntur: ob immoderatũ enim feruorẽ ueluti fractio quædam carbonũ ſuperficiem inuadit, quodq; inde effluit tanq; mordax & acre, arefacit, & comburit, inq; propinqua loca morbum diſſeminat. ideo uehemẽs inflammatio cõſequitur, non oculos tantũ pertingens, ſed & partes circumiacentes aures præcipue & glandulas, ut inde frequẽter magna ulcera, & fractura oculi eueniat, imò & prolapſus, & ſtaphyloma, & proſphyſis: at ancyloſis, & palpebrarum glabrities, præterea carbonum cicatrices craſſiores ſunt & iugiter ulcerantur. atq; in reliquis quidem corporis partibus ſanguis à carbonibus effluens ob torrefactionem ater eſt, in oculis uero nullus omnino ſanguis à carbunculo emanat, neq; em̃ ſanguis in oculo exuberat, propterea carbunculi plerunq; colore albi in genis contingũt. ſi forte igitur ob congruam curationem feſtina ſanitas conſequatur carbonis ueſtigium non apparet. ſi uero perſiſtat morbus difficiliſq; reddat̃, locus neceſſario nigreſcit. carbonibus ergo inchoantibus, neq; ad cataplaſmata neq; ad unctiones ſtatim properandum eſt, ſed prius clyſtere aluus ducenda, dein lacte moderate decocto corpus purgandum & in quibus ſanguis redundat uena ſecanda, tum ſpongia locus fouendus, ſumendo à ſimplicioribus initiũ. nos enim adſtringentibus, & refrigerantibus ſæpe & exiccantibus medicinis tales curauimus. in principio itaq; dum adeſt incenſio humorum ebullitionem ſtudentes extinguere coriandro trito rubedinem oculi inungimus, interdũ & ſolanũ cum paſſo tritum & loco appoſitum, carbunculum confeſtim aboleuit, ſed uictus ratio in principio mirum in modum confert. frigida tamen cataplaſmata, carbonibus oculorum adhibita, repellũt quidem quod influit, ſedantq; exteriores inflammationes, ſed formidandũ ne materię præcipitentur ad oculum, id enim ſolanum paſſo cõmixtum perpetrauit: nam tumorem quidem protinus aboleuit, oculum uero excæcauit. at carbones iam depaſcentes uarie curandi ſunt: quod enim effluit acre exiſtens & mordax uicinis partibus diſtribuitur, & morbum cõmunicat, ut periculum ſit ne ipſe oculus afficiatur iniuria: nam inde eroſio ſolet contingere. ſpongia igitur fouendus oculus, & moderate irrigandus eſt, roſarum, aut rubi, aut palmitum uitis decocto, quod quidem tepidum ſit & ad lactis liquorẽ accedens. q; ſi putrida efficiant̃ loca, quia iam depaſcentia pręualuerit, ſæpe enim etiã genæ excidũt, tunc ad tales defluxus hypociſtidis ſuccum aquæ admiſcemus, myrtumq; & acaciam paſſo diluentes, locum inungimus, quippe in curando corpore materiæ eligendæ ſunt, medicinas enim nimiũ efficaces hæc loca nõ tolerant, ut æruginem æris & ſimilia: nam quamuis alioquĩ ſua mordicatione ſpem ſalutis afferre poſſint, ab oculis tamẽ ſunt remouenda, cũ partes neruoſæ & carnibus denudatæ ab his quæ uehementer mordicant, afficiantur iniuria, ut ſphaceliſmum quandoq; inferant. nos ergo cortices mali punici pręſertim acidi cum lentibus elixantes expreſſamq; inde medullam cum melle ſubigentes utiliſſime ſæpe applicauimus, id enim ocyſſime mundificat & humores ad locum delatos reprimit: nam pinguia depaſcentias intendunt, quæ ſi intendantur, in uino malicoria decoquito atq; ea priuatim ſine lentibus applicato, aut folia oliuæ trita apponito. malicoria tamen elixata, & trita cum melle cruſtas efficacius

exterunt

exterunt. ſunt & medicamenta compoſita ad carbunculos utiliſſima, in principio enim inflammationis paſtillus ex ſolano ueſicario ſummopere extinguit, cũ moderate refrigeret & exiccet. ſi uero excreſcens caro ſit contrahenda, paſtillum Muſæ aridum terimus, & apponimus. ſin contra incarnari oportcat eundem cum ſapa ſolutum illinimus. at ſi ad cicatricem intendamus, rurſus ex ſolano ueſicario paſtillum aſſumimus. Apollonij collyrium ad carbunculos. In oculorũ carbunculis, inquit Apollonius, hoc ego medicamento uti ſoleo: ſpodij drach. iiii. lapidis ſciſſilis drach. i. croci triobolum, myrrhæ paululum torrefactæ tantundem, terito cũ uino odorato quouſq; exiccent, deinde paſſi cretici, aut alterius minime acris heminam admiſceto, atq; omnia ſimul ſubigens, confice, & illine: cruſtas enim deterit, & repurgat ulcera, ſiue extra genas ſiue intra in profundo morbus contigerit. confert etiam fluori & inflammationi. ac ſi dolor oculum infeſtauerit, iſtud collyrium illinito, & ſtatim morbus deſiſtet: recrementi plumbi triti abluti & exiccati drach. iiii. ſpicæ nardi drach. i. gummi drach. ii. ſucci foliorũ oliuæ uiridium quod ſat fuerit, confice omnia cum ſucco, & utere. facit & diarhodon Nili cum ouo infuſum, omnibus uero præcellit nardinũ Candidi genus uſq; ad ſanitatẽ adeptam illitum. opus uero eſt, ut iam depuratis ulceribus fomenta applicemus, dein lac nudeo ſpecilli illitũ ſub genas imponamus, anguloſq; inuicem ſeparemus, ne ancyle, aut proſphyſis fiat, propterea neq; ligandus oculus eſt, præcipue poſt mundificationem: nam in carbunculorum principio ſi inflammationes ac maximæ extenſiones contigerint, cogimur lenticulam cum pane applicare. ſed & pſyllium calida aqua ſubmadefactum deinde tritum inflammationes mitigat, ad maximos enim reliquarum inflammationum oculi dolores appoſitum, illico ſomnum conciliat. neq; uero obliuiſci debemus cataplaſmata quàm leuiſſima facienda eſſe: nec multo tempore ſinenda loco affecto immorari: namq; ita putredinẽ adaugent, & oculum ſumma afficiunt iniuria, quemadmodũ etiam in phlyctænis prędiximus. aliquantulũ ergo ſedatis inflammationibus à cataplaſmatis in carbunculis, & phlyctænis protinus abſtinebimus, ad aurium uero inflammationem quæ per conſenſum affici ſolent, ſplenium ex cerato butyri applicato.

Ex Demoſthene de cancroſis ulceribus oculorum. Cap. XXXI

VLcuſcula uero in nigro oculi genita cicatrici aduerſantia, parua, dolorifica, uenas inſitas habentia, exiguas, uaricoſas, cancroſa appellantur, quæ interdum imaginaria cicatrice obducuntur, & abſq; maniſeſta ratione euaneſcunt. percipiuntur etiam punctiones quædam uſq; ad tempora diſcurrentes cum defluxu humoris moderate acris & tenuis & cum perpetuo ipſarũ partium oculi albæ inquam & nigræ rubore, ſed & ciborum appetitus proſternitur, uehementerq; increbreſcũt dolores, ſi acriora medicamenta applicentur. morbus is ſenioribus maxime poſt diuturnas lippitudines accidit, & mulieribus, quibus mẽſes defecerint, quem ſi curandum ſuſcæperis, primo uniuerſum corpus purgabis præfatus fieri non poſſe, ut exacte ſanetur, mitigari tantũ poſſe, ut facilius feratur: quod fiet adhibita prius congrua uictus ratione, deinde & medicamentis quorum dolores ſedandi facultas eſt. talis ergo ſit uictus ratio, poſtquam è lecto ſurrexerint oleo dulci uniuerſum corpus ungatur ac modico roſaceo ſeu omphacino caput refrigeretur, uiridi ſindone ſuper oculo extenſa: deinde iubeto, ut deambuletur in occluſo loco & à uentis remoto tacite ac ſine ulla prorſus concitatione, neq; caput quantũ fieri poteſt agitetur. poſt multam & quietam deambulationem traducito in domicilium concluſum neq; adeo obſcurum, ibiq; omiſſo capite reliquum corpus oleo rurſus inungito, inferiores partes ac lumbos præcipue perfricando. tum propinato lactis mediocriter decoctĩ, remota parte quæ cõcreuerit, circa heminam unam,

id enim delatas acrimonias obtundit, & uentrem mollit. ſi uero lac nõ tolerent, polentam cum paſſo temperato & mediocriter calido ſorbendam exhibeto, poſtea ſi ſe fame uexari dixerint, duo tantum oua ſorbilia cõcedito, meridianumq; ſomnũ prohibeto. circa uero decimam horam fricentur, deinde puriſſimo pane ueſcantur, cum opſonio quopiam eorũ, quæ lentoris participes ſint, qualia ſunt oua ſorbilia, cerebrum ſuillum duabus aquis decoctum, è piſcibus muræna, torpedo, glaucifcus, ex oleribus malua, atriplex, lactuca. danda & alica, oryza, laganũ in gallinæ iure elixatum, pedes ſuilli, amylum perquam decoctum, denturq; omnia moderate. uinum uero album, tenue, ſubadſtringens, moderate & ipſum exhibeatur. à ſalſamentis & leguminibus omnino abſtinere oportet, imò & à balneo niſi neceſſitas urgeat, uel ob laſſitudinem, uel concoquendi difficultatem, ac tunc quoq; diu immorandum non eſt, ſed cito egrediendum. dolore uero & defluxu uexantibus illinenda ſunt medicamenta eroſione carentia, quæ ad ulcera pura cõueniũt, quale eſt ſpodiacũ, & quod ad Cleonem refertur, & ſimilia, infundendaq; aſſidue in oculum uel ouum, uel lac muliebre tepidũ. mitigat etiam lenticulæ cremor infuſus, ſuccusq; polygoni & plantaginis, & portulacæ, ſed ad temporum dolores diarhodo Nili collyrio utimur. q ſi ob ingentes inflammationes cogimur adhibere cataplaſmata ſumendũ eſt id quod ex papaueris capitulis præparatur, quantum fieri poteſt leuiſſimum, iam enim ſępius diximus, quam ſint euitanda cataplaſmata in his qui calido oculorum affectu laborant. admiſcebis autem illi ex capitibus papaueris collyrio crocum & lac muliebre. q ſi tempus ſiniſtrũ doluerit, hæc uerba in charta deſcribito acarachamat, arachameri, mariariel. ſin dextrũ, ſcribito, abdenalata, balace blamatha, analaba, anathalaba, thanathalama, albana, laba, alba, labaa, ababaa. ſi uero utraq; tempora laborauerint, utrunq; deſcribito, & alligato in parte dolenti uel collo, uel etiam ipſis temporibus, & dolor ſedabitur defluxusq; coercebitur.

De maleficis ulceribus oculorum. Cap. XXXII

ALia præterea malefica ulcera oriuntur, quædam à maiori angulo, quædam à nigro oculi, quædam ab albo, inchoantia oculum præcipue in corporibus mali ſucci, & ijs qui acribus edulijs ueſci conſueuerũt, ocyſſime erodentia. effluit ab his ulceribus ſanies plurima, & fœtida, doloresq; uehementes & febres conſequuntur, ſæpe & alui fluxus inuadit, nonnunq; & circumuicinę partes depaſcuntur. has ergo depaſcentias prædicta uictus ratione curari oportet, niſi q hic ſummopere cauendũ eſt ab eis, quę uentrem molliunt. propterea aues præcipue montanas potius exhibemus, oculo uero infundimus ouum aut lac, & reliqua collyria ſuperius explicata. ſed ſi ipſum oculũ depaſcentia inuaſerit, ita occurremus, Pompholygem optimam muliebri lacte ablutam illinemus, & tabo prius aqua abluto linamenta imponemus: idem facit ceruſſa lota, & exiccata, & cum lacte appoſita, aut lotura plumbi areſacta, quã colligimus aſſidua attritione plumbei mortarij cũ piſtillo ſimiliter plumbeo. confert & recrementũ plumbi lotũ & amylum unumquodq; cum muliebri lacte illitũ. q ſi cataplaſmata adhibere cogamur, mala citonia elixata applicabimus, uel roſas uirides, uel ſiccas uino madefactas. item, polygonum, ſolanum, ſedum, ſerim cum polline farinæ hordeaceæ. ſi uero in temporibus & fronte uaſa intumuerint, uaſorum quoq; rationem habere oportebit.

De myocephalis & pterygijs. Cap. XXXIII

QVotieſcunq; profunda ulcera ob corneæ eroſionem ſiue fracturam ſiunt, pars uueæ decidit, quæ nigra apparet uel cærulea, & circa baſim eiuſdem prolapſæ partis circulatim inſpiciuntur eroſæ corneæ candida labia. q ſi diutius prolapſus iſte perſeuerauerit, calloſiora euadunt, & adhuc candidiora uidentur

fracturæ

fracturę labia:uuea uero decidente pupilla omnino contrahitur,ita ut uel prorſus conſpici nequeat,uel conſpiciatur mutata figura & ſitu.atq; his notis myocephalum diſtinguitur à phlyctęnis, myocephalumq; uocatur, quod capitis muſcæ formam præſeferat. indiget autem repellentibus,& adſtringentibus medicamentis, qualia ſunt è uino confecta,inter quę illud inſigne eſt.cadmię,æris,chalcitidis cru dæ ſing.drach.i.æruginis drach.iiii.myrrhæ troglodyticæ,croci ſing.drach.ii.ſalis ammoniaci drach.i.gummi drach.iiii.cum uino antiquo adſtringenti cõficito.facit ad pterygia,encanthidas,id eſt,angulorũ oculi ulcera, aſperitates quas trachomata appellant,exterit etiam cicatrices. in alio codice reperi hoc ad ſtaphylomata efficax:miſyos crudi drach.xii.in heminæ aquæ ſemiſſe ſubigito,deinde croci cõtritiſſimi drach.xx.admiſceto,ac rurſus conterito, tum ſumito myrrhæ drach. xii. ſimulq; omnia cõficito,& utere.quod ubi loco liniueris,ſpongiam mollem ſuperponito,& alligato. Aliud probum faciens ad ſtaphylomata. Miſyos crudi drach.ii.croci,gummi ſing. drach. i. uino ſubigito & utere. Collyrium Hori ad myocephala faciens cum Theodotio ad diuturnos tenuesq; defluxus. Cadmię æris,croci ſing.drach.viii.opij,chalcitidis ſing.drach.xii. miſyos uſti,myrrhæ,acaciæ,gummi ſing.drach.iiii.utere ex aqua.mire facit ad eadem Seueri Theodotiũ, quæ ſi loca inflammata fuerint craſſius illines. ſi non adſit inflammatio cum ouo infundes præcipue Theodotium. inflammationibus uero cataplaſma diacodion, aut pſyllium calida aqua madefactum illinatur,neq; interim congrua uictus ratio prætermittatur.

De ſtaphylomatibus. Cap. XXXIIII

STaphylomatum plures ſunt differentiæ,propterea & cauſæ eorundem diuerſæ,plerunq; tamen quomodocunq; euenerit ſtaphyloma uiſum deſtruit.dicitur uero ſtaphyloma quando cornea tunica ita incuruatur, ut eminentiam acino uuæ ſimilem reddat. & interdum quidem humoribus intra corneæ membranulas ſuffuſis à quibus cornea abſcedere & incuruari ſine fractione cogitur & ſtaphyloma efficit: interdũ ex quadam ueluti phlyctæna intra eaſdē cornee membranulas profundius conſiſtente,& tunicam eleuante,neq; tamē infringente contingit.uocatur etiam ſtaphyloma,quando ob corneæ fracturā magnus uueæ delapſus euenerit. differt hoc à primo, quoniam in illo cornea tantũ incuruatur, unde & totus tumor candidior apparet:in hoc uero frangitur, & quod procidit cęruleum,aut nigrum uidetur. ubi uero maxima obtigerint ſtaphylomata,ut etiā extra genas promineant,& indurentur obducta illis cicatrice dura in circulo corneæ,talis affectio clauus uocatur,quoniā omnino claui capitulo aſſimilet̄.quocũq; igitur pacto morbus iſte acciderit oculus duobus diſpendijs cæcitati inquam & deformitati ſubijcitur,quem quidem ad naturalem habitum uelle reducere, unum eſt ex ijs, quæ ab arte fieri nequeunt. formæ uero emendandę aliquod ſtudium impendi poteſt,qđ maxime à chirurgia ſperandum eſt.noua igitur ſtaphylomata quæ cũ inflammatione fuerint, cataplaſmatis & collyrijs quæ ad inflammationes deſcripta ſunt & congrua uictus ratione curabimus. In quibus autem intra corneæ membranulas ſuffuſi humores curuitatē effecerint, ſi dolor uexauerit cataplaſma adhibebimus ex ſemine lini & fœnogręco cũ mulſa decocto.declinantib.uero doloribus lomentũ cũ roſis aut ſemine lini ex aqua applicabimus, aut rubi folia,aut uitis albæ racemos acerbos cum æquis portionibus butyri, & terebinthinæ apponemus & alligabimus. ad dolores quoq; conuenit ſolani ſuccus cum lacte mulieres infuſus. Collyrium ad inflammationes.Halcyonij drac.iiii.ſalis ammoniaci,aphronitri,lachrymæ oleaſtri ſing.drach.i.gummi unc.ii.conficito cum aqua. Theodotion autem Seueri collyrium braſſicæ ſucco dilutũ,craſſiusq; oculo applicatũ ſuperligata

ſpongia tumorem remouet,niſi ægritudo fuerit diuturna. cæterum ſtaphylomata quæ baſim habent ampliorem,& quibus inſitæ uenæ plenæ ſanguinis inerint difficulter ſanantur.inſanabilia uero ſunt uerrucoſa, colore uaria, temporibus dolorem impartientia.his nihil aliud adhiberi oportet, præter ea quæ dolorē mitigant, qualia aduerſus maleſica ulcera ſupra docuimus.

Chirurgia ſtaphylomatum. Cap. XXXV.

AD ſtaphylomata igitur quæ anguſtam baſim habuerint, neq; maleſica ſint, actionem quæ κατὰ σφιγξιν,id eſt,per cōſtrictionē fieri ſolet,adhibebimus. ſumito duas acus ſingulas filum duplex contortū æquali prorſus longitudine habentes, deinde ſtatue ægrum ad tuos pedes ſupinū reflexo capite decumbentem, ita ut occipitiū illius tuis genibus innitatur, tū diſpanſis genis per mediam baſim ſtaphylomatis,à ſuperiori parte deorſum aut ab inferiori ſurſum acum infigito,q̄ neq; ualde craſſa, neq; oblonga ſit. inde detento oculo ab acu transfixa alterā acū duplex filum habentem ſimili modo infigito, à paruo oculi angulo ad magnū per eandem mediam baſim ſtaphylomatis, ut duarum infixarum acuum figura cruci aſſimiletur aut literæ X. ſi enim paulo obliquior transforatio fiat curatio hæc ex acubus cōmodior erit, poſtea incidentes duplicium filorū principia, duo quidem ſuperiora principia ſupponentes ſuperiori acus principio, inferiora uero inferiori diligentiſſime colligamus,ac ſimili modo tranſuerſa acus principia cōſtringimus, tum abſcindentes caput ſtaphylomatis ſolam ipſius baſim derelinquimus, filorū gratia,ne ipſis exciſis effundantur oculi humores, fiatq; cōcauitas amplior. at cur incidimus ſtaphyloma? primo quidē compendiariæ curationis cauſa,ocyus enim lina excidunt,& ulceratio ſanatur, deinde ægrotus quoq; toto medicationis tempore magis ſine dolore perſiſtit, quoniā locus difflatur, neq; inflammatio notatu digna conſequitur. poſt exciſionem uero apicis ſtaphylomatis attrahi acus oportet,lina ſicuti diximus cōſtringendo, poſtea lac aut oui albumē inſtillabimus atq; ouum cū melle, & modico uini ſubactum molliq; lana exceptum ſuperponemus, temporibusq; idem eodem pacto illinemus,& deligabimus quietemq; imperabimus.poſtridie ſpongia diligenter expreſſa ſouebimus,dein lacte prius infuſo ouū lana exceptū alligabimus,id pluribus diebus repetendo donec lina exciderint:quibus exciſis tenera collyria illinenda ſunt,quę ad ulcera deſcribunt̄, quouſq; ulcus mundificetur:poſtremo ad ea quę cicatricem inducunt,pergendum eſt.

De ulceribus ad cicatricem ducendis. Cap. XXXVI.

PVrgatis oculorum ulceribus & iam repletione indigentibus, obſeruandū eſt ne ad carnis redundantiam deueniant,quin potius paulo cautiora ad cicatricē ducenda ſunt,pręcipue ſi ulcus fuerit in pupilla.eminentes enim cicatrices uiſum impedient,afferentq; deformitatem,& genarum occurſu lęſæ defluxum ciebunt, quadantenus uero cauæ melius apparēt,lucemq; excipiunt,honeſtioresq; ex parte fiunt,ac tales euadunt ſi à mollibus & emplaſticis medicamentis, ad ea quæ cicatricem inducunt per compendia properabimus.præſtatq; ſi forte clandeſtine caro ſuperexcreuerit cōfeſtim contrahere,& attenuare eminentiam,dein cicatricem inducere.abijci quoq; oportet medicamenta cicatricem tingentia, præſertim ulcere in pupilla exiſtente: nam nigrefacta uiſui reſiſtunt. ſed & ligationes in oculorū ulceribus ſunt remouendæ,quibus aliqui utuntur,ulcerum depreſſionem quętentes:exulceratus enim oculus ſi alligetur,immobiliſq; perſiſtat,genis frequēter annectitur.præterea ulcera iam cicatricem conſequuta perquam diligenter aduertere oportet:nam quidam decipiuntur,& dum cauiores cicatrices concauitates eſſe opinantur,illinunt mollibus incarnantibusq; collyrijs,atq; ita loca quidē nō incarnantur,membranæ uero craſſeſcunt.quando ergo uideris ulceris ſuperficiē ſplen-

didam

didam, albam lenemq; redditam, candidamq; oculi partem natiuū colorem reparaſſe, ac penitus deſtillatione carere, ſcito iam cicatricem perfectam eſſe. optimū uero collyrium quo utimur ad purgata ulcera,& ad ea quæ cicatricem requirunt, eſt id,quod ad Cleonem refertur.

De cicatricibus oculorum ſiue albuginibus. Cap. XXXVII

OMnes cicatrices in nigro oculi candidæ uidentur, denſata enim cornea tunica ſubiectus cæruleus color nō amplius tranſparet: eminentes præcipue albeſcunt, planę minus candicant,cauiores parti nigrę oculorū quodammodo aſſimilantur.harū quęcunq; adſtringentibus medicinis uſq; ad ſanitatem curatę fuerint,magis obſcurantur,quoniam membranę adſtrictione illa quàm plurimū denſantur.calloſarū uero, diuturnarū & craſſarū cicatricū medicationē recuſare oportet, ad has enim per quàm acribus collyrijs utendū eſſet à quorū eroſione reliquæ oculi partes ulcerarentur.ꝙ ſi ſuffuſio,aut glaucedo adſit,ſuperuacuū omnino eſt cicatrices extercere,ſed opus eſt prę reliquis omnibus qui cicatricē uelit abſtergere,congrua uictus ratione corpus alere,ut cōmenſurata materia, probusq; ſuccus per totū diffundi poſſit.ab omnibus igitur acribus, ſalſis,& craſſi ſucci,ac uini nimietate abſtinere oportet, maxime uero concoctioni ſtudere, rebusq; boni ſucci mediocriter ueſci,balneaq; intra ipſum curationis tempus effugere. locus autē illiniendus eſt ante cibum heſterna cœna exactiſſime concocta,percęptaq; capitis & uniuerſi corporis leuitate, aluoq; exonerata.neq; ſtatim inungēdus eſt qui modo à lecto ſurrexerit,neq; ante cœnam.euitanda etiam ſunt medicamenta, quę cicatricem excoriant:quidam enim acria medicamenta ſublinentes, & cicatricem excoriantes,ſpongijsq; candida ramenta à nigro oculi cōuertentes oſtentatione quadam circumferunt, deinde illinunt quopiam eorū quæ tingendi facultatem habēt. defluxibus autē & inflammationibus ob medicamentorū acrimoniam ſuperuenientibus,atq; interdū ipſiſmet cicatricib. diſſolutis,profundantē ulcera,ut rurſus cogantur adſtringentibus,& emplaſticis uti collyrijs, & ita cicatrices craſſiores reddūt.eligēda ergo ſunt attenuātia medicamēta mixta cū ijs q̄ moderate adſtringūt

Materia eorū quę attenuāt cicatrices & albugines ex Galeno. Ca. XXXVIII

NOn minima abſtergendi poteſtate pollent & æs uſtū & ſquamma eiuſdē & flos,chalcitisq; pariter uſta.quæ ſi abluantur, adhuc quidē abſterſio permanet,tanto uero actione imbecillior,quanto & immordacior efficitur, nos autē immordacioribus tutius utemur. his ualidiora ſunt miſy, erugo ęris,ita ut miſceantē ijs quę ad ſycoſes,& calloſitates cōueniunt.quidam iſtis gallam adijciunt,medicamentum uehementer adſtringēs,uehementius tamē eſt & adſtrictione,& acrimonia atramentū ſutoriū,qđ aduſtione,& lotione moderatē, ac ſquamma ſtomomatis congenerē pręſtar materiam. quęcunq; igitur adſtringentia, ſubſtantia ualde terreſtri cōſtāt,illa aſperitates,ſycoſes,& callos eliquant,quemadmodū miſy,ęrugo æris,& ſimilia.quę uero in cenſu ſuccorū ſunt,ueluti omphacium, hypociſtis, glauciū, acacia in linitionibus adhibita lachrymarū defluxu facile elui ſolent,cornua autē cerui & caprarum combuſta ſine eroſione abſtergunt. at thus paucioris quidem abſterſionis particeps eſt,ſed dolori aduerſatur, maturandiq; uires habet. contra dictorum animalium cornua,abſterſione quidem præcellunt,nihil uero ad dolorem uel ad maturationem proſiciunt,cū frigida & ſicca ſint.thuris cortex generoſe quidem & ipſe adſtringit,uerū à prædictis omnibus ſuperatur.pollen confracti inter geſtandū thuris quē mannam uocant,à thure differt quod admixtis illi quibuſdā corticis ramentulis nōnihil adſtrictionis cōparauerit.habet & abſterſionis aliquid armeniū quo pictores utuntur,& atramentū indicū,ideo ulceribus inflammatione carētibus cōfert. aloe uero mixtæ cuiuſdā facultatis eſt ſicut & roſa,

ineſt enim illis quædam amaritudo qua abſtergant, ineſt & aſtrictoriũ quidpiam quo unire poſſunt,& ad cicatricem perducere.at ſal ammoniacum,& alius lapis, eiuſdem.q́; flos efficaciſſima ſunt medicamenta,ut etiam ad ſcabioſas genarũ affectiones conueniant.ex aromaticis autem medicinis utiliter admiſcemus caſſiam, folium, amomum, quæ cum diſcutiendi uiribus adſtrictionem quoq; cõmixtam habent. illud commune de omnibus abſterſorijs medicamentis cognoſci oportet, quæcunq; temperata ſunt,& quæcunq; ſycoſes,& callos eliquant,cuncta hæc etiam ad cicatrices craſſas congruere. Collyrium ad cicatrices & hebetudines. Armeniaci ſcrup. viii.ſalis ammoniaci ſcrup. iii, ammoniaci thymiamatis tantundẽ, ſeminis rutæ unc.ii.arido utere.

Ad cicatrices oculorum & albugines. Cap. XXXIX

RECentes cicatrices impuniſſime abſtergit equinum lac cum modico melle aſſidue illitum:uel anethi purpuraſcentẽ florem cũ pauciſſima aqua ſubigito, linteoq; excolatum bis in die in oculũ inſtillato, deinde ſeminis cucumeris hortenſis manſi ſuccum linteolo expreſſum iugiter in oculum fundito. Aliud ad albugines . Draeunculum qui ſemen habet terra latens piperi ſimile, terito cũ melle & illine. uel ſideritidis herbæ ſemen tritiſſimum inſufflato, poſtea oculũ manu leuiter detinens frigida aqua abluito. generoſe etiam abſtergit halcyonium cũ aqua, & ammoniacũ thymiama cum uino & melle ſubactum.q; ſi infans albuginem patiatur,mater ammoniacum mandat,oculoq; infantuli apponat. facit & anemonæ radix bulbo ſimilis,ſi exactiſſime teratur & applicetur. præterea anagallidis cæruleum florem habentis ſuccus cũ melle,nitrum cũ oleo antiquo,fumarij quod chelidonium appellatur ſuccus cũ melle,menthæ ſuccus mirandũ in modũ,fimus columbinus ad cotem cũ aqua dilutus præter opinionẽ,felis animalis domeſtici fel illitum. Aliud ad difficilẽ albuginem.Butyrũ priuatim illitũ extreme confert,utere hoc, polliceri enim plura nõ poſſum,cũ omnẽ pollicitationẽ exuperet. Aliud optimũ. Lactis mulieris, melanterię à clauis antiquis cũ aceto confectæ,mellis boni portiones ęquas ſimul miſceto & excolato ac tanq̃ diuino medicamento utitor. Aliud. Rumicis domeſtici,& plantaginis ſemẽ in fictili cremato teritoq; exactiſſime & utere. Aliud. Croci,piperis partes æquas cũ felle animalis domeſtici quod felem uocamus aſſumito in collyria & utitor. uel capita pullorũ hirundinis urito in olla,dein trita in corneo uaſe reponito & utere.eſt enim pręſidiũ utiliſſimũ & ad oculorũ uulnera ſtibio par. Aliud ad ulcera & albugines. Fellis uitulę heminã paulatim decoquito,deinde tantundẽ mellis conijcito,myrrhęq; & croci ſin.drac. ii. omniaq; ſimul ſubigito, tũ rurſus in aheno decoquito quantũ ſat fuerit, atq; in ænea pyxide ſeruato & utere. Aliud,Lapidẽ quẽ ſarcophagũ uocant ex quo principum ſepulchra conduntur, terito & cribrato, & cũ ſaliua ieiuni hominis pręſertim ipſiuſmet ęgri diluito,& bona ſpe illinito. Aliud. Lapidis magnetis uiui, lapidis ophitę, ſtibij, ſalis thebaici portiones æquas terito & cribrato,deinde cũ ſucco herbę quã nycterida appellant & cũ melle ſubigito,& illine facto ſpicillo ex ſarcophago lapide. Aliud. Chalbanũ liquefactum cum melle ſubigito & utere. Aliud cito & mirũ in modum albugines tollẽs. Squammæ ſtomomatis ferri,aluminis ſciſſilis,ęruginis uermicularis ſin. drac. ii. cũ aqua ſubigito,& collyria cõficito. Aliud ſucci rhamni,aut ſi haberi poteſt ſeminis,ſi neutrũ habeatur foliorũ unc.ii.ammoniaci thymiamatis unc.i.teſtarum ſepię tantundem,mellis attici unc.ii.confice & utere.Quidam ſolũ ammoniacũ cũ rhamni ſucco ſubigentes illinũt:idem ſuccus priuatim illitus cicatrices tingit. Collyriũ Archigenis ad albugines ut ſępe unica illitione curentur,quod & ad omnẽ hebetudinem facit:cochlearũ uſtarũ drach.iii.æris uſti drach. iiii. ſquammæ æris drach. vi.

ſquammæ

ſquammę ſtomomatis ferri drach.xii.æruginis æris drach.vi.aluminis ſciſſilis tantundem,lapidis ſciſſilis,aloes ſing.drach.i.omphacij aridi drach.ii.lycij indici drachmas quatuor,chalcitidis,myrrhę ſing.drach.iii.thuris & corticis ſui ſing.drac.i. croci,crocomagmatis ſing.drac.ii.ſpicę nardi drach.iii.florum mali punicę, drac. ii.gummi drach.viii.terito ex aqua & collyria conficito,uſus tempore aqua diluito, aut arida trita applicato, ſi libet. probe etiã facit ad ulcera, inquit Apollonius, collyriũ quod pepieſmenon uocatur & armation, & quod è uino cõficitur ſupra deſcriptum ad myocephala,atq; ijs ſimilia,quę loco de collyrijs ad plurimos uſus confectis explicabuntur. Theodotium uero Seueri craſſius illitum tantam tenuitatem cicatricibus infert ut ſenſu nullo modo diſcerni queat.at omnium præſtantiſſimum eſt quod Regi Alexandro inſcribitur, confectum ex croco, ſpica celtica & terra ampelitide,quod inter arida ad plurimos uſus inuenies.

Albuginum tinctura. Cap. XL

ABſtineri oportere ab ijs quæ cicatrices tingũt,iam ſupra docuimus. ne tamẽ ignorentur quęnam iſtud pręſtare queant,de illis quoq; dicendum cenſuimus.gallam inquiunt tritam paratam habeto, etiam uſus tempore nucleo ſpecilli calefacto medicamentum aſſumito,& albuginem attingito,dein atramentũ ſutorium aqua dilutũ illinito, uel malicorium primo, poſtea atramentũ ſutoriũ applicato.uel punicorum malorũ carnem cum paucula aqua exquiſitiſſime tritam ſeruato, & uſus tempore cũ ſucco hyoſcyami uſq; ad quindecim dies frequenter illinito.uel miſy cum aqua ſubactum, in paſtillos conficito,quos deinde poſt gallæ illitionem albugini applicabis. Aliud faciens quoq; ad oculorũ glaucedinem. gallarum,acaciæ, ſing. drach. i. atramenti ſutorij drach.ii. utere. Aliud florum punicæ,atramenti ſutorij,acaciæ,gummi ſing.drach.i.ſtibij,gallæ ſing.drach.ii.ſi flores punicæ nõ adſint,ſumito membranoſum illud quod acinis interiacet.

Ad oculos glaucos ut pupillæ nigreſcant. Cap. XLI

SVccum corticis mali punici dulcis infundito,inde diſpanſis genis florem cęruleum hyoſcyami tritum ex uino inſtillato,aut hyoſcyami ſuccum. ſunt autem flores congruo tempore colligendi & reponendi. Aliud. Acaciæ fructum tritum adiecta gallarum portiuncula in ſucco anemonæ diligenter ad mellis conſiſtentiam aſſumito,deinde humorem diligenter cribro ſetaceo expreſſum ſeruato, & utere ut dictum eſt. Aliud: cucumeris agreſtis ſuccũ mulieribus oculos glaucos habentibus illinito & nigros efficies. Aliud:hyoſcyami florem cęruleum in umbra exiccatũ repone,atq; uſus tempore uino auſtero dilue,& primo quidẽ uinum illinito deinde florem ſeorſum contritum,remq; ſtatim expediet.

De medicatione infantium. Cap. XLII

SOrdium multitudo immenſa in oculis puerorum deprehenditur, & plerunq; ob materiæ nimietatem genæ intumeſcunt:qui cũ natura calidiores humidiores.q; ſint, eorum collyria refrigerandi ualideq; exiccandi nec parum adſtringendi facultate ad influentem ſordium copiam repellendam pollere oportet.tanta enim adſtrictio puerorum collyrijs ineſt,ut ad trachomata quoq;,id eſt,aſperitates adhibeantur,& quamuis plus æquo acriora eſſe uideantur,quam quę infantibus illini tute poſſint,nihil tamẽ uereri oportet, quoniam ob indigenæ humiditatis, & ſordium multitudinẽ acrimonia retunditur,præterq; quod aſſiduo lachrymarum impetu medicamentum eluitur.nobis autem uſu probatum præcipuum & admirandum collyrium eſt, quod habet, lapidis ſciſſilis, lapidis hæmatitæ ſing. drachmas xx. æruginis,chalcitidis torrefactæ, æris ſingu. drachmas quatuor, opij, myrrhæ ſing. drachmas vi.gummi drachmas duas, hæc enim collyrij confectio & ratione probatur,& experimento utilis inuenitur,quã uſus tempore aqua dilui oportet.

Aliud quocꝫ ad eadem expertum collyrium,habet,lapidis ſciſſilis,& hæmatitę
ſing.drach.iiii.æris uſti,ammoniaci thymiamatis,miſyos uſti,chalcitidis ſimiliter
uſtę ſing.drach.viii.opij,ſeminis hyoſcyami,gummi ſing.drac.iiii.confice,& uſu-
rus aqua diſſoluito.debemus tamē in principio ijs quocꝫ admiſcere quidpiam eo-
rum quæ eroſione carēt,atcꝫ inde paulatim ad ualidiora medicamenta proficiſci.
necꝫ ubi diſplicebit aloe ad oculos iugiter defluentes nō puerorum tantū,ſed adul
torum quocꝫ,quā dilues aqua ad craſſiorem conſiſtentiam,anguliscꝫ oculorū nu-
cleo ſpecilli applicabis. conferet etiam præter opinionē collyrium quod Theophi
lion appellatur,deſcriptum inter reliqua collyria ad plurimos uſus.

De aſperitatibus denſitatibus'ue,ſycoſi & callo,collyriacꝫ diuerſa,&
liquida linimenta ad aſperitates. Cap. XLIII

CVm hic ratio rerum affinitatem conſpiciat, & tanquam inuicem connexas
uirtutes deprehendat, admonet nihil mediū interponi oportere, ſed iſta po-
tius ſeriatim determinari. aſperitates igitur quæ & denſitates à nonnullis uocan-
tur,ex mala curatione frequenter fiunt, cū medici plus æquo in oculos infundant
collyria.ac ueluti exterioribus uulneribus cū pinguia adhibentur, inutiles quædā
carnes ſuboriuntur,idem hic quocꝫ conſpici licet. eueniunt autē ex defluxu anti-
quo nequacꝫ erodente:nam ſi acris foret oculum prius inſigni nocumento affice-
ret, quàm genis communicaretur affectus. quandocꝫ tamen etiam nullo defluxu
præcedente nullacꝫ manifeſta cauſa apparente cōtingunt,ſed & in aſperitatibus à
defluxu genitis denſiores,ſcabriores, magis ſanguinolentæ inuerſæcꝫ genę uiden
tur. in his uero granula quædam milij aut eruorum paruorum inſtar genis inhæ-
rentia ſpectantur, eſtcꝫ id genus reliquis curatu difficilius. differunt præterea, ꝙ
denſitates quidem defluxu carentes cum rubore ſuperficiariam denſitatē habent,
quæ uero à defluxu fiunt inæqualiores, eminentiorescꝫ cum dolore ſimul & gra-
uitate contingunt, ambæ tamen humentes oculos reddunt. ſycoſis autem altiori-
bus eminentijs ac ueluti inſectis conſtat, quam neſcio cui potius, quàm hianti fi-
cui comparem.at calloſitas diuturna aſperitas eſt, induratas calloſascꝫ inæqualita
tes habens. quidam igitur uel ferro uel ficuum folijs abradere aſperitates conan-
tur,quem quidem ego conatum fallacem iudico:magis enim augentur, & durio-
rum cicatricum interuentu ſtimulatis iugiter oculis aſſidui fluores ſuboriuntur,
propterea collyrijs paulo ſupra ad infantes deſcriptis tutius curabuntur:quæ uni-
uerſis genis,niſi inflammatę fuerint,nucleo ſpecilli illinemus,& plurimum confri
cabimus. ſi enim à frictione cito abſiſtemus, magis denſabuntur, & defluxus au-
gebitur. ꝙ ſi cauſa perſeueret, ad potentiora medicamenta accedemus, quale eſt
habens teſtarum ſepiæ,pumicis ſingu.drach.viii. rubricæ ſinopicæ drach.iii.am-
moniaci thymiamatis drachmam unam,gummi drach.xx.confice,atcꝫ uſus tem-
pore aqua diluito, magnam inde laudem conſecuturus, quoniam ſtatim poſt illi-
tionem in ſpongiam abſterſoriam ſquammulæ quædam excident. ſpongia enim
ex aqua frigida expreſſa poſt uſum collyrij locus tergendus eſt.aliud præterea col
lyrium ad eoſdem affectus,habet cadmiæ,ſquammæ æris,ſalis ammoniaci ſingu.
drac.iiii.opij drac.ii.gummi drac.xii.cū aqua cōficito.ego uero collyrio arido Se-
ueriano uſus profeci,cuius tu quocꝫ experientiā habebis magiſtram. Apollonius
aūt medicamētis inquit ad genas exaſperatas utendū eſt,quibus craſſiſſimas cica
trices deterimus,quale eſt hoc:æris uſti drac.viii.myrrhæ drac.i.cadmiæ drac.iiii.
acaciæ,caſſiæ,ſpicæ nardi,cinnamomi,croci ſing.drach.i. piperis gra.xvi.hyperi-
ci,ammoniaci thymiamatis ſingu.drachm.iii. æruginis æris obolos duos,gummi
drach.xi,confice cū uino antiquo auſtero,& utere. Aliud ad defluxus & denſa
tas genas : cadmiæ drach. xvi. æris uſti drach. iiii. ſeminis hyoſcyami drachmam

unam, opij drach.duas, myrrhæ,fructus ericæ arboris,acaciæ ſing.drac.quatuor, gummi drach.octo.omnibus exquiſitiſſime tritis lac muliebre admiſceto,& collyria conficito,quæ deinde uſus tempore adhibito prius fomento lacte muliebri diluta illines. Liquida ad aſperitates,quæ & ad hypopia conueniunt. Chalcitidis uſtæ drach.iii.croci drach.viii.mellis drach.nouem.arida ex aqua terito,atque ubi exiccata fuerint,mel admiſceto & utere. Aliud liquidum quod Theophilium appellatur faciens ad ſycoſes, & omnes carnium excreſcentias. æris uſti, miſyos uſti,myrrhæ, croci, omphacij ſing. drachmam unam,uini chij aut ſimilis adſtringentis antiqui odorati unc.ſexdecim,mellis attici unc.decem, ſunt alia quoque collyria ad aſperitates conferentia,quale eſt Phœnix,& Dionyſius,ac ſimilia,quæ in collyrijs ad plurimos uſus deſcribentur. in quibus uero ſimul cũ genarum aſperitatibus, tunicæ etiam oculorũ inflammatæ, dolore afficiuntur, admiſceri oportet proprijs inflammationum medicamentis quidpiam quod abſtergendi uim habeat,qualia ſunt collyria è uino confecta. ceſſante autem inflammatione oculorum, aſperitates ſunt abſtergendæ. at in exulceratis cũ mordicante defluxu, tali medicamento uti non poſſumus:cornea enim magis erodetur, & uueæ maior prolapſus fiet,uehemensque dolor ægrum corripiet, & maleficus defluxus augebitur, ergo huiuſcemodi collyrium his adhiberi oportet: pumicem contritiſſimum, cum tragacantha diluta aſſumimus, collyriaque oblonga cõficimus, deinde genas molliter inuerſas plurimũ cõfricamus,poſtea lac infundimus & collyria adhibemus ad phlyctænas & ulcera. progreſſu temporis ubi dolor ceſſauerit, ad acriora collyria tranſcendimus, illis genas ſicuti diximus confricando. miſcemus uero his quæ ad ulcera conueniunt collyrium è uino confectum paulatim commixtionem ipſorũ augendo,ut neque genæ tunicas oculorum lædant, & ulcera mundificata repleantur,& ad cicatricem ducantur.

De oculorum imbecillitate ex Demoſthene. Cap. XLIIII

IMbecilli appellantur oculi,qui neque candidum,neque ſplendidum, neque igneum colorem ſpectare poſſunt,ſed à quauis leui cauſa ſuperata uidendi acie lachrymas præcipue inter legendum effundunt:differuntque hi à rhyadicis,id eſt,à fluentibus & emanantibus oculis,qui fluentes abſque cauſa extrinſeca aſſiduc lachrymãt, imbecilli uero cauſam quampiam requirunt,quos curari oportet deambulationibus,curſibus,ſuperiorum partium exercitationibus cum frictione,ſpiritus detentione, capitis abraſione, leui oculorum frictione, poſt exercitia, & aquæ frigidæ aſperſione in caput.aquæ etiam potio & mediocris uictus ratio ac elata & ſonora lectio adhibenda eſt, nec adſtringentia, refrigerantia, emplaſticaque medicamenta recuſabimus ſi fuerint neceſſaria.

De myopia. Cap. XLV

MYopes appellantur qui à natiuitate,puſilla quidem prope conſpiciunt,procul uero magna aſpicere nequeunt,legendisque literis oculos admouent. quod quidam expanſis oculis, quidam moderate apertis efficiunt. hunc morbum tanquam immedicabilem dereliquimus.

Ad nyctalopas,cum eos qui noctu non uident,tum eos qui noctu magis proſpiciunt. Cap. XLVI

NYctalopas uocant, qui interdiu quidem uident, ſole uero occidente imbecillius aſpiciunt,ſed noctu nihil penitus cernunt,uideturque id ob capitis imbecillitatem contingere, præſertim ob uiſorij ſpiritus reliquorumque humorum ac tunicarum oculi craſſitudinem.contra alij noctu quidem melius cernunt,interdiu peius,lucenteque luna in nocte nihil aſpiciunt, quod quidem perrarũ eſt, ſed primũ plurimis accidit,qui noctu non uident.ſi boni habitus fuerint, ſanguinis miſſione curandi

curandi ſunt, tum à cubito, tum ab angulis oculorum. ſin prauo ſucco abundauerint, eos idoneo medicamento purgabis: deinde poſt communem euacuationem apophlegmatiſmos adhibebis, ac per nares materiã attrahes, ſternutationes ciendo. eritq; ad id conueniens medicamentum quod habet piperis, uuæ taminiæ ſin. ſcrupu. ii. ſinapi ſcrupu. iiii. terito, & cribrato, deinde cum ſucco radicum betæ ad mellis liquidi conſiſtentiam, excipito. quæ ubi ſimul ſubegeris naribus admouebis, iubebisq; ut per nares attrahantur, idq; diebus quinq; aut ſeptem efficies. utere & alijs ad purgandas nares medicamentis, quæ ſupra deſcripſimus libro ſexto capite de naſi ægritudinibus. exhibeatur præterea ante cibum hyſſopus, origanũ, ruta, ſitq; omnis uictus ratio attenuatoria. quod ſi curatio per hæc nõ ſucceſſerit, rurſus catharticũ offeres, quale eſt quod habet, ſcammonij triobolum, caſtorei obolos duos, ſalis triobolum. ad imbecilliores uero ſcammoniæ obolos tantum duos adijcies. talis purgatio repentinam ſanitatem ſæpe reſtituit aut morbũ magna ex parte leuauit. poſt paucos deinde dies exhibendum erit catharticum, quod pituitam ſimul & bilem trahat, quale eſt habens colocynthidis obolos duos, ſcammoniæ & ſalis ſing. obolos quatuor. confice pilulas ſex datoq; mediocrem temperaturam habentibus tres, robuſtioribus cunctas. oculis etiam mel deſpumatum illines, & ad iniectum humorem retinendum occludi iubebis, uel oleo antiquiſſimo inunges, uel aluminis ſciſſilis in fictili cremati drachmas duas, ſalis ammoniaci, aut cappadocis drach. i. omnia ſimul cum melle ſubacta, uel ſolum ipſum alumen cum melle tritum illines. uel cyclamini recentis uel ceparum ſuccum cũ melle, aut lacte mulieris, uel hyænæ fel in oculum inſtillabis: acrium tamen medicamentorũ uſus aſſiduus remouendus eſt, ſicut antiquiſſimum oleum nunquam omittendũ. traditur à quibuſdam conferre his hepar hirci aſſum & cũ ſale abſq; oleo ſeruens comeſtum. quidam & ſanie ab hepate dum torreſit effluente illinendos oculos iubent, alij idem hepar elixantes admotos eleuato uapori oculos fouent. prodeſt & elaterium ẽ melle per interualla illitum, præterea fel perdicis, aut capræ agreſtis, aut hirci, ſed fel bugloſſi piſcis prę cæteris iuuat. à uino etiam in principio penitus abſtinere, & omnia craſſum ſuccum reddentia euitare oportet. ad hos autem qui noctu quidem melius uident, interdiu uero peius, quia nos ſpiritum nimis eſſe attenuatum, & tunicas rarefactas conijcimus, atq; ita eodẽ ſpiritu diſſipato uiſum debilitari, contra in nocte cum in ſeipſum coëat & craſſeſcat, ſenſum uidendi excitare, propterea iudicamus ſolo robori reparando inſiſtendum eſſe. Herophilus tamen in libro de oculis ex aduerſo ad eos inquit qui interdiu non uident, gummi, crocodili terreſtris fimum, miſy, hyęnæ fel trita cum melle bis ſingulis diebus illinito, iecurq; hircinũ comedendum præbeto. ego uero id magis congruere arbitror ijs qui noctu non uident.

De oculorum hebetudine ex Galeno. Cap. XLVII.

HEbetudo eſt obſcuritas uiſus plurimis de cauſis eueniens. uel enim ſpiritus craſſeſcunt, uel tunicæ condenſantur, uel humores oculorũ non craſſeſcunt tantum, ſed etiam lentiores fiunt. hebetari præterea contingit qui longa ægritudine uel ingenti mœrore confectus ſit. in ſenioribus uero præter quod humores & tunicæ craſſiores redduntur, uiſorij quoq; ſpiritus imbecillitas aduenit, plurimaq; diminutio & caſus, atq; optici nerui & tunicarũ oculi ueluti corrugatio. diminutis enim humoribus ſeniorum, exhauſtoq; ſpiritu ſurſum ad pupillam deferri ſolito, cornea tunica eo uſq; rugoſa euadit, ut quidam ſenes nihil penitus, quidã uix, & perperam uideant. concidunt enim ſupra ſe inuicem rugæ, & tanquam congeminata tunica, aliam inſuper aduentitiam craſſitudinem ſuſcipit. communia uero præſidia ad hebetudines, eiuſdem generis ſunt cum ijs, quæ ad inchoantes ſuffu-

ſiones

ſiones admouentur, partim in collyriorum formam confecta, partim liquida, quæ induratis tunicarum inflammationibus congruunt, partim arida, quorum omniũ confectiones in fine huius libri dicentur.

De obſcuritate. Cap. XLVIII

OBſcuritas eſt omnimoda uel maxima ex parte uidendi interceptio, abſq; ulla manifeſta cauſa circa oculum apparente, pura enim undiq; pupilla conſpicitur, quæ interdum paulatim irrepit, interdum repente ingruit, ut perq; modicum, uel nihil omnino cernatur. obſcuritatis ergo ſenſim irrepentis cauſæ plurimæ ſunt, quas ſuprà in hebetudine memorauimus. repentina uero ob obſtructionem nerui optici, craſſis lentiſq; humoribus conferctim in ipſum cadentibus, uel propter eiuſdem reſolutionem generatur. hanc ægritudinem præcedunt cruditates aſſiduæ, uini meri potio, moraq; ſub ſole, capitis calefactio aut refrigeratio, poſt cibum cõtinuæ lectiones uel balnea, uomitus, cõcubitus importunus & immoderatus, uiolenta ſpiritus detentio, quod tubicinis frequẽtiſſime cõtingit. hæc atq; his ſimilia moderata hebetudinẽ efficiũt, immoderata obſcuritatẽ. quandoq; uero obſcuritas accidit ob uehementẽ capitis percuſſionem, aut caſum à ſublimi loco, neruo optico reſoluto aut cõfracto, aut (quæ omniũ benigniſſima eſt) ob ingentem concuſſionẽ delapſa humorum mul.itudine, & neruum opticũ obſtruente. neruo igitur reſoluto aut tarde, aut nihil mouetur oculus: ſed ſi ob uiolentã capitis percuſſionem, uel caſum à cerebri connexione abſcindatur, primo quidem oculus redditur prominentior poſtea etiam excauatũ, & non alitur. at ubi propter craſſorum lentorumq; humorum multitudinem, abſq; alia cauſa nerui cauitas obſtruatur, grauitas capitis neceſſario præcipue in radicibus oculorum cõſequitur. ſi ergo repentina obſcuritas inuaſerit, & æger plethoricus fuerit, cubiti uenam ſecare oportet: tunc enim expeditiſſimũ præſidium ſanguinis miſſio eſt. deinde aliquot interiectis diebus faſciam collo nectentes conſtringemus, uenisq; tumefactis iterũ exoluemus, & idem tertio repetemus, ad ſpiritus agitandos, & humorũ obſtructiones uiolenter cõcutiendas. poſtea à tumefactis angulorũ uenis naſo adiacentibus utrinq; ſanguis copioſe mittendus eſt. ego enim tres quandoq; heminas ab iis ipſis uenis eduxi. tum cucurbitulam cum ſcarificatione occipitio protinus affigemus. contingit enim plerunq; ut cucurbitula adhuc inhærente homo repente conſpiciat. neq; tamen hoc ſolo præſidio contenti erimus, ſed refectis uiribus poſt diem tertiã purgabimus, deinde ad uictus rationem cõuertemur. ad hos aũt quibus plurimo tempore paulatim obſcuritas accidit, ubi prius recta uiuendi ratione corpus præparauerimus, ab angularibus uenis, ut præmonſtrauimus, ſanguinem mittemus: & ſi æger pauci ſanguinis fuerit, id protinus à principio facere oportet: deinde cucurbitulã cum ſcarificatione occipitio affigere, poſtea purgare ac circa uiuendi rationem præ reliquis omnibus cõcoctionis curã habere. tum uero enitendũ eſt, ut alimẽtis præcipue mollem aluum reddamus, perq; aliquot dies danda aloe cum terebinthina in pilulas redacta, ſeu cnici ſuccus cum melle, & inferiorum partium exercitio: pluribusq; in obſcuro loco deambulationibus utendum, à uino etiam abſtinendũ, & aquæ potio uiriliter tolerãda. ſed & omne craſſioris ſucci alimentũ aſſiduumq; concubitũ, & capitis inſolationẽ balneaq; & meridianos ſomnos uitare oportet, neq; poſt cibũ nimis agitari, neq; legere aut ſcribere. impetus quoq;, ira & curæ ingẽtes uehementesq; animi impreſſiones & formidines, præſertim poſt cibum, uomitusq; aſſidui fugiendi ſunt. cõfert præterea ſingulis diebus frigida, præſertim pluuiali aqua faciem abluere, oleoq; uniuerſum corpus inungere. perſeuerãte morbo etiã caput purgabimus iis quæ in nares funduntur, qualia multa ſuperius ad dolorem capitis prædocuimus: utemurq; apo-

phlegmatiſmis quos ibidem diximus. illitio uero oculorũ perſiſtente adhuc ægritudine, primo quidem ſimplicioribus fiat, ſicut melle quod acapnon uocant, aut oleo antiquo, poſtea ad compoſita quoq; accedemus. nos uero Dicentei collyrij uſu & liquido Aglaidæ linimento à [illegible]ſiones cõfecto gloriam comparamus. eſt & aliud liquidum ad obſcuritates & hebetudines & ad membranarũ aſperitates cõmune, quod habet croci, myrrhæ ſing. drach. i. piperis grana xv. ſpicæ nardi obolos duos, ſucci fœniculi drach. xvi. ammoniaci thymiamatis, æruginis ſingul. drach. i. mellis unc. v. arida minutiſſime terito, dein ſuccũ fœniculi infundito, poſtea ubi ſubegeris & exiccaueris melle adiecto conficies, & in pyxidem æneam recondes, atq; ante illinitionem ſpongia prius ex aqua marina calida expreſſa oculum fouere oportet. hæc quidem omni obſcuritati cõmunia ſunt, peculiariter uero ijs quibus craſſorũ lẽtorumq; humorũ decurſu nerui optici meatus obſtructus eſt. poſt ſanguinis miſſionẽ cucurbitulæq; applicationẽ & purgationẽ ſinapiſmũ capiti applicabimus. poſtea adurenti medicamẽto occipitiũ exulcerabimus, effuſioneq; calidæ aquæ ſupra caput utemur, præcipue ſi ſalſa nitroſaq; aqua fuerit.

De oculorum reſolutione. Cap. XLIX.

NOn tãtum neruus opticus, ſicut prædiximus, ſed totus oculus nõnunquam reſoluitur, uel ſimul cum uniuerſo corpore dextris aut ſiniſtris partibus reſolutis, uel ipſe priuatim affectus: interdum & gena tantum reſoluitur, quæ ſi ſola ſit reſoluta, ſine ſenſu redditur, & oculus ſemper occluſus perſiſtit. ſin oculus reſoluaẽ, obliquæ motiones & quæ ſurſum ac deorſum fiunt expediri non poſſunt, & ſi acrius medicamentum illeueris, nulla mordicatio percipitur. ergo gena tantum reſoluta uniuerſum corpus aloidarijs euacuabimus, & aquæ potionem pluri masq; deambulationes & partium inferiorum frictiones adhibebimus: deinde genis alumen ſciſſile acerrimo aceto dilutũ & calidiora collyria, quale id quod è ſandice conficitur, iugiter illinemus. quod ſi adhuc morbus perſtiterit, reſuendam genam conſulimus. totius uero oculi reſolutio præcipue in prouectioribus ætate, curatu difficilis eſt. quæ ſi à natiuitate euenerit, omnino inſanabilẽ iudicabis. in quibus ergo ſpes ſalutis relinquitur, eos ita curari oportet. primo ſi probæ temperaturæ fuerint, cubiti uenam ſecabis. poſtridie aluum clyſtere ablues, deinde cathartico corpus purgabis: mox apophlegmatiſmis uteris, atq; inde ad ea quę per nares purgant, accedes. poſtremo cucurbitulas occipitio cum ſcarificatione & temporibus irudines applicabis. caſtoreum etiam priuatim & cum abſinthio propinabis. dandum & puleium, hyſſopus, ruta cum oxymelite & ſale, illinendumq; caſtoreũ capiti cum roſaceo & aceto, ex eodemq; linimento molliſſima lana excepto pars aliqua clauſo oculo applicanda eſt. ita quantitatem moderando ne intra oculum influere poſſit: deinde exterius frons & genæ caſtoreo cum aceto & croco inungenda ſunt. mihi uero uidentur liquida ex caſtoreo & melle confecta huic morbo non parum accõmodari. à uino autem carniumq; alimento, & à reliquis quæ nutrimẽtum uel multum uel craſſum afferre poſſint, omnino abſtinendũ, aſſumendaq; omnia quæ alui excretiones faciles reddant, & humores attenuent. in principio uero balnea quoque & fomenta & inſolationes interdicere oportet: ſed uomitus ieiunis, aſſumptis raphanis concedendus eſt, ita ut uomiturus ad partem alligati oculi ſine multo agitatu declinet.

De glaucedine ex Demoſthene. Cap. L.

GLaucedo duobus modis intelligitur, altera proprie, et eſt cryſtallini humoris ad glaucum colorem tranſmutatio, areſactio & cõcretio. altera ſpecies glaucedinis ex præcedẽti ſuffuſione producitẽ, humore in pupilla uehemẽtiſſime congelato & areſacto, quæ quidem inſanabilis eſt. at quæ proprie glaucedo appellaẽ, in prin-

in principio nõnunq̃ ſanari poteſt deambulatione pro uiriũ ratione totiusq́ corporis frictione, & lauacris p̃cipue capitis. æſtate uero etiam balnea frigida concedenda, caputq́ ad cutim abradendũ, oculiq́ oleo tãtum antiquo inungendi ſunt.

De ſuffuſione ex Demoſthene. Cap. LI

SVffuſio eſt influxio humidi in pupilla concreti, ita ut completa uiſum prohibeat: qua inchoante tanquam puſilli culices & caliginoſa quædam corpuſcula aſſidue præ oculis occurſare ſolent: quibuſdam ueluti lanarum filamenta & telæ aranearum, quibuſdam circa lucernas circuli offeruntur: quæ cum apparere incipiunt, pupilla minus accurate inſpectantibus interdum pura uidetur, interdũ colorem pelagi præ ſe ferre. ſed increbreſcente ægritudine accidentia quoq́ increbreſcunt, quę ubi ad ſummũ peruenerit, æger excæcatur, & pupilla ad candidum colorem ſine ullo penitus ſplendore mutatur, quamuis in uarijs ſuffuſionibus uarij colores conſpici ſoleant. quædam enim aeris colorem, quædam uitri imitatur, quædam ſubalbeſcit, quædam ad cœruleum uergit, quædam glauceſcit, quæ etiam inſanabilis eſt. ſuffuſi ergo in principio niſi quid prohibeat, uenæ cubiti ſectione & acribus clyſteribus purgationibusq́ curant: deinde cucurbitula occipitio cum ſcarificatione affigenda eſt, utendumq́ per interualla apophlegmatiſmis & ijs quæ per nares purgant. à uino autẽ in tota medicatione & ab omnibus caput replentibus, à balneisq́ abſtinendum, niſi uel laſſitudinis uel cruditatis cauſa ſint neceſſaria: ac ne tum quidem in aere balnei diutius immorari, neque in labro perſiſtere, ſed ſenſim quidem ingredi, confeſtim uero egredi oportet, ſitq́ uictus ratio attenuatoria. medicamentis uero utendum primo ſimplicibus, quemadmodum melle, oleo antiquo, & fœniculi ſucco, poſtea cõpoſitis liquidis & aridis collyrijs quæ non multo poſtea inter communia præſidia deſcribentur.

De mydriaſi ſeu dilatatione pupillæ. Cap. LII

MYdriaſis & pupillæ dilatatio uocatur, quando pupilla colore quidem nihilo deterior fit, latitudine uero longe naturam excedit, ut interdum iridis circulo appropinquet, qua ſæpe uiſus omnino intercipitur, ſæpe pars tantum, ut uideat quidem æger, ſed imbecilliter: ob uiſilis enim ſpiritus diſperſionem omnia illi puſilliora apparent. euenit hæc ægritudo quãdo humoribus uel conferctim uel paulatim defluxis, uuea clandeſtine extenditur, & pupilla plus æquo ampliatur: quæ quidem ægritudo latis difficilis curatu eſt, quoniam uuea membranoſa exiſtens, ubi ſemel diſtẽſa fuerit, induratur, neq́ facile amplius colligi poteſt. ſolet id morbi genus pueris frequentius ob tunicarum imbecillitatem contingere. magni etiam oculi magnas pupillas habent, propterea & ij quoq́ in hunc morbum facile delabuntur. hos primo, niſi quid prohibeat, uenæ cubiti ſectione aut purgatione curari oportet: quæ ſi fieri nequibunt, angulorum oculi uenas incidito, deinde cucurbitulam occipitio applicato, leneſq́ ac longas deambulationes in obſcuro loco faciendas mandato, omni ſtudio enitendo ut materia ad inferiores partes trahatur, ideo in principio clyſteribus uti oportet, membrorumq́ inferiorum frictionibus. poſt deambulationem uero inunctionemq́ marina aqua faciem abluito, hyeme quidem tepida, æſtate autem frigida, immo & facies tota in eadem aqua mergenda eſt, ibiq́ apertis oculis aliquo tempore detinenda. quod ſi deſit marina dulci aquæ quidpiã ſalis adijcito, aut poſcam aquoſam ſumito. à uino autẽ uſque ad exactam ſanitatẽ omnino abſtinendũ, ſitq́ omnis uictus ratio attenuatoria, aluoq́ molliendæ idonea: neq́ ad balneũ crebro accedendũ eſt, atq́ ubi acceſſerint capitis lotioni parcendũ, utendumq́ medicamẽtis ſubadſtringentibus, ſicut roſa, croco, nardo, thuris cortice, pompholyge, ſpodio, acacia: uehementiores eñ acriores q́ facultates humorũ copiam attrahentes, membranas diſtendunt, latioremq́

pupillam efficiunt: propterea & uehementer adſtringentia, ſicuti chalcitis, miſy & nimium refrigerantia, ut cicuta membranas indurant, & emplaſtica ut ceruſſa, eaſdem craſſiores reddũt. omnino pupillam plus æquo cogere & coarctare inutile eſt, nam ita tandem diminuetur.

De diminutione pupillæ. Cap. LIII

DIminutio pupillæ dicitur, quando anguſtior, obtuſiorq́; redditur, quod ſæpe ob periculoſas imbecillitates, uel intenſiſſimos capitis dolores contingit. apparent ijs propter pupillæ anguſtiam uiſibilia ueris ampliora, quibus curationem mydriaſi contrariam adhiberi oportet, ſuperiora membra exercendo, humeros inquam & brachia cum ſpiritus detentione, caputq́; & faciem diligenter fricando; extremisq́; digitis oculos cõtrectando, ac calida faciem fouendo, deinde inungendo caput unguento aliquo eorum quæ moderate calefaciant, ſicut irino. tum genis paululum diſpanſis illinendum erit oculo acre & rareſaciens medicamentum, quod humores poſſit attrahere, quale hoc eſt: ammoniaci thymiamatis drac. i. crocomagmatis drach. iiij. croci drach. ij. æruginis drach. i. cum aqua ſubigito, conſicito & utere. facit & liquidum Heraſiſtrati. ſorbitionibus uero boni ſucci, uinoq́; flauo & odorato alantur, cibumq́; ſomnus conſequatur. balnea quoq; conueniũt, ac calidæ aſperſio ſuper capite.

De atrophia & diminutione oculorum. Cap. LIIII

ATrophiam. i. innutritionem oculus pati dicitur, quãdo ob uehemẽtes capitis dolores aut acutas febres paulatim depreſſus, concauatus, omninoq́; puſillior redditus, & ob paruitatem obſcurus, impedit uiſum, euenitq́; id frequenter quando uulneratur uel perforatur: eſtq́; tunc omnino inſanabilis. differt atrophia à diminutione, nam diminutio ſolam pupillã paruiorẽ reddit: atrophia uero totũ oculũ puſilliorem depreſſioremq́; efficit. hos quoq; curari oportet fouendo oculos ſpongia ex calida aqua expreſſa & lac tepidum inſtillando, ac prorſus à collyrij applicatione abſtinendo, cibiq́; offerendi ſunt optimi ſucci plurimiq́; alimenti, uinum quoq; flauum & tenue: utendumq; lauacris & calidæ infuſione ſuper caput, ſuperiorumq́; membrorum exercitijs & ſpiritus detentione.

De expreſſione oculorum. Cap. LV

EXprimi etiam oculi ſolent, ita ut eminentes perſiſtant, quod accidit ijs qui in athleticis certaminibus ſuffocãtur, aut mulieribus nimio pariendi dolore afflictis, aut ob plurimum defluxum confertim à capite irruentem. ſi ergo ob ſuffocationem euenerit, cubiti uenam incidito: ac ſi craſſi quoq; humores oculũ inuaſerint, atro elleboro aut ſcammonia purgato. quæ uero ob pariendi laborem expreſſiones oculorum contigerint, muliebrium locorũ purgationes ſanant, ijs igitur ſuccurrẽdum erit. quod ſi in uiris poſt ſanguinis miſſionem aut purgationem affectus perſtiterit, cucurbitulam occipitio affigito, potionemq́; aquæ & ciborũ cõtractionem adhibeto. oculo aũt lana melle illita cum modico croci apponenda eſt, linteolumq́; complicatum ſupra ſuauiter alligandum. confert ijs etiam tranſacto principio faciem marina aqua foueri, ac loco illini ſeridis, aut polygoni, aut pſyllij ſuccum cum opio. & quæcunq; cogendi contrahendiq́; uires habent.

De confuſione. Cap. LVI

COnfuſio oculi plerunq; ingentes percuſſiones conſequitur, contingitq́; ob uueæ inflammationem uaſis ipſius cõfractis. in hac pupilla colore turbulenta maior ſeipſa aut minor efficitur: quę quidem uenæ cubiti ſectione curãda eſt, ſanguineq́; ab animali nuper iugulato, præcipue à turture, uel ſaltem à columba; totum oculum replendo, mollemq́; lanam ouo, cum uino & roſaceo madefactam apponendo & alligando, idemq́; poſtridie faciendo. tertia die fomenta adhibebimus, &

inus & lac inſtillabimus: deinde uitellum oui aſſum cum melle & croco ſuper lin teolo extenſo apponemus. ubi uero pupilla iam ſatis purgata fuerit, illinemus col lyria ad antiquas diſpoſitiones confecta, ut aromaticum, chiacum Apollonij, & ſi milia. ſanabilior uero confuſio illa eſt in qua pupilla tantum dilatatur: colore ue ro & figura illæſa perſiſtit. at difficilime ſanatur ea in qua pupilla contrahitur.

De ijs quæ oculorum albo innaſcuntur. Cap. LVII.

QVæ in albo oculorum oriuntur, præter naturam omnia, quorum quædam nullum odorem afferentia, nec multum à naturali colore euariantia pilos frequenter producunt. hæc curabis hamulo arripiens & extendens, deinde ſcal pro pro pterygijs præparato incidens, tum inſperſo ſale tenuiſſimo torulum appo nes & alligabis, reliquamq; medicationem adhibebis, quæ ad pterygia inciſa do cebimus. quædam ſubrubea, tumida & uaricoſa ſunt, dolorifica, iniqua & aſpe ra, affectionis conſenſum temporibus inferentia. hæc tu omnia tanq̃ malefica ef fugies, nam in chirurgia delapſus oculi conſequetur.

De pterygijs. Cap. LVIII.

PTerygion uocatur quando in oculi albo ſiue ex ſcabie ſiue ex cõtinuis deflu xibus caro ſuperexcreuerit, cuius incrementum à maiori angulo frequen tius incipit, rarius à minori, rariſſime ab inferiori ſuperioriue parte genarũ, quod uſque ad nigrum protendi ſolet. ſi uero exceſſerit, nonnunquam pupillam attin git uiſumq; intercipit. facile curantur pterygia albeſcentia quæ anguſtam baſim habuerint, difficulter quæ ſint his oppoſita. ſubrubra enim phacelos interdũ he micranicosq; dolores inducunt, depulſis tamen accidentibus oculus liberatur. ea uero pterygia quibus initia ſuffuſionis iunguntur, curanda non ſunt: nanque ijs ſublatis citius inuadit ſuffuſio. neque etiam curari oportet craſſa, inuerſa, calloſa, uaricoſa, affectionis conſenſum temporibus communicantia: ſunt enim hæc ma lefica & canceroſa. quæ uero uſque ad pupillam perueniunt, ita ut uiſum impe diant, ſi auferantur, oculum quidem à deſtillationibus liberant. cicatrix autem ob chirurgiam ſuperueniens, nihilominus excæcat. denique illa tantum pterygia ma nuum arte ſunt medicanda, quæ ad nigrum uſq; peruenerint. parua uero & in ra albi fines contenta enitendum medicamentis compeſcere.

Medicamenta ad pterygia. Cap. LIX.

PTerygium egregie cõpeſcit aridum ad ſcabiem ex chalcitide & cadmia con fectum, & quæ ad ſcabioſos angulos deſcribuntur, & Theodotiũ Seueri con tritum & aridum applicatum, omniaq; abſtergentia collyria, ad aſperitates & ſy coſes deſcripta, & quę ad myocephala & ſtaphylomata congruunt, pſertim quod è uino conficit. Archigenes uero ad pterygia ſume inquit, atramenti ſutorij, gum mi, ſalis ammoniaci ſing. drach. ii. quæ trita ex aceto in collyria redigito & utere.

Aliud. Populi nigræ ſuccũ cum duplo mellis illinito. Aliud. Pumicem torrefactum illine. Aliud. Magnetis uiui, æruginis, rubricę ſinopicæ, ammo niaci thymiamatis ſing. drac. iiij. croci drach. ii. mellis unc. ix. quod etiam ad albũ gines conuenit. Aliud faciens quoq; ad hypopia & hebetudines. Glaucium terito et cribrato, deinde modica aqua ſubiges, tantumq; cineris pompholygis ad des quantũ ſuſceperit, & collyria conficies, quibus bis in die cum aqua uteris.

Aliud. Fel capræ cũ ſucco artemiſiæ & melle admiſcebis & illines. Aliud. Aes uſtũ terito cum urina pueri incorrupti & utere. uel ſquãmæ æris rubri, ni tri rubri, pumicis, cimolię ſing. drach. iiij. tere ex aceto quouſq; exiccenť, inq; ficti li mũdo ſeruato & utere. Aliud ad pterygia probatũ. Chalcitidis crematę do nec in prunã cõuerſa ſit drac. iiij. croci drach. i. terito & exiccato & utere. Aliud.

Chalcitidis uſtæ drach. xx. cadmiæ drach. x. ſquammæ rubræ drach. v. piperis

drach.i.utere arido.uel ſquammæ rubeę unc.i.grana piperis xv.utere tanquã uni co & experto. Aliud. Teſtas ſepiæ uſtas cum ſale ammoniaco terito & applica, uel atramentũ ſutoriũ cũ pari portiõe fellis ſuilli ſubige & illine:uel magnetem uiuũ exquiſite terito,& aridũ ſemel in die applicato,uel æris drac. xij.ſquammæ drach.vi.ſandaracæ tãtundẽ,æruginis,croci,ſalis ſing. drach.vi.myrrhę drac. i.mellis unc.ix.uel æris uſti,auri pigmenti,ſquãmæ,ſulphuris uiui,plumbi,cornu cerui uſti ſing. drac. v. cum ſucco marrubij terito in ſole, donec areſcant & utere

Pterygiorum chirurgia. Cap.LX

HAc uero arte ingrediemur ad pterygiorum ablationem. diductis utrinq; genis uolſellã in meditullio pterygij infigentes ſenſim extendimus, ne corneæ pellicula eleuetur. ſi enim ſimul auferatur ingentes inflammationes affert. deinde acum ſumimus cum filo & equina ſeta, atq; hanc ſubſigimus pterygio uolſella extenſo:poſtea cum ſubiecto filo pterygium alligantes,ipſum filum ſenſim ſurſum attrahentes extendimus, iubentesq; ut miniſter fili caput apte detineat, nos utraq; manu capientes agitamus ſupra & infra pterygium excoriantes,incipiendo à nigro oculi uſq; ad angulum: tum eadem ſeta continuitatẽ ſoluentes quę ad nigrũ uergit,et filo extendentes,partem pterygij iuxta baſim declinantẽ ad angulum ſcalpto abſcindimus, obſeruãdo ne angulus ipſe aut genæ lædanť. genis eñ inciſis ægritudo ſuperuenit quæ proſphyſis appellať.diſſecto uero angulo deſtillatio occupabit.at ſi pterygij baſis relinquať,renaſcetur pterygium,niſi quopiam medicamento eorũ quæ ſuprà deſcripta ſunt,abſumať.commenſuratã ergo proportionem coniecturis conſequi oportet.quod ſi æger formidoloſus oculos aperire nõ audeat,uolſellam ſuperiori genæ ſubmittentes extrorſum tendentes ſenſim inuertimus,deinde opus aggredimur ſicuti dictũ eſt:quo peracto in oculum muriam acriorem inſundimus,deinde lanam ouo madefactã imponentes alligamus: poſtridie exoluentes ac moderate fouentes, album & molle collyrium Seueri infundimus.in quarta reiectis mollibus incarnantibusq; collyrijs alia ad huiuſmodi affectus facientia applicamus.quæ uero ad hos affectus accõmodantur, ſunt nardina theodotia,& quæ ex uino conficiuntur.

De angulorum augmentis quæ encanthides appellanť. Cap.LXI

ENcanthides uocanť quãdo angulus maior ad naſum uergens,ob redundantem carnem excreuerit,quod maxime canibus euenit:nõ raro tamen id quoque hominũ genus inuadit quod in mari uerſať. benignior ergo encanthis indolens,mollis ſublaxaq; eſt. malefica uero dura, inæqualis,pungentes dolores inferens. benignas curari oportet lenibus medicamentis aridis, quale eſt ad ſcabioſos angulos ex chalcitide & cadmia cõfectũ.optimũ quoq; hoc quod habet aluminis ſciſſilis,miſyos aſſi,atramenti ſutorij portiones æquas:egregie eñ abſumit encanthidas,utere etiã Theodotio Seueri arido & eo qđ ad myocephala è uino cõficiť.

Chirurgia encanthidum. Cap.LXII

ENcanthidas uero magnas & maleficas uolſella correptas abſcindimus. q̃ ſi maior quoq; eminentia fuerit,acus cum duplici ſilo baſi inſigẽda eſt,deinde filũ conſtringendũ dimittendũq; interim donec caro liueſcat, quam poſtea ſcalpro abſcindemus,aridumq; ad ſcabiem illinemus,& linteum complicatum imponemus.poſtridie locum fouebimus.trãſacta tertia illitu mellis curabimus.cauendum uero eſt ne angulus ſimul à baſi cum naturali carne abſcindať, alioqui fluores quos rhyadas uocant ſuperuenient.

De eruptione ſanguinis ab angulis. Cap.LXIII

AB oculorum angulis erumpit ſanguis potiſſime infantibus ob cõtinuos eiulatus & diſtenſiones,apertis genarum uaſis:quos curari oportet poſcæ frigidæ

gidæ infuſione, gelidæq; aquæ aut etiam poſcæ inſperſione ſuper caput. inſtillandum quoq; eſt albumen oui cui miſceri collyria poſſunt, quæ ad tenues defluxus cõueniunt, inferioraq; membra uinculis cõſtringẽda, & craſſior cibus offerẽdus. maiori uero morbo infeſtãte, cucurbitula occipitio cũ ſcarificatiõe apponẽda eſt.

De genarum agglutinatione quam proſphyſin uocant, ac Ancyloſi. Cap. L X I I I I

GEnæ albo oculi uel nigro uel ſibi inuicem conglutinantur ex ulcere præcedente. quãdo uero albo agglutinant̃, ut oculi motus impediat̃, hunc affectũ ancyloſin uocãt. quæ igitur agglutinationes utriuſq; genæ in angulo factæ fuerint, eas uolſella extendi diſſecariq; oportet, ac linamento ſeparari, deinde ut reliqua ulcera curari. ſi uero genarum extrema cum tunicis oculi glutinentur, hamulo quem cæcum uocant gena extenſa, glutinationem ſcalpello incidemus, deinde carnis excreſcentias arido quopiam cõtrahemus, atq; æs contritiſſimũ genis ipſis ſubillinemus uſq; ad exactam curationem, obſeruando ne oculus illigetur.

De pediculis palpebrarum & lendibus. Cap. L X V

PEdiculi in palpebris generãtur, lati, puſilli, multi, ab ingluuie, ſordibus & prauo uicta trahentes originem. curanturq; primo quidem pediculos ipſos diligentiſſime extergendo, marinaq; aqua abluendo, poſtea loco medicamentum illinendo quod habet aluminis ſciſſilis drach. ij, uuæ taminiæ obolum unum, piperis obolos duos, æris uſti drach. i. myrrhæ obolos duos, lapidis ſciſſilis triobolum, miſyos aſſi drachmam unam. tere, & arido utere. inungendum præterea caput & exterendum cum ijs quę diſcutiunt & firmant, membraq; inferiora exercenda ſunt, uictusq; ratio adhibenda quæ bonum ſuccum afferat; ac ſimili modo lendibus earundem partium medeberis.

De hiſpiditate genarum, & deprauato pilorum ordine & phalangoſi. Cap. L X V I

HIſpiditatem dicimus quando ſub ipſis naturalibus genarum pilis noui ſuboriuntur, qui interius uergentes pungunt tunicas, & oculorũ defluxus prouocant. dicitur etiam hiſpiditas quando genæ relaxantur, uel quando palpebræ ita introrſum declinant, ut pili haud facile appareãt, niſi extenſis diductiſq; genis. medici uero ipſarum genarum relaxationem phalangoſin ſeu caſum appellãt. pilorum uero ſuborientem propaginem dyſtœchiaſin, id eſt ordinis prauitatẽ. eueniunt hi morbi ac præcipue ordinis prauitas ob humoris redundãtiam, ſicuti etiã tellus aquarum copia plurimas herbas producit. quod quidem facilius fiet, ſi defluens humor ſine eroſione fuerit: ſi enim illi ſalſedo inerit, pilos etiam naturales eradicabit. perfectæ ergo aſperitatis curatio eſt genarũ cõſutio. quoniã uero nonnulli ob mollitiem animi ſe chirurgico præſtare nõ tolerãt, his ſuccurrendũ eſt eo modo quo poſſumus. talia itaq; præſidia ad hunc morbum antiqui tradiderunt.

Medicamenta ne pili euulſi renaſcantur. Cap. L X V I I

PVngentes pilos ubi euulſeris, inuerſas genas recenti ranarum aut cimicũ ſanguine illinito, ſinitoq; refrigerari, uel chamęleontem album urito, ac cinerem ranarum ſanguine excipito, atq; uſus tempore ſaliua diluito, & poſt euulſionem pilorum inungito: uel ſuccum chelidonij & fumariæ herbæ cum idonea gummi quantitate excipito, deſiccariq; ſinito, & parua collyria formato, deinde utere ut dictum eſt. uel cochlearum carnes cum uiridium ranarum harundineta incolentium, uel herinacei terreſtris ſanguine ſubigito, & adiecta atramenti ſutorij commenſurata quantitate exiccari ſinito, & utere cauendo ne pupillã attingas. uel irundines uſtas terito, & poſt pilos euulſos utere. uel lumbricos terræ in olla crematos quouſque cinereſcant terito, & aſſumpto pari ſandarachæ pondere utitor.

uel ſiliquas aridas minime antiquas infringito, & quod in concauitatibus eius in
ueneris, modicum uiſcidum & melleum nucleo ſpicilli aſſumens poſt pilos euul-
ſos illines, idem ſępius repetendo. extreme autem confert, inquit Archigenes, ſan
guis herinacei terreſtris & fellis eiuſdem par pondus, & caſtorei quod ſufficit. ca-
ſtoreum uero exquiſitiſſime tritum ſanguine & felle excipitur, & quædam uelu-
ti ſquammulę formantur. uſus tempore ſquammulam ieiuni hominis ſaliua dilui
to, & poſt euulſionem pilorum genæ uniuerſæ illinito, detinetoq́ in loco circa ho
ram dimidiam, donec areſcat: æger quidem dolore afficietur, ſed pili amplius non
renaſcentur. uel pſyllij, ſeminis cicutæ, cedriæ portiones æquas noctuæ ſanguine
excipito, & utere ut dictum eſt, cauendo ne oculum attingas. uel fruſtulum uete-
ris ueli nauis accipito, lucernæq́ pro funiculo imponito, quam deinde liguſtrino
oleo replebis, ac eius fuliginem in æneo uaſe colliges, quã pilis euulſis pro ſtibio
ſugiter illines: et ſi pili renaſcant̃, idem repetito. uel aluminis rotundi partes duas,
taurini fellis partem unã exquiſite terito & collyria conficito: pilisq́ à radice euul
ſis illinc diebus quatuor. uel fellis uituli, caſtorei, gũmi, partes æquales ſine aqua
ſubigito & collyria conficito, & ter ſingulis diebus illinito, & finem quæſitũ con-
ſequeris. uel ſuis maſculi fel & adipem ex eodem animali, in fictile nouum den-
ſiſſimum leuigatiſſimumq́ conijcito, atq́ aceti acerrimi & olei alini ſingulorum
trientem infundito, denſioriq́ linteo circumligato, & ſinito uſq́ ad dies ſeptem,
deinde effundens in mortarium tundito, & habebis tanquam aurum quod etiam
toto corpori conferet. oleum uero alinum, amygdalinum eſſe dicitur.

Glutina pilorum. Cap. LXVIII.

FRactos interius præter naturam palpebrarum pilos, maſticha calido ſpicillo
illita glutinat, in priſtinũq́ ordinem redigit. ſimili modo bitumen, gluten tau-
rinum, cochlearum acu perforatarum mucus, ammoniacum thymiama, hieraciæ
liquor, reliquorumq́ ſuccus quæ anacollyria quaſi glutinatoria appellantur. facit
& hoc compoſitum: reſinę aridæ, picis aridæ, ſulphuris uiui, bituminis ſing. drac.
i. ceræ drach. vij. colliquefacta reponito, uſus tempore ſpicillo excipito, & calefa-
ctum medicamentum imponito, pilos enim glutinat.

De ſutura palpebrarum ex Leonida. Cap. LXIX.

SEdeat patiẽs à ſiniſtris artificis in ſede humiliori aduerſus ſplendidam lucem,
ſintq́ duo periti miniſtri aſſiſtentes, alter retrò occurrens, alter tranſuerſe. arti
fex uero prius collyrio aut ſcarificatione leui, ſuffecturam ſectionem cutis ſuper-
uacuæ & rugoſæ in gena exiſtentis deſignet, ne plus aut minus ſecet̃ quàm opor
teat. ſi enim latior fuerit inciſio, reddetur æger lagophthalmus, id eſt oculum ha-
bens leporinũ: ſin anguſtior ſit, laxabitur rurſus gena, & ſimili modo pili infeſta-
bunt. locus etiam uerſus palpebram in meditullio genæ ſuperficiaria ſectione ſi-
gnetur. poſt deſignationem genam inuertẽtes deducimus inciſionem interius ul-
tra pilos præter naturam, ut exterius ad naturales declinent. quandoque etiam
ſi pili præter naturã adhuc interiores ſint, in ipſorum loco inciſionem ſtatuimus,
ut à ſuperueniente cicatrice renaſci prohibeantur. nihil uero obſtat, quin duæ
quoque inciſiones fiant: altera interius ultra pilos præter naturam ut palpebra
exterius refrangat̃, altera in eorundem pilorum loco. ſit autem inciſio profunda.
conferet enim refractioni & genarum leuitati, tranſeatq́ ab altero palpebræ ter-
mino ad alterum. deinde toruli duo parui duplicati figura triangulares apponan-
tur, alter maiori angulo, alter minori: in quibus torulis miniſter retrò aſſiſtens api
cibus utriuſq́ pollicis innitatur, & unico impetu genam diſtendat. artifex aũt pol
lice ſiniſtræ eandem genam extendat ſub ſupercilio digito innitẽs, ut gena ęqua-
liter extendatur, optimæ extenſionis indicium erit, ſi ſignum in meditullio genæ

impreſſum

impreſſum proprium locum ſeruauerit. poſt extenſionem ſectio tranſuerſa in uir
gulæ modum inferius facienda eſt ſuperficiaria, ne defluens ſanguis chirurgiam
impediat. ſitq; hæc ſectio palpebris proxima, deinde ſectio ſuperior figura lunari
fiat, atque hæc quoq; incipiat inferius in regione maioris anguli, & cum aſcende
rit ad ſignum in meditullio exiſtens, declinet rurſus inferius ad minorē angulum,
ſitq; & ipſa magis ſuperficiaria ne muſculi genæ lædantur. poſtea miniſter tranſ/
uerſe aſſiſtens genam extendat, tum hamulum infigat principio circumfuſi uela/
minis: ſi oculus quidem ſiniſter fuerit in minori angulo, ſin dexter in maiori: idq;
uelamen hamulo attractum altera manu ſcalpello ſutorio diligenter excorietur,
ne profundata excoriatione lędanť muſculi ac genę, & relaxatio inſanabilis relin
quatur. poſt cutis uero abſciſſionē ad ſuturam peruenire oportet, ſitq; prima ſutu
ra in medio, deinde utrinque binæ, ut quinque omnino ſuturæ fiant. poſt conſu/
tionem extenſa æqualiter gena, ſplenio emplaſtico ſupra ſupercilium ſuturas ap-
pendito. ipſis autem ſectionibus ſpleniola parua glutinatoria & inflāmationem
ſedantia applicato, deinde lanam ouo madefactam toti oculo imponito & alliga/
to. at quoniam in nonnullis acris ſalſusq; humor delatus naturales pilos deſtruit,
palpebramq; duram efficit, pilis uero contra naturam enaſcentibus augmentum
præſtat, difficulterq; in his genę inuertuntur, acu cum filo firmiori mediam palpe
bram transfigere oportet, filumq; ſurſum trahere, atque ita inuerſa palpebra ſcal/
prum admouere & incidere, ut dictum eſt. ſutura uero deorſum trahens probatur
in inferiore gena reddita hiſpidiore, atque in hac quoque prius ſignetur, quanta
futura ſit relaxatæ & ſuperuacuæ cutis inciſio. nam ſi latior fiat, genæ euerſio ſu
perueniet: ſin anguſtior, uanum erit artificiū. poſt ſignationem toruli eodem mo
do angulis applicantur, & genæ extenduntur. deinde miniſter malę digitum inni
tens deorſum trahat, fiatq; prius ſectio lunaris, quæ eſt inferior, deinde tranſuerſa
& uirgularis quam palpebræ proximam eſſe oportet. tum excoriandum ſicut do
cuimus, & conſuendum, & reliqua quę ſequuntur peragenda ſunt. ſola autem ſu
tura in inferiori gena contenti ſumus reiecta inciſione, ne gena euertatur.

De ectropijs. i. euerſionibus genarum ex Demoſthene. Cap. LXX.

GEnæ plerunque euertuntur exulceratione præcedente, & carne ipſarum ſu/
peraucta, nonnunquā uero & ob duriorem cicatricē gena ſimul attrahitur
& euertitur, quod præcipue genæ inferiori accidit. ac moderatas quidem carnis
excreſcentias arido infrà ſcripto curabis: æris uſti, atramenti ſutorij, miſyos aſſi,
chalcitidisq; aſſæ ſing. drach. i. uel æris uſti drach. viij. miſyos torrefacti drach. ij.
chalcitidis torrefactæ tantundem, atramenti ſutorij drach. i. uel æruginem æris in
teſta torrefactam terito, & priuatim illinito, uel plumbi uſti par pondus adijcito.

Chirurgia euerſionum ex Antylo. Cap. LXXI

MAiora uero carnis augmenta ſpicillo circūcidere oportet: deinde æs uſtum
contritum applicare, aut aloem cum manna, & poſtridie fomentis primo
adhibitis idem repetere. in tertia poſt fomēta uſque ad exactam curationem mel
illinendum. quod ſi adhuc maior euerſio fuerit, tali artificio ſuccurrendum eſt. in
interiori parte genæ duas ſectiones literæ Λ figura diducito, ita ut anguſtior pars
labdæ inferius uerſus malam iaceat, latior uero uerſus palpebras. deinde uela/
men in labdæ ſpeciem ſimul cum ſubiecta carne incidito, neque enim gena infe/
rior chartilaginea eſt. cutis tamen indiuiſa ſeruanda eſt. tum labra inciſionis ſutu/
ra colligito. unica uero ſutura in partibus palpebrę adiacētibus ſufficiet, atq; hoc
modo gena inflexa & curuata introrſum cōuertet. at ſi cicatrix ob aliquā neceſſi
tatem exterius inducta genam euertet, auferri quidem oportet, ſicut prædixi/
mus, ab intrinſecis genæ partibus uelamen in labdæ ſpeciem, ſectionem minime

profundam

profundam faciendo,& ſutura ut docuimus, eiuſdem ſectionis labia colligendo. poſtea exterius cicatricem uolſella extendentes,acum cum duplici filo ſub tubere totius cicatricis transfigimus,à minori angulo inchoantes & acum ad maiorẽ ducentes. tum acu ibi permiſſa ad utroſq; ipſius terminos filum ſubducimus, & totum tuber cicatricis extendimus, atque ita incidimus, ſimul cum tubere infixam acum auferentes,ac poſt chirurgiam extrinſecæ ſectioni linamenta imponentes, torulum ab aqua frigida expreſſum applicantes & alligantes uſque ad tertiam dimittemus,torulum tantũ adiacentem frigida ſubinde madefaciendo.in tertia uero ſpõgia ex aqua tepida expreſſa fouebimus: hoc enim tempore reliqua nõ conferunt,cum caueri oporteat ne unio interius facienda ſuo fine fruſtretur. ubi uero iam facta unione uulnus aboleuerit, affatim poſtea fomentationes ſunt adhibendæ:præter enim quod cicatricem attenuabunt,etiam oculum lenient. deinde collyria adſtringentia intra genam illinemus. extrinſecam uero ſectionem in tota curatione apertam ſeruabimus,molliora medicamenta applicantes. erit enim ob exterioris cutis alligationem idoneum adiumentum ad genam introrſum cõuertendam. ſi uero encanthidis morbi ratione gena euertatur, abſciſſa encanthide gena in propriam naturam reſtituetur. noſſe aũt oportet ſuperioris genæ euerſionem eſſe incurabilem. ſed illa quoq; quæ ob reſolutionem genæ inferioris contigerit,incurabilis eſt. ſimili modo quæ ob uelaminis ſectionem iuſto latiorem euenerit,præcipue in ſuturis deorſum trahẽtibus.item quæ ob latam cicatricem fiat, ulcere uidelicet præcedente,ueluti poſt carbones.

De lagophthalmis. Cap. LXXII

LAgophthalmi dicuntur qui reuulſa ſuperiori gena oculo aperto ſicuti lepores dormiunt: generaturq; affectus is quandoque ob ſuturam qua gena plus æquo retrahitur, ita ut oculus contegi nequeat:quandoq; ob ulcus ſpontaneum, quod præceſſerit ueluti poſt carbones. eſt autem curandus lunari ſectione totius cicatricis,curuum quidem ſectionis ſurſum ducẽdo, apices uero deorſum uerſus palpebras. deinde ſectio impoſitis filamentis lineis amplianda, ac gena deorſum trahenda, donec naturali figura æqualis reddatur. genæ uero conuulſæ ea parte ſecantur qua conuelluntur,ac ſimili modo laxantur. in curatione autem medicamenta exiccantia,et aquam mulſam uitari oportet,ſed tetrapharmacum dilutum applicandum,& fœnogræci cremore locus fouendus:utq; ſummatim dicam, relaxandi impinguandiq; modus eſt eligendus.

De oculorum duritie ex Demoſthene. Cap. LXXIII

OCulorum duritiem uocamus, quando genæ & oculi ipſi ita indurantur, ut cum difficultate moueri poſſint,dolentes rubenteſq;,ſed potiſſime poſt ſomnum uix aperiuntur palpebrę,neq; humor ullus diſtillat,ac ſordes quę in angulis oculorum conſiſtunt,paruæ auerſæq; ſunt & ſubaridæ, & ſi genas ab eis extricare quærimus,haud facile ob duritiem extricamus.

De ariditate oculorum. Cap. LXXIIII

ARiditatem uero oculorum dicimus, ubi oculi ſubaridi & prurientes fiant, & leniter doleant abſq; genarum duritie.

De ſcabie oculorum. Cap. LXXV

SCabiem adeſſe dicimus,quãdo oculi ulceroſi,rubei & ualde prurientes fiunt, genæq; rubeſcunt,lachrymaq; ſalſa & nitroſa diſtillat.

Curatio duritiei ariditatis ſcabieiq; oculorum. Cap. LXXVI

TRibus ergo prædictis affectionibus diligẽs cura adhibenda eſt:neglectæ eñ ſuffuſiones,albugines,lippitudines diuturnas, ulcera & ſtaphylomata inferunt.ac primo ariditati totius reliqui corporis medicatiõe occurremus cũ ijs quæ

humores

humores ad oculum trahunt, qualia ſunt arida medicamenta quæ deſcribentur: ſtratioticum inquam & dicentetum, & ſimilia. eodem modo duritiem quoq; medicinis humorem euocantibus corrigemus, illinentes liquidum Heraſiſtrati & reliqua huiuſmodi, ac deinde his quæ molliunt & humectant utentes, quemadmodum calidæ temperatæ & dulcis infuſione, & aſſiduis ſpongiarum fomentis. refrigerantia uero emplaſtica glutinatoriaq; medicamenta ſunt recuſanda, & aquæ frigidæ infuſio. ab ijs enim magis induratur oculus. at ſi ſcabies ſimul cum duritie euenerit (nam ob humorum acrimoniam genæ exaſperantur, ut anguli quidem erodantur, ulceroſiq; fiant, oculi uero & genæ indurentur, difficulter que moueantur) tunc adhibito prius ſpongiæ fomento angulis illinemus, primo aridum ad ſcabiem confectum, deinde mediocri tempore interiecto, rurſus ſpongia fouebimus, & applicabimus quæ humorem euocare queant. quale eſt liquidum Heraſiſtrati, & collyrium ſtratioticum & dicentetum. aridum uero ad ſcabiem ita conficitur. Chalcitidis crudæ, cadmiæ ſing. drach. v. tritas in ollulam cōijcies, quā deinde opertam et gypſo illitam in uaſe locabis temperatum acetum continente, ut exterius quidem madeſiat, interius uero nihil humoris influat, atq; ita ſeptem diebus dimittito, tum in ſole exiccato & terito. Aliud ad eroſos angulos lachrymas ciens. Spodij drach. iiij. omphacij aridi drach. ij. ſpicæ nardi triobolum, piperis torrefacti grana xv. tere & utere. Aliud ad eroſos angulos & ſcabioſas affectiones oculorūq; duritiem. Cadmiæ drach. ij. chalcitidis crudæ drach. i. aloes obolos duos, æruginis obolum ſem. piperis grana x. florum roſarum drach. i. confice & utere. Aliud ad ſcabiem oculorū. Cadmiæ, æris uſti, ſpicæ nardi ſing. drach. i. piperis torrefacti obolos duos, conficito cum aceto in ſole & utitor tanq; idoneo. Aliud. Cadmiæ unc. i. folij unc. ij. piperis unc. i. confice & utere.

Aliud ad defluxus conferens admirandum. Coſti unc. vi. æris unc. ij. fuliginis, cedriæ unc. i. utere. Aliud Capitonis ad oculos aridos anguloſq; eroſos.

Cadmiam in ſpeciem farinæ terimus, dein melle attico irrigantes in fictile uas conijcimus contegimusq; operculo perforato, & luto illinimus, erectoq; uaſe inter carbones ignem uentulo excitamus. ubi uero candidus uapor eleuari inceperit, tollimus ab igne uinoq; antiquo cadmiam extinguimus, poſtea ſumimus huius drach. viij. æris uſti tantundem, ſtibij drach. iiij. armenij lapidis ſi modo aderit, drach. i. ſingulaq; terentes & cribrantes, collyria cum uino conficimus & exiccamus, quæ genis nucleo ſpicilli in ſtibij morem mane & ueſpere illinimus. nos uero cadmiam & reliqua omnia adipe uiperæ commiſcentes torrefacimus, poſtea uino extinguimus & deſiccatis utimur. Aliud. Cadmiæ drach. ij. æris uſti, lapidis hæmatitæ ſing. drach. i. croci noui optimi drach. viij. terito ſingula & melle illita aſſato, uinoq; extinguito & utere. Aliud mirabile ad defluxus. Coſti, æris ſing. unc. iij. fuliginis cedriæ unc. i. Aliud ad ſcabiem oculorum, ſycoſim, putredinem & carnis excreſcentiam. Cadmiæ, chalcitidis ſingulorū unc. iij. piperis grana xv. nardi celticæ drach. i. tere cadmiam & chalcitim cum uino, deinde exiccatis addito nardum & piper contritiſſimum. Aliud Archigenis ad omnia quæ prædiximus: amurcam decoctā cum melle terito & utere. ſunt alia quoque multa quæ infrà deſcribentur, inter collyria ad plurimos uſus.

De glabritie & ptiloſi palpebrarum. Cap. LXXVII

GLabrities & ptiloſis palpebrarum morbi ſunt, ac glabrities quidem tantum pilorum defluxus eſt, ob acrem diſtillationem cōtingens. in ptiloſi uero palpebræ craſſeſcunt, callumq; obducunt, ut affectus ſit ex glabritie & oculorum ariditate compoſitus, propterea & auxilia ſimilia erunt ijs quę ſuperius tradidimus: cæteris tamen præfertur aridum Philoxeni ad pruriētes craſſoſq; angulos & ad

hebetudines

hebetudines conferens:cadmiæ drach.viij.ſalis ammoniaci,croci,ſpicæ nardi ſin. drach.ij.piperis albi drach.i.tere & u ere. Apparatus diuerſi,& primo ſtibiũ muliebre faciens ad ptilos & eroſos angulos.ſtibij uſti et muliebri lacte extincti drac. xiij.aloes,ſpicæ nardi,myrrhæ ſing.drach.ij.hordei uſti cõtritiſſimi drach.iiij.conſice & arido utere. Ad ptilos & palpebras eroſas. Medullam bubulam pedis dextri anterioris cum fuligine ſubigito & utere.fuliginem uero ita facito:papyrũ pro funiculo lucernæ aptato,impoſitoq́; oleo ſeſamino accendito, ac ſupra lucernam fictile leue,aut æneum uas deterſum locato, uaporẽq́; excipito, ac paulatim pẽna colligito,deinde cum medulla terito . uituli etiam coagulum illitum ſumme confert.ſimplicia uero medicamenta ad ptilos eroſasq́; palpebras ſunt,amurca decocta,lycium indicum, armenium quo pictores utuntur, cum aqua illitum,quod ſimul deprauatos ſuccos abſumit, & pilos auget naturales . ærugo ferri pluribus diebus ſub ſole cum myrrha ſubacta & in collyria redacta,ſpodium ceparum ſucco exceptum. Soſandri ad milphoſes affectusq́; diuturnos & ad encanthidas:cadmiæ,ſtibij, chalcitidis crudæ, miſyos crudi ſing.drach.viij. terito,& aſperſo melle in fictile uas conijcito,tegitoq́; operculo perforato,lutoq́; illinito,deinde inter accenſos carbones erigito.ubi uero candidus uapor apparuerit,tollito ab igne,& uino reſtinguito,poſtea adijcito ſpicæ nardi drachmas duas,croci torrefacti tantundem,piperis drach.i.omnia ſimul terito & utere.

De abſceſſibus genarum ex Demoſthene. Cap LXXVIII

INteriores quidem genarum partes inuertendæ ſecãdæq́; ſunt,humorq́; exprimendus,deinde muria infundenda,lanaq́; ouo madefacta ſuperliganda.poſtridie foueri oportet & melle illini,ac reliquam mordicationem adſtringentis collyrij infuſione perfici.exterioribus uero partibus poſt ſectionem humidiq́; expreſſionem linamenta melle illita imponemus,lanamq́; alligabimus.abſceſſus autem qui genarum chartilaginem ſimul corruperint,ſi exterius quidem contigerint,fieri poteſt ut ouo & melle purgentur,deinde cum medicamento incarnentur quod aridum cephalicon uocant.ſin locum intrinſecum occupauerint, genam inuertemus,& partem chartilaginis denudatã circumrademus, atq́; contritiſſimo ære inſpergemus,in tertia mel illinemus,poſtea adſtringentibus collyrijs utemur.

De lithiaſi genarum. Cap.LXXIX

LIthiaſin genarum appellant, quando inuerſis genis inexiſtunt quædã tophis ſimillima,in ſpeciem uarorum candida & aſpera.hanc curari oportet, genas inuertendo,& ſcalpro anguſti apicis cutim incidendo,deinde cyathiſco ſpicilli inhærentem tumorem excudendo, tum ære uſto trito locum ſternendo,ouumq́; cũ uino & roſaceo lana exceptum alligando,& poſtridie fomenta adhibendo,in tertia uero mel illinendo.quod ſi extra genas tophi enaſcãtur,poſt inciſionem & excuſſionem ſplenium tetrapharmaci apponito.

De grandine oculi. Cap.LXXX

QVandoq́; ſi palpebræ inuertant̃,ſupereminent rotunda & translucida quędam tubercula ſpeciem grandinis imitantia,quibus diſſectis effluit humor albumini oui ſimilis,quæ eodem modo inuerſis genis ſcalpro ſecari oportet & humorem excerni,poſtea infrà ſcriptũ aridum illini: æris uſti drach.ij,ſquãmæ drac. i.ſandarachæ tantundem,æruginis,ſalis ammoniaci,croci ſing. drach.ix.myrrhæ obolos duos cõfice & utere.euenit uero nõnunq́; etiã extra genas ſubdura grando ſimilis fabæ,quã ſiquis uiolente attigerit ingens dolor & quãdoq́; animi defectio excitat̃,quæ ſimili modo ſummã cutim ſecãdo & cyathiſco ſpecilli detergendo curat̃,ac mellis linimentorũq́; applicatione & fomentis facile ſanat̃.quod ſi medicamẽtis ad grandines uti uolueris,iſta eligito:pollinis tritici unc. ij.ſulphuris uiui

unciam

unc.i.cũ aqua ſubigito,ac paſtillos confice & utere.conferunt & quę ad hordeolũ inferius deſcribentur.

De hordeolo genarum. Cap. LXXXI

HOrdeũ appellamus quando in gena prope palpebras potiſſime exterius contingit ſuppuratum quoddam tuberculum figura hordei grano ſimile, quod facile curabis,ſi fomento cerę candidę ſuper nucleo ſpecilli calefacto materiam diſcuties:aut abſciſſo capite muſcæ reliquo corpore hordeolũ fricabis. uel chalbanã cũ modico nitri ſubactam,uel ſagapenũ ex aceto tritum appones, quod etiam ad grandines facit.locus quoq; ſpongia, & calido pane fouendus eſt, ac poſt humidi excretionem melle illinendus,deinde ad collyria ulcerum accedendum.

De ganglijs,atheromatibus,ſteatomatibus,& fauis genarũ. Cap. LXXXII

EXtra genas tales quoq; morbi contingunt,ac ganglia quidem ceratis & malagmatis curantur,quæ ad ganglia deſcribentur,& fomẽto aquæ calidæ.ganglium enim nerui contritio eſt,faui uero paruaq; ſteatomata & atheromata nonnunquam curantur ſi faſtigijs eorum adurens medicamentum applicetur, donec adiacens cutis uſq; ad profundum incruſtetur, deinde poſt cruſtæ caſum ſpicillo cyathiſci tunicula humorem continens excidatur:quę ſi nequeat,ſubſcripto medicamento putreſiat:ſandarachæ drach.ii.auri pigmenti drach.i. ſquammę æris,elaterij ſing.drach.ii.ellebori nigri drach.i.chartæ uſtę quantum ad colorandum ſufficerit confice & utere cũ roſaceo.quæ uero ſuperexceſſerint,chirurgia curabuntur,quemadmodum in reliquo corpore fieri conſueuit, ad baſim excidendo ſimul cum tunica humorem continente,poſtea labijs ſutura coniunctis medebimur ſicuti cæteris ulceribus quæ ſuuntur: obſeruandumq; in chirurgia ne faſciola cutis incidenda nimis late incidatur,alioqui leporini oculi efficientur.

De uaricibus genarum & maleficis appendicibus. Cap. LXXXIII

VArices genarum ne curato, ſunt enim maleficæ, neq; earundem appendices tumidas dolentes, & ſubrubras & in ſeipſas preſſu digitorũ redeuntes, quoniam hæ quoq; maleficæ ſunt & inſanabiles.

De ægilope ex Seuero. Cap. LXXXIIII

AEgilops abſceſſus paruulus eſt iuxta maiorem angulũ genitus, morbus ob corporũ tenuitatem & ſubiacentis oſſis putredinem medicatu difficilis, qui loci propinquitate ſæpe & ipſi oculo nocumentum impartitur, per foramen exiguum à natura in eodem angulo factũ.inchoante ergo inflammatione primo ſtatim die enitemur repellere, Antonini collyrium loco inflammato illinentes, aut quodpiam aliud eorum quę uehementer repellunt & ſtupefaciunt.cõſueuit enim linimentũ repercutere quod defluxit.ſi uero inflammatio perſeuerauerit, curabitur ſicut reliquæ inflammationes curari ſolent, diſcutientibus medicamentis,quę agere poſſint ſine eroſione: ab acrioribus enim oculus ſimul afficiť,inq; ipſa parte male habente inflammatio crebreſcit.nos uero nondum permutatis inflammationibus emplaſtro barbaro, uel leæna uel minerua, uel eo qd' ex ſalice, uel quod ex aceto & oleo conficitur utentes,abſceſſum diſcutimus & exiccamus. Aſclepiades autem ad ægilopas talia deſcripſit medicamenta: ſucci illecebræ quã quidam portulacam ſilueſtrẽ uocant aut ſemperuiuũ minus, ſucci ſolani ſingulorũ unc.i. thuris drach.viii.chalbanæ drach. vi. maſtichæ unc.iii. thus tritum decoquito,atque ubi ſolutum fuerit chalbanam præmollitam addito, maſticham enim recuſamus. Aliud. Thuris, myrrhæ ſin.drach.viii.ladani drach.iiii.ceræ,aluminis, aphronitri,coaguli leporis ſing.drach.iiii.tundito & cũ irini unguenti fece ſubigito.quod ſi euincentibus diſcuſſorijs medicamẽtis inflammatio ſuppuretur quàm citiſſime incidito,expurgatoq; tabo ſubſcriptis præſidijs utitor. at ſi ita ad angulũ declinet,ut nihil prorſus ad ſuperficiem uergat,tunc ſcalpello phlebotomo anguli

meditulliū incidere oportet, deinde carnem ſuperuacuam exiccare. quod fiet ſi nil pingue loco applicabimus, ideo in principio decocta lente aut malicorio cū melle utemur. loco uero expurgato, genitaq; iam carne uitrum minutiſſime tritū apponimus, in eo uſq; ad exactam curationem perſeuerantes: eſt enim præſidiū omnino admirandum, cuius uirtus oratione ſatis explicari non poſſit. ſed & alumen ſciſſile modica terebinthina ad emplaſtri conſiſtentiam, aſſumptum purgat, incarnat & ad cicatricem perducit. in ulceris uero cōcauitate medicina imponenda eſt, paruulumq; ſplenium extra applicandū, quo nos regimine uſi nullo ulterius medicamento ad recentes ægilopas indiguimus. at quæ ab antiquis ad hūc morbum ſcribuntur ſunt huiuſcemodi: chamæmali folia manſa & appoſita, aut maluæ folia ſimili modo manſa & cum ſale illita, ac poſt apertionem eadem malua trita uſque ad cicatricem applicata. apponitur & myrtus manducatione ſubacta, uel labruſca, uel muris auricula, uel ſolani præcipue ueſicarij folia, uel ægilopis inter frumenta naſcentis cremor cū frumentacea farina, uel plantaginis folia. thus quoque & fimus columbinus ſimul teruntur, & applicantur. qđ lapideſcit, & uſq; ad integram cicatricē perſiſtit. Aliud: propoleos, terebinthinę, thuris portiones æquas terito ac ſpleniū cōficito & utere. facit & aridum ex eruis cum melle. Aliud: fel ouis fumo exiccatum tritum ægilopi ulcerato appones. Aliud thus tritum liquida pice exceptum ad formam emplaſtri applicabis. id enim inchoantes quidē ęgilopas diſcutit, ruptos uero ulceri appoſitum ſanat. Aliud etiam ad ſtrumas expertum: lilij radicem recentem terito ad emplaſtri conſiſtentiam & loco admoueto. frangit enim repurgat, & ad cicatricem perducit.

De uſtione ægilopum. Ca.p LXXXV

SI uero perſeuerante morbo os uerſus angulum putrefactum perforetur & in ſumma cuti ſuperficiaria cicatrix obducatur, primo triangularem ſectionem adiacentis carnis faciemus, ita ut anguſtior pars ſectionis ad angulum uergat, deinde ſpongia oculo applicata cauteria ignita ſectioni uſque ad os admouebimus, donec exciderit ſquamma, partes obliquas in cōcauitate ulceris & maxime ſuperioreś inurendo: tibi enim diligentius ſpectanti in prima cauterij applicatione, anguſtiſſimum foramen, humidam tanquam lachrymulam ulceri inſtillans ſuperius ex obliquo apparebit: propterea in eo foramine cauteriū uehemēter firmari oportet. idonea uero inuſtione peracta, decoctam lenticulam cū melle applicabimus. at ubi cruſta deciderit ſatiſq; ulcus purgatū ſit: alumen tritum cū liquida terebinthina ad emplaſtri formam cōmixtum ulceris concauitati apponemus, ocyſſime enim repurgat, & incarnat, & ad cicatricem ducit. ſed & uitrum contritiſſimū applicatum optime incarnare compertum eſt.

De anchilope, Cap. LXXXVI

CIrca prædictum locum, ubi ęgilops fieri ſolet, contingit interdum quodpiam humidum, ſegne, melleum, ſeu pultaceum in tunica plerunq; contentū, ſine dolore, paulatim incrementū ſuſcipiens: quod chirurgia curabitur, ſicut alia in reliquo corpore atheromata curari conſueuerūt, inciſa ſuperficie & ſublata ad baſim tunica illum humorem continente. poſt quam ablationem ut tutior ſanitas reddatur, nec morbus regeneretur, cauterio ignito locū inuremus: deinde lenticulam primo cum melle, poſtea alumen cum terebinthina ſicut diximus, apponemus.

De fluoribus oculi & aduerſus eoſdem ſtibium Alexandri Regis. Cap. LXXXVII

FLuidi dicuntur oculi quando ex ulcere, aut pterygij encanthidis'ue ablatione angulus totus ſublatus ſit, ne influēs lachryma amplius detineri poſſit, ſed ad malas delabatur. quod interdum etiam ob ægilopas male curatos contingit. fluidi

etiam

etiam uocantur qui aſſiduarū deſtillationum ratione iugiter lachrymant. priori-bus medebimur angulū profunde abſcindentes, deinde idoneo medicamento locum denſantes, & cōfirmantes, quale eſt quod tephron uocatur. ſi uero callus adſit, quopiam acriori medicamento irritandus erit. ijdem manuū quoq; artificio curari ſolent: nam collo faſcia conſtricto uena naſo adhærens præſignata ſpecillo diagono inciditur, deinde oculo ſpongia defenſo cauterium triangulare applicatur, non quidem uſq; ad os penetrando, ſed cutim tantum ſectionemq; adurendo, cui poſtea lenticulam cū melle ſubactam illinemus: tum mundificato ulcere, ne oculus inter incarnandum conglutinetur, exactiſſime ſeparandus eſt donec carne pura angulus repleatur. eidem confert alumen cum terebinthina. oculos uero diuturna deſtillatione lachrymantes & humeſcentes, ante omnia aquæ potione, & cibi abſtinentia, deinde exercitijs, deambulationibus, capitis frictione, abraſioneq; & frigida infuſione curabis: uiciuq; uteris qui optimū quidem ſuccum, ſed craſſiuſculum reddat, locoq; maxime illines emplaſtica refrigerantia, & adſtringentia medicamenta, & poſt illitionē frigida poſca lauabis. tale uero ad huiuſmodi uſus experimento probatū eſt: ſuccum à plantagine expreſſum excolato, & in fictile nouum conijcito, mundoq; linteo adopertum inſolato, ſingulis diebus uerſando, & arefactum recondito, quo deinde pro arido collyrio uteris. at ſtibium Alexandri Regis inſigne faciens ad fluores, & ptiloſes, ita conficitur: terræ ampelitidis, croci, nardi celticæ par pondus cum melle irrigato, & in ollulam conijcito, tegitoq; operculo perforato, & luto illinens prunis imponito. ubi uero caliginoſus uapor per foramina eleuari deſiuerit, tollito ab igne, ſinitoq; refrigerari, deinde minutiſſime terito, & cribrato, ac pro ſtibio utitor.

ad oculos cum destill lachrimantes.

Ex Seuero de inurentibus tempora. Cap. LXXXVIII

QVidam barbaris legibus ſeruientes in diuturnis oculorum diſtillationibus tempora inurunt, ſiue medicamento, ſiue medulla ligni iuglandium, quem operandi modum hyſcam appellant: alij candenti ferro inuſtionem perficiunt. ſed ego quandoq; ob iſtius modi inuſtionem nimis profundam & perperam factam uidi cum alienis humoribus natiuos ſimul abſumptos, ut oculus ad ſummam ariditatem delaberetur, morbusq; ſubreperet inſanabilis. ac primo dolor moleſtus, ardorq; ingens excandeſcebat, qui cum lenientibus collyrijs magis excitabantur: liquidum enim collyrium intra oculum influens, ab immoderato calore affatum in quaſdam ueluti arenulas uertebatur: quarum aſperitatem dum oui illitione mitigaremus, id quoq; ab ardore torrefactum in quarundam tanq̃ membranarum ſpeciem cōmutabatur, quę ita oculo agglutinabantur, ut maxima cum difficultate ſepararentur. ac ſi lac experiremur, id etiam craſſius reddebatur, deniq; omnia liquida incendebanť. propterea iam defeſſi fœnogręci ſuccū infudimus, ſtatimq; nonnihil quidem mitigauimus, ſed & hic ui morbi ſuperabatur. demū ratione ducti, ad roſaceum tepefactum, & infuſum acceſſimus, maximumq; inde iuuamentum retulimus, ut nobis deinde abſentibus æger hoc ſolo uſus præſidio ab accidentibus leuaretur. ſed ad alia quoq; permulta in oculorū morbis roſacei utilitas à nobis deprehenſa eſt. ſi enim ariditas etiam à natura contigerit, ut oculus uix moueatur, atq; omnino lachrymis careat, roſaceum collyrij loco utiliſſime adhibebimus.

De arteriæ ſectione ex Seuero. Cap. LXXXIX

CHirurgiæ quæ circa caput, & frontem perficitur una nobis communiſſima intentio eſt, ut diſtillatio ſanetur: artificia uero magis propria & particularia pro uirtutis, accidentiū, locorumq; ratione, ac pro diſtillationis materia uariamus. ergo cum unum arteriarum genus ſit, loci uero diuerſi, nunc de poſterioribus loquemur: ipſæ enim ueluti principia quędam ſunt earum, quę in capitis ſuperficie

 uidentur

uidentur. ſi igitur uehemētes dolores, uel ſphaceliſmi, uel ſtaphylomata, uel oculorum procubitus urgeāt, arterias poſteriores capitis incidere oportet. protinus enī iuuantur ægri. locus itaq; præradendus eſt, pulſusq; diligentiſſime tactu aduertendi, & poſt aures interuallum trium circiter digitorū demetiendū iuxta caluæ partem, quod occipitiū uocatur: ſectioq; nō obliqua, ſed tranſuerſa uſq; ad os facienda, & pericraniū exquiſitiſſime abradendū, atq; emanatio ſanguinis uſq; ad animi deliquiū toleranda, ſi uirtus robuſta dolorq; uehemens fuerit: ita enim accidēs mitigabitur. deinde cuneolū ſectioni æqualem uulneri immittimus, adiectisq; cuneolo plurimis linteis thorulū poſca madefactum ſuperponimus, poſtea arctiori uinculo colligamus, in fronte utrunq; uinculi principiū cōnectentes. poſtridie per mixtis uino & oleo ligaturam madefacimus, quam inſolutam permitti oportet. in tertia ſolutis uinculis labra uulneris moderate colluemus, & os abrademus, idem quarta & quinta die repetentes, quouſq; os ſanguinē emiſerit: id enim indicabit abraſionē peractam ſufficere. illinenda uero ſunt linamēta emplaſtro ex pumice, aut ex oleo & cera confecta, deinde arido ex orobis quod cephalicū uocatur, aut noſtro qđ monogenes quaſi unius generis appellatur: namq; hoc ſtatim poſt abraſionem applicatū carnem producit: habet autē pollinis farinæ partes duas, colophoniæ contritiſſimæ partem unam, quo arido linamentū conſpergimus, & ſplenio, quod detinet linamentum quodpiam eorum quæ ex ceruſſa conficiuntur, illinimus. inducendæ enim cicatrici conferunt.

De periſcyphiſmo, id eſt, excoriatione pericranij. Cap. XC

PEriſcyphiſmum quoq; admouebimus, ubi diuturna tenuisq; deſtillatio oculos infeſtauerit, plurimaq; uaſa ſint, quæ deſtillent. primo igitur abraſo loco animaduertere oportet, ne in ſutura coronali muſculi temporū incidantur: nam ſectio tranſuerſa paulo ſupra frontem ducenda eſt, ab uno tempore ad alterū proficiſcens, diſſecto ſimul pericranio exquiſitiſſime abraſo: deinde immiſſis cuneolis linamenta applicabimus, ac reliqua peragemus, quę in arteriarum ſectione docuimus, potiſſime madefactionē eligentes, quę fit cum uino & oleo cōmixtis. tranſacta tertia ad ſuppurantia accedemus, deinde ad ea quæ exiccare poſſint. ſi ergo à ſincipite tantū diſtillatio fiat, ſectione prædicta contenti erimus. ſi uero nō tantū à ſuperioribus uaſis, ſed etiam à temporibus fluxus deferatur, præter ſectionē quā diximus duas alias quoq; lunares admouebimus, in ſingula parte ſingulam, incipiantq; ambę tam dextra quàm ſiniſtra à principio ſectionis ſuperioris tranſuerſæ ductæ, deſcendantq; deſuper uſq; ad mediā frontē lunari forma progreſſæ, & circa ſupercilia auertant, ne muſculi temporū afficiantur iniuria, ſitq; trium ſectionū figura ϖ literæ græcæ ſimilis, cornibus ad partē intrinſecam incuruatis hoc modo ϖ, atq; hic quoq; cuneolos in ſectiones mitti oportebit, & reliqua quæ ſequuntur peragere, ſicuti dictum eſt.

De uaſorum euratione cum cauterijs ex Leonida.

Inualuit conſuetudo, inquit Leonidas, ubi deſtillatio mixta fuerit, à ſincipite & fronte ad muſculos temporū ultra minores oculorum angulos prope tempora, ſupra fines ſuperciliorū cum nuclearibus cauterijs cruſtas inducere, diligenter obſeruando ne muſculi temporū attingantur. in deſtillationibus uero ſincipitis collum conſtringo, ut uaſa frontis magis attollantur, eaq; capillis primo deraſis inuro.

De hypoſpathiſmo. Cap. XCI

HYpoſpathiſmum eligunt, qui periſcyphiſmi deformitatem uitare uoluerint, hunc enim cicatrix circularis maxima ſequitur. eſt tamen hypoſpathiſmi curatio debilior imperfectiorq; periſcyphiſmo, propterea periſcyphiſmus pręfertur, ubi ſumma neceſſitas urgeat.

De uaſorum curatione & de linimento è capitibus uiperarum confecto. Cap. XCII

VAſorum curationem admittimus uno tantũ oculo patiente & ad fluores angulorum, & ad hemicranias, atq; ubi uenæ frontis nimis altæ, eminentesq; fuerint. uas autẽ atramento ſignamus, deinde extremis ambarum manuũ digitis cutem frontis ex utraq; ſigni parte attollimus, & ſuperficiariã ſectionẽ in ipſo ſigno ſecundũ uaſis rectitudinem ducimus, poſtea iterũ membranas cuti ſubiectas paulatim ſecamus quouſq; uas nudũ appareat: mox duobus hamulis ſectionis labia ſubleuantes, & ſenſim ſcalpello ſubradentes, idẽ uas à circuniacentibus membranis ſeparamus, cui deinde cæca uolſella attracto & ſuſpenſo acum cũ duplici filo ſubmittimus, ſublataq; acu filũ dimittimus: idemq; in altero uaſis termino efficimus, tum perforato uaſe ſanguinẽ mittimus, quo educto, quantũ ſatis uidebit, utrunq; terminũ ſuppoſitis filis connectimus, intermediamq; partẽ abſcindimus: tum linamentis immiſſis thorulũ ex aqua frigida expreſſum applicamus, & alligamus. poſtridie uino & oleo madefacimus, tertia ſoluimus, ac moderate abluentes, linamenta ex melicrato apponimus, donec fila exciderint, imò uſque ad exactam incarnationẽ eodem utemur, eſt enim præſidiũ efficax. cicatricẽ uero inducemus medicamento quod melinũ uocatur, aut quod ex cadmia cõficitur. Ad diuturnas deſtillationes ualde probatũ. Viperarũ capita in olla exquiſite urito, cineremq; cũ lupinorum amarorum cremore ſubigito, temporaq; illinito, & admiraberis.

De temporum cataplaſmatis & de glutinatorijs & linimentis. Cap. XCIII

QVoniam uero deſtillationes à ſuperioribus locis ad oculos deferuntur, ab hemicranijs enim ſphacelis, & capitis fluoribus oculorũ dolores augentur, ut propterea ipſi oculi paucis remedijs indigeant, tunc agglutinatorijs, & linimentis, ſicuti dictum eſt, uti debemus, quando oculi ob capitis dolores deſtillent, aut quando uaſa frontis, & temporum curua extenduntur. ubi uero non à uaſis frontis, & temporum & genarum, ſed à profundioribus humores deferuntur, tunc agglutinatoria & linimenta potius nocebunt. præterea ſi ſine inflammatione deſtillent oculi, agglutinoria fluorem ſiſtent. at ſi inflammatio adſit, humores potius à circuniacentibus partibus ueluti excolatos ad loca inflammata expriment. ergo agglutinatoria, quæ ex ſimilagine, ouis & thure cõficiuntur, ſunt recuſanda. cum enim exiccentur cauſas irritant, & diſtillationes adaugent. quæ uero mollia perſiſtunt, præter quod nõ extendunt, etiam frigiditate adſtrictioneq; comprimunt uaſa. ſi igitur cauam lædens calida fuerit, croci, opij, myrrhæ, thuris portiones æquas ad fecis conſiſtentiam cum aqua ſubactas illinimus, protinus enim conciliato ſomno, dolor ſedabitur: idem poteſt ſtratiota fluuiatilis cum aloe, aut polygonũ cum maſticha tritum. præterea mandragoræ cortex cum thure mirum in modum iuuat, & maſticha cum ſucco braſſicæ illotæ ſummopere exiccat. præterea fabrorũ fuligo quam hephæſtiam uocant, cum ouo irrigata fluores ſiſtit. ad frigidam uero intemperiem calx uiua cum ouo, aut ſtercus hirundinis cum maſticha, & oui albumine confert.

Totius capitis linimenta ex Seuero. Cap. XCIIII

TOti capiti calida intemperie affecto, acaciam cum uino tritam illinemus. ab aceto enim abſtineri oportet in huiuſmodi capitis linimentis. facit & terra ſamia cum ſucco plantaginis, aut ſolani. frigidiori uero cauſa exiſtente, ut æger capitis frigiditatem aperte percipiat, & defluens lachryma frigida ſit, remedia frigido affectui contraria applicabimus, ſicut naſturcium cũ ouo tritum & erucæ ſemen cum aceto, & thapſia cum ſinapi & aceto ſubacta. quod præſidiũ efficaciſſimum eſt. cochleæ etiam libycæ cũ thure ſimul & aceto tritæ iam maximũ fluoris impetum reſecarunt. præterea hirundinum nidus ſimul cum ſtercore ibidem in-

Ee 3 uento

uento aceto irrigatus difficiles hemicranias ſanat: idem poteſt euphorbiũ cũ aceto tritum, uteris quoq; puluiſculis, & ſmegmatis ſupra deſcriptis ad diuturnos capitis dolores.

Cataplaſmata oculorum ex Dioſcoride. Cap. XCV

CAtaplaſmata uero oculorum inflammationes ſedantia, ſunt ſicuti rubi folia, aut parietarię, aut tribuli uirentis, aut portulacæ, aut ſedi, aut polygoni, aut ſeridis, aut coriandri, aut cupreſſi, aut hyoſcyami, aut cucurbitæ ramenta, ſeu peponis caro, uel capitulorũ papaueris decoctum, uel ipſamet capitula elixata, trita, & illita. confert & panis aqua madeſactus cũ modico roſaceo applicatus, & ouũ cũ roſaceo, & uino mixtũ ac torulo lanæ aſſumptũ, & appoſitũ: uel oua aſſa ſeu elixa cũ modico croci & opij, ad phaſioli unius quantitatẽ ex ſapa terito & applica. Aliud Aſclepiadis ad maximos dolores & defluxus. Roſarum aridarum drach. iiii. opij, croci ſing. drac. i. confice paſtillos cũ paſſo in quo melilotũ decoctũ fuerit, atq; uſus tempore adiecto pane diluito cũ paſſo & applica. Aliud ad dolores maximos & uigilias, ſemen pſyllij in aqua feruenti ſinito madefieri, deinde agitato donec emplaſtri formam ſuſcipiat & oculo illinito, ſomnũ enim iucundũ inducet. Aliud ad dolores procubitusq; oculorũ, & eminentias. Capita papaueris in mulſa elixata exprimes & proijcies, & ſeruatæ mulſæ admiſcebis tritici aut hordei pollinem, & modico roſaceo adiecto illines. poteris etiam pollinis loco polentam aut purum panem miſcere. cataplaſmata uero tempora omnino, ſupercilia, & frontem cõplectantur gena tantũ ſuperi comprehenſa: ne ſi inferior quoque opprimatur, aperiri oculus nequeat ad influentẽ lachrymam excernendam: iugiter autem æſtate pręſertim ſunt permutanda, ne calefacta morbũ exacuant, tepidiſſimaq; applicentur, ſicut in hyeme leniter calida.

Linimenta oculorum. Cap. XCVI

IN uehementibus doloribus genas exterius inungi oportet, præcipue Nili diarhodo aut quopiam anodyno collyrio eorum quæ ex croco cõficiuntur, uel croco trito cũ modico ſucci papaueris aut hyoſcyami cremore. Aliud linimentum ad uehementes dolores ex Aſclepiade. Aloes, licij indici, roſarum uiridium, croci, opij, myrrhæ ſing. partes æquas cum uino ſubigito, ac paſtillos formato, in umbraq; exiccato. uſus tempore paſſo diluito, & oculis illinito. Aliud ad repellendum efficax. Foliorum mali aridorum & minutiſſime contritorũ lib. i. myrrhæ unc. ii. gummi unc. vi. glaucij unc. ii. cũ aqua ſubigito. Aliud lachrymas ſtatim & deſtillationem compeſcens, faciens & ad ſcabiem oculorũ. Aeris drach. iiii. croci, opij, gummi ſin. tantundẽ, piperis drac. ii. cũ aqua ſubigito, id extra illitũ maximos humorum impetus reſcindit, obſeruari autẽ oportet, ne medicamentum in oculos decidat. Aliud quod Phloginũ inſcribitur. Aeris uſti ac loti drac. xii. croci drach. vi. piperis drach. iiii. myrrhæ drach. iii. opij tantundem, gummi drach. xii. ſubigito cum uino antiquo odorato, & adſtringenti.

De aridis collyrijs.

Aridorum medicamentorũ quædam affectũ in oculis perdurare nõ ſinunt, defluxus ſcilicet humorũ prohibendo, ex quibus oculi uitiari conſueuere, quale eſt confectũ è phrygio lapide. quod nos, inquit Galenus, compoſuimus, optimumq; eſſe longo experimento probauimus, propterea apud omnes fere nationes quibus Romani imperant uſitatiſſimum eſt, cuius cõfectionem proxime explicabo. longe enim pręſtantius arbitror futuris morbis occurrere, quàm iam factos curare, id uero ad oculos in ſanitate ſeruandos efficaciſſimũ eſſe cognoſcitur. Vritur phrygius lapis in fabaceas moles diſſectus, quas in ollulam nouã coniectas perforato operculo tegimus, exteriusq; luto illinimus, & prunis admouemus, deinde ignitum lapidem ex priori olla in alteram nouam coniectũ butyro recenti extinguimus, extinctũ in eandẽ ollam rurſus conijcimus & prunis admouemus, tum iterũ

ignitum

ignitũ,ubi iam purus,ſincerusq́ uapor aſcendat,in alterã ollam coniectũ uino antiquo ſuluo & odorato reſtinguimus, poſtea tertio in primam ollam coniectum ſimili modo ignimus,ac dẽniq́ cum modico attici mellis extinguimus,ita ut mellis qualitas in lapide relinquatur.q̃ uero inſerius deſcribent̃,ſint apud te pluribus antea diebus exquiſitiſſime trita,æris uſti,piperis albi,ſolij ſing.unc.i.ſtibij drac.xii. quibus admiſcebis lapidis uſti triti & cribrati,lib.i.poſtremo ubi omnia exactiſſime uniueris,optimi opobalſami drach.xi.adijcies. eligendũ opobalſamũ ſplendidum, ſubſtantia tenue, ac minime craſſum, eius enim craſſitudine medicamentũ nõ areſieret.id ergo ſpicillo impoſitũ genis illinendũ eſt,obſeruãdo ne tunicæ oculorum attingantur, cogendusq́ interim æger. hoc quidẽ nos cõpoſuimus, quo ſiquis recte utatur,lippitudines prohibebit. Stibium ad ornandas palpebras præſeruans potiſſime pueros. Stibij drach.xvi.plumbi drach.viii. florũ roſarũ,myrrhę,ſpicę nardi,thuris,piperis ſing.drach.ii.ſquammæ, croci ſing.drach.i.nucleorum palmularum numero x. omnia in fictile coniecta diligenter torrefacito,inde ubi in mortario exquiſite triueris,& cribraueris,adijcito opobalſami electi liquore tenuiſſimi cochlearia duo,ſinitoq́ areſcere,& utere. Aliud formę palpebrarũ conſerens. Stibij unc.iii.purpurę uerę uſtę,ſpicę nardi ſin.unc.i. Aliud ad decorem angulos rarefactos & humectos moderate exiccans.Cornu cerui uſti,purpuræ uſtę ſin.unc.iii.ſquammarũ helcyſmatis,id eſt,ſcorię argenti unc.i.Stibium optimũ ad tenuẽ defluxũ & eroſos angulos, qđ etiã imbecillos oculos alit ad plurimos morbos expertũ,& omnibus mirifice occurrẽs. pręſtat idẽ ornatũ.illitũ eñ diu perſiſtit in angulis. qđ habet carnis purpurę torrefactę drac.iiii.ſucci anemonę drac.vi. ſtibij uſti & uino extincti,ſucci baccarũ ſambuci ſin.drac.iii.ſpinæ Aegyptię,hordei uſti,acacię ſin.drac.ii.mororũ rubi uſtorũ,coſti uſti ſin.drac.iii.ſolij drach.iiii.terito ſingula ſeorſum,dende omnia colligito, & in plumbeo uaſe ſeruato. Aliud ſtibiũ ad ornandas palpebras.. Stibij uſti & loti,nucleorũ palmularum ſin.drac.viii.atramenti ſutorij,ſpicę celticę ſin.drac.ii.cõfice,& utere tanq̃ probato. Linimẽta ex ſandice ad refrigerationes,reſolutionesq́ genarũ,quales cõtingunt ijs,qui cynice cõuelluntur, faciunt & ad uidendi acumen ante balneũ illita:ſandicis drac.xii.crocomagmatis drac.vi.piperis drac.iiii.gummi drac.vi.cum aqua ſubigito.quidam adijciũt opobalſami drach.iiii. & illinunt. Aridũ Danai ad uiſus debilitatẽ,quod ab eo in regia ciuitate, tanq̃ res ſacra c. xx. H-S ſumma cũ difficultate extorquebatur. quod etiam genis illitũ pręſeruat à lippitudine, habẽs æris uſti unc.i.ungues aromaticos maiores crematos numero ſex, piperis,hordei ſin.gra.xxi.nucleos palmularũ uſtos numero.nouẽ,muſcas,quas chalcomyas uocant,num.xxi.ſolij ſcru.ix.ſanguinis draconis tantundẽ.æs eligito ab æneis lebetibus deraſum coniectumq́ cũ reliquis in ollam fictilem ad prunas tribus diebus tirito, ter quotidie urina incorrupti pueri, ac poſtremo dulci aqua reſtinguendo. chalcomyas uero muſcas quęrito,ubi cõuerſant̃ boues, quas ſi ibi nõ inuenies,ſumito à cadaueribus animaliũ. Aliud ad genarũ decorem, faciens & ad oculorũ ariditatem,medetur & omni lippitudini,ſedato dolore illitum. Aeris uſti contritiſſimi unc.ii.cedriæ puræ unc.iiii.ſubigito æs cum cedria ad glutinis conſiſtentiam,deinde in harundinẽ condito,qua exterius luto oblita in clibano prunis operies, totaq́ die ſimul cũ nocte permittes, poſtridie extractam conteres & adijcies pilarij collyrij drach.xxiiii.croci drach.ii.ſolij ſcrup.ii.& uteris. Aliud aridum collyrium expertũ, plurimas deſtillationes exiccans, uidendiq́ acumen præſtans cicatricesq́ optime extenuans. Aeruginis,chalcitidis,ſtibij ſing.unc.i.cum mediocri mellis quantitate irrigato,atq́ in ollam conijcito,quam teges operculo perforato, lutóque illitam ures, donec candidus uapor aſcendat: deinde terito &

utere. ſi uero id nõnihil eroſionis habere uolueris, addito poſt uſtionem gra. xxv. piperis. Aliud deſiccatorium probatiſſimũ. Cadmiæ, mellis ſing. unc. ii. æris uſti drach. iiii. ſalis ammoniaci drach. ii. piperis drach. iiii. ſpicæ drach. ii. cadmiam contritiſſimam melle irrigatam urito, uinoq; auſtero reſtinguito, deinde cum reliquis ſubigito, & utere. qđ etiam ad euocandas lachrymas & ad palpebrarũ aſperitatem efficax eſt. Aridũ ad lachrymantes oculos, & qui à longa lippitudine recte nõ conualuerint, nõ parum quoq; præſeruationi idoneum, Cadmiæ, æris uſti ſin. drach. viii. ſtibij drach. iiii. cadmiam cum ære craſſius contundito, atq; ubi cũ melle irrigaueris in ollam conijcito, & urito, ſicuti toties dictũ eſt, uinoq; antiquo odorato reſtinguito, & ubi areſeceris ſtibium ſeorſum torrefactum & minutiſſime tritum miſceto. quidam adijciunt armeniaci quoq; drach. ii. Aliud aridum croceum præſeruatorium. Aloes, croci, glaucij, ſarcocollæ, ſing. unc. i. terito minutiſſime, & utere. Aliud quo utor ad uariasq; ægritudines illino, quod frequenter intra unum diem deſtillationes compeſcit. nec raro hoc ego cũ uino tanq̃ collyrium ſubegi, & areſactum adhibui, mane & ueſpere genas ſubillinens, cui nonnunq̃ adijcio, ſtibij drac. viii. facit & ad ægilopas, genasq; eroſas, & trichiaſin poſt pilorũ euulſionem palpebris illitũ. Sarcocollæ, croci, glaucij flaui, aloes, chelidonij ſing. unc. i. myrræ troglodyticæ drac. iiii. chelidoniam tritam & cribratam reliquis addito, & omnibus ſimul ſubactis utitor. Aridũ collyrium expertũ à cęcitate præſeruãs oculos. Stibij, fuliginis purpurę uerę ſin. ſcru. iiii. roſarũ ſiccarũ ſcr. ii. croci ſcru. iii. folij ſcr. i. ſpicę nardi ſcr. iii. terito, & utere. fuliginẽ uero ſic facito: purpurã cedria inſperſam incendito, operitoq; lagenula, ſiue ahenulo, & inhęrentem fuliginem penna detergito & colligito. Aliud aridũ ad acuendũ uſum, faciens etiam ad pruritus ſolisq; inuſtiones inchoãtesq; lippitudines, refrigerationis cauſa illitũ ante cibũ & poſt cibũ. Cadmię drac. ii. ſalis ammoniaci drac. i. piperis aluminis ſciſſilis ſin. drac. ii. folij, ceruſſæ ſin. ſemiobolũ terito cũ uino albo ſinitoq; areſieri, & utere. Aliud aridũ acre. Cadmię drach. xxiiii. ſalis ammoniaci drach. xii. piperis albi drach. vi. folij drach. ii. Aliud optimum. Cadmię drac. viii. croci, ſalis ammoniaci ſing. drac. ii. ſpicę nardi, piperis albi ſing. drac. i. tere & utere. Aridum ſeuerianũ. cadmię lotę drach. viii. ſalis ammoniaci drach. iiii. piperis drac. ii. folij tantundem terito & exactiſſime cribrato. Aliud. Cadmię drach. viii. teſtarum ſepię unc. ii. ſalis ammoniaci, piperis, folij ſing. unc. i. terito & utere tanq̃ probato. Aliud ad uiſum acuendũ Oribaſij. Radicis chelidonij, aloes ſin. unc. ii. folij unc. i. piperis decorticati drach. iiii. ellebori albi drach. i. confice & utere.

Aliud aridum Apollonij ad hebetudines. Cadmię drach. viii. fecis uini antiqui aridæ, piperis albi ſin. drach. v. ſalis ammoniaci drach. x. ſandarachæ drach. ii. folij tantundem, nitri ceratia tria. confice, & utere. Aliud ad ſuffuſiones & hebetudines. Herinaceũ marem adhuc uiuentẽ in ollam conijcito, & adiecto ſucci fœniculi cyatho, magnoq; thuris grumo totam ollam exterius luto oblinito, donec quę cõtinentur omnia cinereſcant, deinde terito & arido utere, tanq̃ probato: idẽ faciunt & capita uiperarum cremata, & illita. Aliud. Ellebori albi & piperis portiones æquas terito, & cribrato. utere tribus diebus ubi corpus per aluũ per nares perq; os expurgaueris. Aliud ad inchoantes ſuffuſiones, glaucedines, & mẽbranarum craſſitudinẽ. Cadmiæ drach. xxiiii. ſalis ammoniaci drach. x. ſandarachæ drach. iiii. ellebori albi, folij ſing. drach. ii. confice, & utere. ego uero indigens collyrio, qđ ad pręſentẽ affectũ conueniat, hoc minutiſſime tritũ adhibeo, plerunque tamẽ huiuſcemodi collyrijs nardinũ aut theodotiũ admiſceo. Aliud probatum ad uiſum acuendũ. Cadmię drach. viii. folij, ſpicę nardi, piperis, croci, auri pigmenti, ſalis ammoniaci, chelidonij ſing. drach. ii. foliorum artemiſiæ drach. i. confice & utere.

De liquidis

De liquidis collyrijs. Cap. XCVIII

Liquida medicamenta componuntur ex admixtione ſuccorum, liquorũ,mellis,ammoniaci thymiamatis,& reliquorum temperatiorum, quæ repugnantes uirtutes non habeant,qualis eſt myrrha,thus,chalbana,& huiuſmodi,quæ tunicas rarefaciant,craſſosq́ ſpiritus,& humores attenuent,humoremq́ præter naturam diſcutiant, ſuoq́ temperamento tunicis oculorũ robur inducant. Liquidũ ad uiſus acumen,quod pictoribus,aurificibus,& ſenibus congruit. Succum e granis punicorum expreſſum conijce in fictile atticum, leuigatiſſimum, & denſiſſimum,tenuiq́ linteo opertum ſoli exponito,donec ad craſſitudinem mellis concreuerit,deinde mellis par pondus adijcito,ſeruatoq́ in uaſe fictili:antiquatum enim præſtantius efficitur.uſus autem tempore hora cubandi oculis leuiter illinito.

Aliud. in phialam uitream oleo repletam tenera fœniculi folia conijcito,ac diebus quadraginta ſoli exponito,deinde expreſſo fœniculo oleum illinito. Aliud ad uiſus acumen.uiperarum adipem in uitream ampullam conijcito,quo liquefacto ſpicillum intingito,& illinito,neq́ parum iuuabis.

Aliud ad acumen uiſus.

Colocynthidis ſemen terito,& cribrato & cum melle inungito,eſt enim expertum. Aliud ad acumen uiſus ſuffuſiones & cicatrices oculorũ. Chamæleontis nigri radicem urito,& terito exquiſitiſſime,& illinito. Aliud,Lumbricos terræ in fictili cremato,donec cinereſcant,dein terito & applica. Aliud,Hirundinis pullos uiuentes in ollam conijcito, totamq́ exterius luto oblitam urito, & cinere trito cum melle utitor,quod ego adhibui ad albugines,& inchoantes ſuffuſiones.

Aliud. Mel,oleum antiquum,ſuccum fœniculi pari pondere miſceto,& utere. Aliud. Sagapeni drach.i.aphronitri drach.v. mellis,lib.ii.nos uero ſubſcripto utimur:ſuccorum caucalidis,chamædryos, coronopodis ſingu. portiones æquas,excolato & exiccato,collyriaq́ conficito & utere.quod ſi liquido uti malueris cum melle diluito. Aglaida liquidum ad inchoantes ſuffuſiones. Floris æris, piperis ſingu.obolos quinq́,croci drach.ii.myrrhæ obolos quinq́,caſtorei drach. ii.fellis gallinę drach.i.omphacij drac.unius octauam,ſpicæ nardi obolum unum, lapidis hæmatitæ,ſpumæ nitri ſing.obolos duos,floris ſalis drac. xxxii. opobalſami tantundem,mellis unc. v. omnia ſimul trita in argenteo uaſe ſeruato, & utere. Liquidũ Panchreſtum Heraſiſtrati ad inflationes pruritum inferentes, ad oculorum ariditates,ad aſperitates,ad antiquas lippitudines,ad aures ſuppuratas, ad ulcera,quę difficulter coaleſcunt,ad anginas,ad depaſcentias oris,& pudendorum. æris uſti drach.vi.myrrhæ,miſyos aſſi,ſing.drach.iii.piperis,drach. i. croci drach. i.s. uini auſteri antiqui heminas tres, paſſi cretici heminam i. s. arida prius cum uino ſubigito, & ubi imbibita fuerint paſſum inijcito, & unito atq́ in æneo uaſe mitiori igne ad mellis conſiſtentiam decoquito,in pyxideq́ ænea ſeruato, & utere. Aliud ad uiſus acumen,albugines antiquas,lippitudines,hebetudines,obſcuritates probatũ,quod appellatur Caſia. Fel integrum tauri in pyxidem æneam coniectum decem diebus dimittes,poſtea adde myrrhæ,croci, opobalſami,ſingu.drach.ii.piperis gran.x. mellis attici ad duplũ fellis.terito ſingula,& in æneum uas omnia ſimul conijcito, deinde ſuper calido cinere elixato uſq́ ad mellis conſiſtentiam,ſeruatoq́ in ænea pyxide & utere tanquam probo:ſimul enim ac illueris,ſtatim uirtutem indicabis. Aliud liquidum quod ex ſucco uerbenacæ conficitur faciens ad hebetudines,ad pupillæ imbecillitatem,& ad obſcuritatem.confert & ad angulos à tenui deſtillatione eroſos,& inchoantes ſuffuſiones.

Fellis capræ drachmas octo,lycij indici drachmas iii.piperis drachm. quatuor, ſucci uerbenacæ rectæ drachm. xvi. mellis attici unc. iii. terito piper & ſubtiliſ-

ſimo

ſimo cribro excutito, deinde ubi in mortario adhuc plurimum ſubegeris, adijcito primo ſuccum aridum & contere, poſtea ſuccũ liquidum, poſtea lycium, atq; ubi omnia diligenter ſubacta fuerint, mel indito, poſtremoq; omnia cũ felle unito, & utere. quidam uero uerbenacæ tritæ & cribratæ drach. viii. inijciunt. at ſi collyriũ nimis exaruerit, reformato, ſinitoq; ut areſcat. Aliud ad ſuffuſiones quod Bolum appellatur. Siluri piſcis fel, mellis attici duplũ, fellis accipitris par melli pondus confice, & utere. Aliud Hori ad ſuffuſiones probatũ. fellis corui nuper occiſi unc. iiii. ſagapeni perſici, ſucci cyrenenſis ſing. drach. i. opobalſami tantundem, mellis unc. ix. Aliud ualde probatum, quo ego feliciter utor. Fellis capræ drach. iiii. opobalſami, croci ſing. drach. ii. ſpicæ nardi, caſiæ, lachrymæ oleæ æthiopicæ, aluminis ſciſſilis, medullæ ſtruthocameli, myrrhæ ſing. drach. i. mellis unc. i. cõficito diligenter in pyxidemq; ex ære cyprio aſſumito, & utere. Aliud

Ex theriaca Andromachi, opobalſami, ſucci cyrenenſis ſing. drach. i. mellis ſine fumo drach. v. primo drach. iiii. theriacæ uino dulci antiquo diluito, deinde opobalſamum & mel addito. Aliud Apollonij ad ſuffuſiones quod uirilis potentia inſcribitur. Sagapeni drach. ii. ſucci cyrenenſis obolos duos, ellebori albi drach. ii. rutæ agreſtis drach. i. aphronitri drach. iiii. mellis unc. ix. Aliud bonum. omphacij drach. ii. myrrhæ, ſalis ammoniaci, opobalſami, lachrymæ oleæ æthiopicæ, ammoniaci thymiamatis ſing. drach. i. fellis hyænæ drach. ii. omnia cum melle excipito, & utere. Aliud. Adipis uiperæ drach. i. s. croci, omphacij, opobalſami ſing. drach. i. myrrhæ drach. s. mellis quod ſufficit. Aliud ad omnes hebetudines & ſuffuſiones, facit & ad nimiam genarum hiſpiditatem: mellis unc. ii. opobalſami drach. ii. myrrhæ, ſucci cyrenenſis, opopanacis ſing. drach. i. Aliud ad ſuffuſiones etiam diuturnas. Lapidem uiten ſcythicum cum felle aſpidis terito & illine. eligatur aſpis quæ uocatur acontia, id eſt iaculum, in cuius dorſo fel inuenitur hepati annexum. id admodum ſingulare eſt, ut intra quinq; dies ęger uiſum recuperet, res prorſus maxima & admiranda. facit & ad genarũ aſperitatem, raro tamẽ & à perpaucis haberi poteſt. Aliud. adipis uiperę, fellis gallinę albę, floris æris, ſucci rutæ agreſtis, lactis canini, opobalſami, partes æquas terito, & utere. interdum pro flore æris pono atramentum. Aliud liquidum nigrum ad fluidos affectus. Sumito melanteriæ prius lotæ & diligenter exiccatæ, lib. i. & adiecto acerrimi aceti ſextario ſinito integra die madeſieri, deinde in olla ærea aut ferrea ſuauiter decoquito donec ter efferbuerit, poſtea colato & addito mellis deſpumati ſextarium, molliq; igne decoquito uſq; ad glutinis conſiſtentiam, uerſando aſſidue tribus abſinthij ramis ſimul connexis: & ubi craſſitudinẽ ſuſcæperit, unciã atramenti ſutorij admiſceto, atq; nucleo ſpicilli angulis oculorũ illinito. Aliud ad repellendas deſtillationes, & abſtergendas oculorum tunicas, quod etiam cicatrices attenuat. Melanteriæ præparatæ ſicut prædiximus, mellis, & fœnogræci par pondus, ſimul miſceto, & excolato, deinde placido igne iugiter agitando ad mellis conſiſtentiam decoquito, & ſeruato. ſuccum autem fœnogræci eo modo præparabis, quem ſupra docuimus, capite de ulceribus oculorum. inter excolandum uero ſuccum ſœnogræcum ne exprimito, ſed ſinito ut ſponte defluat, ac ſi poſt confectionem refrigerationemq; medicamenti grumum quempiam inuenies, aut abijcies, aut in mortario conteres, ſtudetoq; omnino ne grumuli ad uſum perueniãt. Aliud liquidum ad ſycoſes & omnes carnis eminentias & ad encanthidas, incipientesq; lippitudines. Miſyos aſſi drach. vi. atramenti ſutorij drac. iiii. mellis unc. iiii. confice, & utere. Liquidũ Oribaſij ad hypopia abſq; ulcere. atramenti ſutorij, croci ſing. drach. viii. myrrhæ drach. iiii. mellis, lib. i. confice & utere. Aliud liquidum eiuſdem Oribaſij. Mellis unc. ii. opobalſami, myrrhæ

ſingu.

ſing.drach.ii.ſucci cyrenenſis,opopanacis ſing.drac.i.s .Eiuſdem aliud liquidum ad hypopia:balſami,croci,aloes,myrrhæ ſing.drac.i.uini unc.iii.mellis unc.vi. primo crocus cum modico uino abluitur,deinde aloe & myrrha, & poſt bonam conſiſtentiam omnia uniuntur cũ melle & in uitreo uaſe ſeruantur. illinito bis in die, & ſi res urgeat,etiam ter:repurgat enim incarnat, & ad cicatricẽ perducit uſq; ad exactam curationẽ adhibitũ.in plurimis tamẽ poſt mundificationẽ accedimus ad collyria,præcipue ad illud, quod Aegyptarium faciem illuſtrans inſcribitur.

De collyrijs quæ ex croco & uarijs ſuccis conficiuntur. Cap. XCIX

GLaucij drach.xxiiii.ſarcocollæ drach.xvi.croci,gummi ſing.drach.viii. tragacanthę drachm.iiii. arida exquiſitiſſime terito,& tragacantha madefacta excipito. uel ita confice: ſarcocollam in aqua diluito, poſtea glaucium cribratum & rurſus contritum conijcito, deinde crocum in minutiſſimum puluerem redactum & tragacantham contritiſſimam ac gummi ſimili modo commiſceto,ut eodem die,aut poſtridie formam collyrij accipiant.diacroca enim ſi diutius in mortario cõmorentur,aut nigreſcunt,aut uires tranſmutant.id uero collyriũ oui albumine dilutũ in oculũ inſtillabis,incipiente quidẽ declinatione craſſiuſculũ,morbo autem iam apertiſſime declinante aqua dilutũ illinito. Aliud Diaſmyrniũ glaucij drac.xlviii.ſarcocollæ tantundem,croci drach.iiii. opij,myrrhæ, lapidis hæmatitæ ſin.drach.vi.tragacanthæ drach.xlviii.gummi drach. xvi. cũ aqua cõficito & uſus tempore albumine oui diluito. Aliud quod phoſphorum inſcribitur ad uehementes dolores, & omnes inflammationes & maximos humorum defluxus.

Glaucij drach.lxiiii.ſarcocollæ drach.xxxii.croci drach.xxiiii.opij,myrrhæ,lapidis hæmatitæ ſing.drach.vi.tragacanthæ,gummi ſing. drach. xvi. confice cum aqua & in morbi principio cum oui albumine inſtillato. Anodinum diachylon ad omnem inſignem dolorem quod & ſomnum conciliat:glaucij drach.xlviii.ſarcocollæ drach.xvi.croci drach. viii.opij, lycij indici, ſucci roſarum, ſucci mandragoræ,ſucci cicutæ ſing.drach.iiii.tragacanthę drach.xvi. gummi drach. viii.aſſumito in meliloti decocto,quod ita conficitur.meliloti libram in pluuialis aquæ ſextario ad tertias decoquito,& excolato, atq; ad medicamenti confectionem ſeruato. Collyrium ė ſucco polygoni : ſucci polygoni unc. vi. lycij indici drach. vi. aloes drachmas quatuor, opij drachm.iii.acaciæ nigræ electæ drachm.xii. uini antiqui odorati quod ſufficit.facit ad omnes oculorum morbos,deſtillationes reprimit,& omnes dolores ſedat,conuenitq; cum balneo,propterea ubi illiueris, iubeto ægrũ lauari.congruit etiam ulceribus. Aliud ex ſucco rhamni ad chemoſes & ingentes dolores,quod quidem uehementer extollunt. Aeris,cadmiæ, opij ſing.unc. ii.aloes,croci ſing.ſcrup.xii.acaciæ,gummi ſing.unc.viii. ſucci fructuum rhamni unc.xii.aquæ quod ſufficit.quod ſi ſucco abundaueris,gummi tantum aqua diluito,cætera ſolo ſucco conficies. Aliud collyrium ė ſucco uerbenacæ quod maximos humorum defluxus intra ſecundam illitionem ſiſtit. Croci drach.iii. meliloti drach.vi.glaucij drach.xii.opij ſcrup.iii.amyli drach.iiii. gummi drac.i. terito uerbenacæ rectæ ſuccũ paulatim infundendo,& collyria formato.Eſt & aliud collyrium cuius uis credi nõ poſſit ad lippitudines, ad œdemata, ad inflationes omnemq; humorum defluxum, quod deſperatos oculorum morbos citra tres dies penitus ſanat: croci drach.viii.amyli drach.xii.glaucij drac. xvi. albuminis oui drac. iii.tragacanthæ drach.iiii.terito uerbenacæ rectæ ſuccum paulatim infundendo.

De collyrijs quę monohemera quaſi unius diei nuncupantur ex Galeno. Cap. C

COllyria quæ monohemera appellantur,cũ albumine oui illita ſtatim à principio

cipio plerunque ſanant eas lippitudines, quæ ſine corporis plenitudine eueniunt: nec raro magnas quoqꝫ inflammationes ita ſedauerunt, ut ueſpere æger balneum ingrederetur, ac poſtridie nardino collyrio ad inſtaurationem & robur parandum uteretur. nardino autẽ in prima illitione pauculũ quidpiam collyrij admiſcemus, quod repellere poſſit ac ſiſtere: in ſecunda uero eius tantũ, quod ſiſtendi uim habeat. duę enim illitiones medicamenti ſufficient, longa deinde ambulatione uſqꝫ ad exactam curationem ante balneũ adhibita. è monohemeris igitur quę proprie trygode, id eſt, feculenta appellantur, quædam multam habent acaciam, quædam perpaucam, aut omnino nullam, quędam æris ſquammam ſuſcipiũt, quædam æs uſtum cũ plurimis alijs, quę mediocriter adſtringunt, diſcutiunt, & maturant, qualia ſunt crocus, myrrha, lycium indicũ, caſtorium, thus: hæc enim ſine uehementi adſtrictione maturant, atqꝫ diſcutiunt. in quibus autẽ adſtringentia dominabuntur, plurimũ albuminis oui admiſcendũ eſt, præſertim ſi medicamentũ quidpiam metallicorũ habuerit. at in quibus crocus, myrrha, caſtorium, thus, & lycium excellit, tũc collyrium craſſiuſculũ admouebitur. ad moderatos uero dolores fomentum ex ſpongia ſemel ſingulis diebus, aut bis adhiberi oportet, imò ſi uehementior dolor ſtimulauerit, etiam ter & quater & ſæpius, in longioribus pręſertim diebus, ſitqꝫ fomentum ex meliloti, aut fœnogræci decocto, à quibus tamen arcendi ſunt quorũ uniuerſum corpus repletum fuerit: monohemera enim ob ſuas reſtringendi uires corpus obſtruunt, & meatus condenſant, cumqꝫ multitudo materiæ oculis ſubſit, tunicæ corneæ frangendæ occaſionẽ præſtant. nos uero ad recentes lippitudines Seueri Theodotiũ illinentes, ſpongiamqꝫ extra oculum applicantes, ægrum à morbo liberauimus, quem plerunqꝫ hortati ſumus ſtatim poſt primam illitionem ut balneũ ingrederetur. monohemera uero ſunt huiuſcemodi. Collyriũ monohemerum quod ita appellatur quoniam unica illitione ſanat, facit ad diuturnos & difficulter ſanabiles affectus, ſed pręcipue ad genarum aſperitatem ſublitũ confert, oportetqꝫ poſt illitionem diu oculo clauſo perſiſtere, facit & ad confuſiones oculorũ, & ſtaphylomata, eſtqꝫ pueris aptiſſimũ. quod ad hos, qui mordicationem tolerabunt aqua dilues, ad reliquos, ouo, omnibus uero eleuata gena ſubillines. quod ſi uehemens fuerit dolor cum ouo inſtillato. habet autẽ, cadmiæ drach. xxiiii. atramenti ſutorij, chalcitidis aſſatæ, opij ſingu. drach. xii. piperis gra. xxiiii. mellis unc. i. s. gummi drach. xxiiii. confice cum aqua, & poſtremo mel adijcito. Collyrium pelarium quod in principio cũ aqua, in uigore ægritudinis, ouo, in declinatione cũ eodem quidem ouo, ſed craſſius diluitur, deinceps ouum cum aqua cõmiſcetur, poſtremo cũ ſola aqua diſſoluitur. ad ulcera tamen minus efficax eſt: cadmiæ drach. xvi. ceruſſæ drach. xlviii. acaciæ, opij ſingu. drach. xxiiii. amyli, tragacanthæ, gummi, ſing. drach. xii. æris, myrrhæ ſing. drach. iii. confice cum aqua.

Aliud pelarion quod Antoninus uocatur. Cadmię, ceruſſæ ſing. drac. xxiiii. acaciæ drach. viii. opij drach. xviii. gummi, tragacanthæ, amyli ſin. drach. ix. myrrhæ drach. iii. æris uſti drach. i. s. croci tantundem, confice cum aqua, hoc magis ulceribus congruit. Aliud pelarium quod ſynecdemũ appellant. Cadmiæ unc. iii. ceruſſæ unc. v. pompholygis unc. iii. opij unc. i. s. acaciæ, gummi, myrrhæ ſing. drach. viii. tragacanthæ drach. iii. amyli drach. vi. æris uſti, croci ſing. drach. iiii. optimum uero ad chemoſes eſt & reliquas lippitudines etiam in uigore, ad omneſqꝫ ulcerationes, neqꝫ genas craſſiores reddit: repurgat enim & replet, ac pręcipue callum cicatrici inducit, ſi pro pompholyge tres uncias cadmiæ uſtæ ſuſcæperit.

Aliud Pelarium quod Edeſſenũ uocatur. Cadmiæ drach. xvi. ceruſſæ drac. viii. opij drach. iiii. amyli, acaciæ, tragacanthæ, gummi ſing. drach. ii. confice cum aqua, & uſus tempore cum eadem diluito.

De ſiſtentibus collyrijs. Cap. C I

COllyria quæ ſtaltica.i.ſiſtentia uocantur, repellendi uim habent: reprimunt enim tumultuarij defluxus impetum, quorum quædam Hermolai, quędam Hexacontarchia appellãtur: ſuntq; amborum prope infinitæ materiæ, ad quas illi dens medicus prę nimia copia tanquam pelagi uorticibus obrutus, ab intentione deterretur. ſingulorum igitur facultates ſunt diſtinguẽdæ, actusq; illarum ad certum finẽ ducendi. nouimus enim omnia quæ ſiſtunt, refrigerandi adſtringendiq; uim habere, & aliquatenus exiccandi, uariariq; in ſingulis his pro maioris aut minoris ratione. talia ergo ad aridiores lippitudines congruunt. non ſtatim tamen in principio priuſquam cõcoctio appareat. nos uero optimum deprehendimus candidum Seueri collyrium, quod ex ſucco fœnogræci, cadmia, ceruſſa & tragacantha conficitur, quodq; deinceps deſcribitur: ſed delata ad concoctionem lippitudine rurſus inter plurima ſiſtentia utile Hecatontarchium inuenimus, magisq; adhuc quod poſt ipſum deſcribitur. habet autem hecatontarchium æris drach. xij. cadmiæ drach. xvi. myrrhæ drach. iiij. acaciæ drach. xxxij. gummi tantundẽ. nonnulli addunt & croci drach. i. cõfice cum aqua. hoc collyrium aquoſum illitum ad complicatos affectus congruum eſſe deprehenditur, ubi inflammatio ſimul & extenſio & humorũ defluxus aderit. genas uero & earundem aſperitates cum aquà illitum attenuat & leuigat emendatq; hebetudines adſtringendo, & ueluti exprimendo humores qui ſunt in oculo: oculis tamen uegetiorem ſenſum habentibus cum albumine oui diluimus. quod ſi quando albumen deerit, pane puriſſimo cui nihil ſalis penitus inſit, madefacto & excolato ad illitionem utimur. poterit etiam pro pane ſincera farina aſſumi, eodemq; modo prępararí. illud aduertendum, medicamenta oculorum conferctim applicãda non eſſe: alij enim collyrio illito aliud ſuperillinendo oculus extranea quadam re perturbatus magis iniuria afficitur. ergo ſicut prædiximus, Hecatontarchium ad complicatas affectiones aſſumimus, uſus tempore aqua diluentes: eius enim applicandi ratio ita ſe habet. Eſt pręterea aliud collyrium ad ſiſtendum, priori longe efficacius, quod eandem quidem materiam continet, ſed proportione ponderum diſcrepat: huius quidem nos maximam uim frequenter experti ſumus, ſed à multis medicis quàm optimũ ſit, ignoratur. habet autem æris uſti, cadmiæ ſing. unc. ij. opij, myrrhæ ſing. drach. iiij. acaciæ, gummi ſing. drach. vij. confice cum aqua: certe hoc collyrium arcanam quandam uim poſſidet. oportune enim applicatum deſperatos morbos ſanare, moleſtiſſimosq; dolores ſedare ſolet. applicandi oportunitas in ipſo lippitudinis uigore eſt, quando maturatio fit & ſordes appareat, atq; in oculo quidpiam tanquam ſanguinolentum perſpicitur: ſeu uero chemoſis ſiue inflammatio in palpebris fuerit, ad omnia pariter efficaciſſimum medicamentũ inuenies: ad tantam enim facilitatem ægri perueniunt, ut qui prius uigilijs torquerentur, ſtatim poſt illitionem ſomnũ conſequãtur. optima itaq; ſpe ad hoc collyrium accedito, aduertens num eo illito tenuis lachrymula defluat: erit enim id quoq; proſperi euentus ſignum, ſi poſt illitionem nihil lachrymarũ defluxerit. qui ergo poſt primam illitionem nõ ultra lachrymant, incõtractiq; perſiſtunt, & ueluti ſomnum capeſcunt, ſanitas ſtatim ſperanda eſt, ut ſecunda illitione opus nõ ſit. quod ſi in prima illitione contractio euenerit, protinus albumen oui moderate calefactũ inſtillabis. nam in ſecunda aut tertia illitione à contractione liberabuntur: primo enim tanquam re extranea offenſus oculus mordicabit: deinde ueluti aſſuetus magis gaudet: ſubobſcurus enim pruritus cum quadam iucunditate ſuperuenit, quod quidem proſperitatis indicium eſt, quoniam partes profundæ liberatæ ad ſuperficiem cauſas propellunt. hos uero qui illiti ſunt admonere oportet, ne ante maturationem collyrij

oculos aperiāt: agitati enim meatus rareſiunt, ſimulq́ in profundum deſcendens medicamentum mordicationem inducit. poſt maturationem uero iam ſine multa fomentatione ſpongiæ applicandæ ſunt, dilutiusq́ collyrium illinendum. genæ enim ob craſſiora liniměta tenduntur, neq; pondus facile ferunt, ita ut affligetur æger. in principio igitur morbi, ouo tantum tepefacto, nam calefactum craſſius ſeipſo redditur, dilutiſſimum collyrium facere oportet: ita enim applicatum ad uehementes dolores admirandum deprehenditur, quoniam ea modica adſtrictio quæ illi ineſſe uidebatur, prorſus aboletur. porrò perpetuo uſq; ad morbi uigorem ouum in diluendo admittemus. poſtremo in declinatione aquam potius eligimus. illitio uero ſub genis ducenda eſt, nam ita etiam aſperitates auferentur, & infantibus oculorum ardore laborantibus mirifice conſuletur. poſſemus quidem innumera præter hæc auxilia recenſere, difficultatem legentibus potius q̄ utilitatem afferentes, ſed maluimus pauca certiſſimis experimentis probata non multo labore eligere, & eorum facultates ſimul & confectiones ſine inuidia explicare. Aliud collyriū ſiſtens Oribaſij quod ex oleo conficitur. Cadmiæ uſtæ & lotæ drach. xl. æris pariter uſti & loti drach. viij. opij drach. x. myrrhæ drach. xij. acaciæ drach. cxx. gummi drach. cvij. cum aqua ſubigito, & cum uncijs tribus totidemq́ drachmis omphacini aſſumito. Aliud ex oleo probatum, facit ad principia lippitudinum, deſtillationes & antiquas ęgritudines & ad eroſas palpebras. Cadmiæ, æris ſing. drach. xxiiij. myrrhæ drach. iij. opij drach. i. acaciæ, gummi ſin. drac. xlviij. olei omphacini unc. ij. ſubige cū aqua. Aliud collyriū quod ego tāquam inſigne munus cum maximo labore impetraui, faciens multo efficacius ad omnia quæ prædiximus, & ad aſperas genas earūdemq́ imbecillitatem, quod non prius illines quàm mercedem acceperis. Cadmiæ drach. viij. aloes drach. vi. chalcitidis crudæ drach. viij. æris uſti, opij, croci, fructus ericæ ſing. drach. iiij. acaciæ, gummi ſing. drach. xij. confice cum aqua. Aliud. Collyriū ericatum quod illuſtre achariſton uocat̄, faciens ad antiquas deſtillationes maximosq́ dolores qui ſine ulcere infeſtent, quod à principio uſq; ad finem cum aqua illinitur: dilutum etiam cum ouo diuturnos defluxus ulceri punctos ſiſtit, cum aqua aſperitates attenuat, albugines exterit, ueteres oculorū turbulentias ſanat, ac poſt Pterygiorum ſectionem utiliſſimum eſt: extenuat enim membranas cicatricesq́ planas reddit, nec minus facta perforatione ſuffuſis confert: ob ſuauem enim adſtrictionem oculum firmat, eſtq́ ad infantes efficaciſſimū. cadmiæ drach. iiij. fructus ericæ, opij, myrrhæ ſing. drach. viij. hoc ego quidem expertus non ſum, ſed quæcunque in ipſo promittuntur, noui ab alio fieri poſſe quod proxime præcedit.

De immordacibus collyrijs. Cap. C I I

EOrum quæ immordacia appellantur, quædam terreſtris ſubſtantiæ ſunt, media quodammodo inter calorem & frigus, parsq́ eorum pauciſſimam quandam frigiditatem uel caliditatem præ ſe fert, pars omnino ab utraque ſeiungitur, quorum totum genus emplaſticū eſt, contrariam habens qualitatem ijs quæ aperiunt, qualis eſt ſamia ſtella tenuior exiſtens ea quæ abſolute ſamia terra appellatur, & pompholyx lota, cinisq́ eiuſdem pariter lotus, & cadmia cremata & lota, quæ tamen nō omnino abſtergendi ui caret, ſiue ante uſtionem, ſiue poſtea lauetur. pompholygi uero & ſpodio paululum adſtrictionis ineſt, ad quam naturam quoq; plumbū uſtum & lotum acedit: immordax enim eſt, nonnihilq́ habet adſtrictionis, cui prorſus aſſimilat̄ amylum & ceruſſa lota. caret etiam eroſione fœnogræci decoctum, oui albumen, & lac quod boni ſucci fuerit. in eodem genere ſciri oportet crocum eſſe & tragacantham. ſtibium uero illotum quidem ſummopere adſtringit, ſed lotum exoluitur, ut prope immordax reddatur. Aliud genus eſt

nus eſt eorum quibus quidpiã ineſt mordicationis, propter adſtrictionem quam habent annexã, ut roſa, thus: cum enim roſæ modicæ adſtrictionis participes ſint, thus uero abſterſionis, ac præterea thus moderate calefaciat, ideo maturare & dolorem ſedare poſſunt. eiuſdem generis maturando & temperate diſcutiendo crocum & myrrham eſſe iudicabimus, inter ſe tamen differentes, quoniã crocus quidem mediocriter adſtringit, myrrha uero ſine adſtrictione diſcutit & humiditates leniter deſiccat. ad difficiles ergo affectus immordaciſſima à medicis adhibentur, inter quos corneæ tunicæ ulcera ſunt, ſiue ſimplicia ſiue erodētia fuerint, & uueę prolapſus ſanie mordaciore effluente: talibus enim neque adſtringentia conueniunt, quæ effluentem ſaniem impingant, & dolores ob eroſionem euenientes adaugeant, neq; acria quæ morbi cauſas intendant, ſed remittentia digerentiaq; medicamenta, quę ita diſcutiunt & euacuant, ut neq; ulceratam partem importune nutriant, cicatricem ue inducant, neq; delapſum humorem impingant & occludant, qualia etiã ſunt maturantia, quamuis maturantia ád huiuſmodi affectus temere applicanda non ſunt. quid uero de acidis amaris ue medicamentis dicamus? quàm mordacia ſint, taliumq; morborum irritatoria, quamuis nitroſa & ſalſa longe magis officiant. ad has ergo ægritudines prædictum immordacium medicinarum genus accommodari debet, quæ acria ulcera cum defluxu ſine eroſione curare poſſunt. progreſſu enim temporis àb affecto membro deprauatos humores exhauriunt, & exiccando ſuauiter diſcutiunt ad loca probum ſanguinem deriuantes, uocanturq; à medicis huiuſmodi collyria libiana, & cycnaria quæ trita cum lacte temperatæ mulieris oculis applicantur, emplaſtica interim parte oui prætermiſſa. ineſt enim lacti ſeroſa pars moderate abſtergens, qua præpoſita curatio non parum indiget, nam ad ulcera replenda abſterſorium ſine eroſione requiritur. quod ſi huiuſcemodi lac non affuerit, fœnogræci decoctum diluendis collyrijs eligemus, quando illud quoq; cuiuſdam abſterſionis particeps ſit.

De candidis collyrijs immordacibus & cycnarijs. Cap. CIII

QVæ ſpodiaca & tephra uocantur, communem habent ſedandi refrigerandiq; uim, eroſione mediocriter carentem. Aliud uero album quod multos latuit, ob cōfectionis ſubtilitatē à nōnullis etiã nihil poſſe creditum, nobis magno emolumento fuit ad propoſitos morbos. egregie autem cōfert ad omnem calidam lippitudinem, facitq; ad prurientes eroſaſq; genas. nos enim frequenter ad huiuſmodi intemperiem cum quàmplurima experti fruſtraremur, data tandē huius medicamenti copia, inſignem eius poteſtatem in difficillima re cognouimus, nanq; æger adeò leuatus eſt, ut cœlitus apparuiſſe collyrium uideretur. diuine etiam facit ad oculorū hypopia: breui enim tempore humorem ſine eroſione exiccat, pacatumq; oculum ſeruat, & per cōpendia ſanitatem reſtituit: ac rubores qui prope minorem angulum in albo oculi fuerint, in quorum centro puſtula quędã eſt, à qua totus rubor efficitur, mirum in modum curat. neq; ulceratio omittenda eſt, cui non minus hoc medicamento ſuccurritur, ut ne fœnogræco quidem indigeamus, quoniam id quoq; ad confectionem collyrij accedit. uſus uero illius alibi aliter uariatur. nam ad uehementem dolorem albumine oui diluimus, & ſtatim ſe datur. ubi autem dolor quidem non urget, ſed genæ craſſiores ſunt, cum aqua ſolutum infundimus & quandoq; illinimus, abſoluteq; ad omne calidæ lippitudinis principium, aliam collyriorum materiam ſuperuacuam iudicamus: id enim reliquis omnibus ſui generis longe uiribus præſtat, immordaciſſimum ſimul & doloris ſedantiſſimum. nam cum cætera tanquam quæ opium & amylum interdum & myrrham ſuſcipiant, adſtrictionem quandam inferant, id tantum ab his omnibus immune eſt, præcellitq; poteſtate illi quod Croccrum uocatur: nam ad

feruores uſtiones'que genarum, & ad ardores à ſole contractos confert, tenuesꝗ & acres defluxus ex aqua illitum obtundit. interdum roſarum decocto dilutum & infuſum glaucedinem oculorum, & cryſtallini humoris prominentiam emendat: eſtꝗ præſidium his præcipue oculis utiliſſimum, qui adſtrictionem tolerare nequeunt. cuius confectio habet ceruſſæ unc. ij. cadmiæ unc. vi. tragacanthę unc. iij. cadmiã racemoſam ſub carbonibus accenſis opertam uentilamus, quam ignitam aſinino lacte reſtinguimus. tunc rurſus ſub prunis occulimus & ignitam eodem lacte reſtinguimus, tertioꝗ idem repetimus. deinde tritam & ſubtiliſſimo cribro excuſſam in mortarium minime profundum conijcimus, adiectaꝗ aqua fontis puriſſima ſubigimus, poſtea ſubſidere ſinimus. ubi ſubſederit, tubo aquam cum concretis grumulis exhaurimus, tum iterum puram aquam infundimus, & exquiſite ſubigimus, ac ſubſidere permittimus, rurſusꝗ tubo aquam exhaurimus, idem toties repetendo donec nullus amplius concretus grumulus aquæ inſederit. inde cadmia diligenter exiccata, ſex uncias in mortarium conijcimus: ſuperinfuſaꝗ pluuiali aqua puriſſima exactiſſime terimus, ut linguę nulla occurrat aſperitas. poſtea ceruſſam prædicto modo ablutam cadmiæ admiſcemus, ſimul cum aqua pluuiali quindecim diebus ſubigentes: tunc tragacantham candidam & luciaiſſimam abluimus, abiectisꝗ ſubſidentibus harenulis infundimus fœnogræci cremorem, totaꝗ die ac nocte madefieri ſinimus: imbibetur enim à tragacantha tanquam à ſpongia. præparatur autem fœnogræci cremor ſicuti in principio huius libri docuimus. poſtero die ubi tragacãtham paulatim in mortario ſubegerimus, adijcimus cadmiam & ceruſſam atꝗ exactiſſime commiſcemus, ſeruamusꝗ in uaſe uitreo, quod tenui linteo opertum in loco arenti ponendum eſt, ut auram excipiat, quoniam languet collyrium, & formatu contumax redditur, ſi in humido loco ponatur: neꝗ enim contritio illius tantum temporis quantum formatio poſtulat. talis ergo collyrij confectio & facultas eſt, poterisꝗ hac uia & ratione ad cõgeneres materias accedere, qualia ſunt libiana, tephra, ſpodiaca, cycnaria, & candida è roſis & ſucco coriandri confecta, quorum omnium optimũ prædictum collyrium deprehendimus. Aliud efficaciſſimum quod etiam expertum eſt. Cadmiæ lotæ ut prædiximus unc. iiij. ceruſſæ ſimili modo lotæ unc. xvi. amyli recentis tantundem, opij, tragacanthæ ſing. unc. iiij. reliqua cum aqua ſubigito, ut prædiximus. tragacantham uero ſucco fœnogræci madefacito, amylumꝗ eligito, neꝗ acidum neque fœtidum. Collyriũ onilabion uocatum, molle dolorem ſedans, ſtupefaciens ex genere cycnariorum exiſtens, facit ad ulcerationes poſt morbi uigorem, ſi dolor affuerit, Ceruſſæ lotæ unc. vi. cadmiæ uſtæ & lotæ unc. iiij. pompholygis lotæ, opij tragacanthæ, gummi ſing. unc. ij. confice cum aqua. Collyrium Aſclepiadis dolorem ſedans ad uniuerſos defluxus, ulcera, pſydracia, oculorũ prolapſus, chemoſes uniuerſosꝗ oculorum affectus, Ceruſſæ lotæ, terræ ſamiæ ſingul. unc. viij. cineris pompholygis loti drach. iiij. tragacanthæ drach. ij. gummi drach. iiij. confice cum aqua, & uſus tempore cum ouo diluito. Collyriũ quod uocatur Athanaſia, Cadmiæ uſtæ & lacte aſinino extinctæ unc. xij. opij unc. v. ceruſſæ, ſucci mandragoræ, amyli hordeacei ſing. unc. xij. ſubige cum aqua, & confice cum octuaginta ouorum albuminibus. Cycnus collyrium reginæ ad maximos dolores plurimosꝗ alios affectus. Cadmiæ lotæ drac. xvi. ceruſſæ lotæ drach. viij. acaciæ flauæ, opij flaui, tragacanthæ, gummi albi, amyli ſin. drach. ij. ſubigito cum aqua, atꝗ amylum poſtremum adijcito, facile enim aceſcit & acre reddit collyrium. omnia uero aſſumito cum quatuor ouorum albuminibus. Collyrium boli ſedatorium omniumꝗ inflammationum maturatorium, Ceruſſæ lotæ drac. xxxij. croci drac. iij. opij drach. iiij. amyli recentis drach. viij. gum-

mi drach.

mi drach.vi.ſubigito cum aqua. Collyrium ſpumæ argenti quod Auguſtum uocatur: ſpumæ argenti uſtæ & lotæ, cadmiæ uſtæ ſingul.unc.ii. pompholygis lotæ unc.i. terræ ſamiæ tantundem, ceruſſæ lotæ unc.quatuor, opij unc.i.amyli, croci ſing.unc.ii.tragacanthæ unc.iiij. ſubigito cum aqua.hoc dolores mitigat, deſtillationes compeſcit, pacatumq; oculum ſeruat.

Collyria libiana ſtella tephra & ſpodiaca. Cap.CIIII

COllyrium libianum Aſclepiadis ad phlyctænas, inuſtiones, hypopia, chemoſes, ſtaphylomata, ingẽtes dolores reliquosq; affectus, cicatrices etiam exterit, quod habet Cadmiæ uſtæ & lotæ drach.xvi.ſtibij loti drach.xii. amyli tantundem, cineris pompholygis, ſtellæ, plumbi uſti & loti, tragacãthæ ſing. drach.viij. opij, myrrhæ ſing. drac.ii.gummi drach.xvi.aſſumito cum uiginti ouorum albuminibus. Aliud libianum Oribaſij ad principia ægritudinum. Cadmiæ uſtę & lotæ, ceruſſæ lotæ, tragacanthæ ſing.drach.xvi.gummi drach.xiiij.ſtibij uſti & loti, amyli ſing.drach.xij.plumbi uſti, terræ ſamiæ, pompholygis lotæ ſing.drach. viij.myrrhæ, opij ſing.drach. ii. confice cum aqua. Collyrium ſtellæ magni Cadmiæ uſtæ & lotæ drach. xxxij. ſtibij uſti & loti drach . xxiiij . pompholygis uſtæ drach.xxxij.thuris, ſtellæ ſamiæ ſing.drach.xx.myrrhæ, opij ſing.drach.iiii.tragacanthæ drach.xvi.gummi, amyli ſing.drach.xxxvi. confice cum aqua. Aſclepiadę inſuperabilis mitigatoriaq; ſtella ad ingentes dolores, phlyctænas, ſtaphylomata, ſordida ulcera & depaſcentia, & diuturnos affectus, exterens quoq; cicatrices. Cadmiæ uſtæ & lotæ drach.xviij.cineris põpholygis loti, plumbi uſti & loti ſing. drach.viij.ceruſſæ ablutę drach.xvi.ſtellæ ſamiæ, tragacanthę ſing.drac.viij.myrrhæ opij ſing.drach.ii.gummi drach.vi.confice cum aqua. Aliud collyriũ Oribaſij ad ulcera & phlyctęnas, ruptiones, inuſtiones, prolapſus uueæ, ſtaphylomata, hypopia, eroſiones, depaſcentias, carbunculos, ad omnesq; magnas ægritudines.præcipue uero ad ruborem & glaucedinẽ oculorum efficax eſt, quod in principio dilutius infundes, & ubi tenuis abſterſorius ingensq; defluxus fuerit, cum lacte diluito.ubi autem craſſior fuerit aquam aſſumito, Cadmiæ uſtæ & lotæ, ſtibij loti ſing.unc.ii.ſquammæ ablutæ, gummi ſing.unc.iiij.terræ ſamiæ uſtæ & lotę unc.iij.cineris pompholygis cremati & abluti unc.i.opij drach.vi.confice cum aqua & audacter utere. Collyrium ſpodiacum Demoſthenis faciẽs ad inflammationes & defluxus. Cadmiæ lotæ drach.xxviij.ſtibij loti, ceruſſæ lotæ ſing. drach. xxiiij. ſtellæ ſamiæ, opij ſing. drach.vi.thuris drach.iiij. gummi drach.xv. ſubige cum ſucco foliorum oliuæ.ita uero ſuccus cõficitur: tenera oliuæ folia abluta tundito in mortario partem aquæ admiſcens, quæ ad ſuccum diluendum ſufficiat, deinde exprimito, per purumq; linteum excolato. Aliud ſpodiacum molle cuius uires admiraberis, faciens ad deſtillationes & humorũ impetum, & ad ulcera, inuſtiones & phlyctænas, quod habet Cadmiæ uſtæ & lotæ drach.viij. ſtibij uſti & loti, opij, gummi ſing.drach.ij.ſtellæ ſamiæ drach.iiij.confice cum aqua & utere. Collyrium tephrum tenues defluxus quemadmodũ & præcedens craſſos glutinoſosq; reddit, propterea ad æſtiuas deſtillationes efficaciſſimum eſt . Cadmiæ uſtæ & lotæ drach.xxv.ſtibij loti drach.xx.ſtellæ ſamiæ drach. vi.ceruſſæ drach. ii.opij drach.v. gummi drach. viij. ouorum recentium albumina ſex ſubige cum aqua. Philagrij collyrium mordacitate penitus carens, obtundit enim deſtillationum eroſiones, propterea ad acres tenuesq; defluxus audacter admitti poteſt.habet autem pompholygis uſtæ & lotæ, ſtellæ ſamiæ, amyli ſing.drach.xxv.ceruſſę quam ſiricum ſeu ſandicem uocant tantundem , gummi albi , plumbi uſti & loti ſing.drach.xl.ſingula priuatim urito, lauato, exiccato, pendito & commiſceto, & quæ poſtremo adijci debẽt, primo gummi eſt, deinde amylum. Aliud eiuſdem

ad replenda ulcera,pręcipue q̃ malefica fuerint. Cadmię,põpholygis,plumbi, ſtibij ſingulorum uſtorum & ablutorum,drachmas uigintiquinque,tragacanthę drachmas decem confice cum aqua.

Collyria ex thure. Cap. CV

Collyria ex thure ad defluxus,chemoſes & cõcauitates,Cadmiæ drach.viij. thuris drach.xx.ceruſſæ drach. xl. opij,ſtellæ ſamiæ,gummi ſing.drach. vi. confice cum aqua,uſus tempore cum ouo diluito. Aliud collyrium quod Tryפherum inſcribitur ad inuſtiones, phlyctænas, chemoſes, & præſertim in ijs qui nullam prorſus mordicationem ſufferre poſſunt. Cadmiæ lotæ, thuris, amyli, ſing.drach.xx.ceruſſæ lotæ drach.xlviij.opij drach.vi.gũmi drach.xvi.uſus tempore cum ouo diluitur.

Collyrium cleonis. Cap. CVI

Collyrium cleonis ad cicatrices in puris ulceribus ſuo tempore inducendas, quo nos utentes plurimũ felicitamur : profundiſſima enim ulcera ocyſſime replet,& ſine inflammatione conſeruat,tenuiſſimasq́ cicatrices inducit, quod habet Spodij,plumbi ſing. lotorum drach.iiij.ſtomomatis ferri loti croci ſing.drac. unam,gummi drachmas duas cõfice cum aqua, & uſus tempore dilue cum lacte aut ouo. ipſum autem, inquit Apollonius, profundis ulceribus applicamus cum aqua in qua maduerit tragacantha.

Collyria diarhoda candida & uiridia,& diarhodon Nili.
Cap. CVII

Collyrium diarhodon Nili ad ingentes dolores,plurimumq́ ac tenuem defluxum,ad phlyctænas,oculorũ prolapſus,ad ſordida ulcera, aſperitatesq́ palpebrarum.roſarum uirentium exectis unguibus drach. uigintiquatuor,croci coricij drach xij. opij drach.i.ſpicæ nardi tantundem, gummi drach.vi.confice cum aqua,& uſus tempore cum ouo liquidiſſime diluito.quidam eodem ad confuſiones pupillarumq́ dilatationem utũtur. Collyrium diarhodon quod magnum uocatur,ſeu uiride ex ſeptuaginta duabus drachmis roſarum confectum ad chemoſes,ingentes dolores,phlyctænas,inuſtiones,ſtaphylomata, prolapſus oculorum, hypopia,defluxus antiquos,diuturnas lippitudines, morbosq́ difficulter ſanabiles.roſarum uirentium exectis unguibus drach.lxxii.cadmiæ lotæ drach.xxv.croci drach. vi. ſtibij tantundem, æruginis,ſpicæ nardi, ſquammæ ſing. drac.ii.opij, myrrhæ ſing.drach.iii.gummi drach. xxiiii.confice cum aqua. Collyrium Flori. Collyrium quo uſus eſt Florus in matre Druſi, cum penè à reliquis medicis abſumpta eſſet, Acaciæ roſarũ ſiccarum ſing.drach. xlviij.meliloti drach. xxviij. cineris pompholygis,croci ſing.drach. xxiiij. pomorum mandragoræ drach. xij. ſeminis hyoſcyami, opij ſing.drach.vi. myrrhæ, æris uſti & loti ſing.drach.quatuor,gummi drach. xl. phalerni, pluuialis aquæ ſing. heminas tres. uino & aqua permixtis adijcito roſas,melilotum,ſemen hyoſcyami,poma mandragoræ,quæ ſi deerint corticem ſumito, finitoq́ tribus diebus madefieri, poſtea expreſſo liquore utere ad collyrij confectionem,eſt enim probatiſſimum. Philagrij collyriũ diarhodon ad inflammationes conueniens, ſi prædicto leni & eroſione carenti commiſceatur . roſarum uiridiũ exectis unguibus drach. lxxx. æris uſti drach. xxxij. confice cum uino antiquo adſtringẽti aromatico. Diarhodon album noſtrum, inquit Oribaſius,in uigore morbi adhibendũ ad ulcera,ad hypopia,inuſtiones,cruſtas,& ulcera ſordida, Cadmię, ſtibij ſingulorum uſtorum & lotorum,roſarum recentium exectis unguibus ſing.drach. viii.opij, croci, amyli ſing.drach. iiij. aloe, drach. ii. tragacanthæ drach.iii. confice cum aqua. quidam addunt ſamiæ ſtellæ drach.ii.diarhodum album ex ſucco hyoſcyami confectum,ceruſſæ unc.xxv.croci unc,

ci unc.v.opij unc.xij.myrrhæ unc.v.roſarum uiridiũ excẽtis unguibus unc.xviij. gummi drach.c. roſas ex aqua terito, deinde ceruſſam commiſce. liquores uero & gũmi ſucco hyoſcyami madefacito & confice, utereq; ad tenuiſſimos & acres defluxus,& ad eos qui ſimul ſunt cum ulceribus,generoſe enim repellit.

Aliud collyrium. Cap.CVIII

COllyrium uiride quod ex chalbana conficitur, ad inſignes dolores & antiquos affectus. Cadmiæ, æris ſingulorum uſtorum & crematorum, ſpodij, opij,chalbanæ,myrrhæ,gummi ſing.drach.viij.confice cum aqua.quidam etiam pompholyga adijciunt.

Collyria diaſmyrna & chiaca è uino confecta. Cap.CIX

COllyrium diaſmyrnum odoratum quod Syneroton uocãt, medicamentum ad diuturnos affectus compoſitum, ad fluores oculorum & ægilopas.Cadmiæ,lapidis hæmatitæ loti, ſing.drach.xxviii. cineris pompholygis drach.xxiiij. myrrhæ drach.xlviii.croci drach.xiiij.opij drach. viii. piperis grana xxx. gummi drach.vi.confice cum uino antiquo adſtringenti. utimur eo ad recentes ægritudines cum oui albumine affatim diluentes. collyrium Aſclepiadæ quod Panacia inſcribitur, ad ingentes dolores, tenuem plurimumq; defluxum, feruores ſiue epicaumata,phlyctænas.item ad membranarũ eminentias, aſperitates, antiquos affectus, & ad hos qui linimentorum copia nocumentum perceperint. Cadmiæ, ſquammæ ſing.lotarum, æris uſti & loti,gummi ſing.drach. xii.croci drach. xx. myrrhæ,lapidis hæmatitæ,ſpicæ nardi,roſarum ſiccarum, opij ſing.drach.iij.piperis grana xxiiij. confice cum uino odorato adſtringenti, & uſus tempore cum oui albumine reddito dilutiſſimũ.Collyrion Iſotheon faciens ad hypopia, ad ſordida & concaua ulcera, deſtillationũq; principia, præſertim in plenis corporibus, ubi craſſiſſimarũ ſordiũ multitudo in oculis inuenitur. Cadmiæ drach. viii. æris uſti,roſarum ſiccarum,croci ſing.drach. iiij. folij drach.i.lapidis ſciſſilis,opij ſing. drac.ii.myrrhæ drac.i.gummi drac.vi. confice cum uino odorato adſtringenti & utere dilutiſſimo, ut de reliquis dictum eſt: atq; ubi iam manifeſtam inſtaurationem perceperis, cum albumine oui diſſoluito, illinitoq; ſub genis, deinde lauato, quod ſi æger poſt illitionem affligetur,oui albumẽ inſtillato.ad myocephala uero & ſtaphylomata cum lacte diluito:nonnulli deſcriptioni adijciunt piperis gra. xix.ſed ego in huiuſmodi morbis à pipere abhorreo.Collyrium Dionyſius inſcriptum,faciens ad myocephala, aſperitates, defluxus,obſcuritates, ac potiſſimum ad antiquas deſtillationes.Cadmiæ drach.xiij.æris uſti drac.ix.lapidis ſciſſilis,ſpicæ nardi ſing.drach.iii.lapidis hæmatitæ,caſiæ,lycij indici,opij ſing.drac.i. piperis grana xxi.croci,folij,aloes,acaciæ fuluæ ſingulorũ drach.ii.myrrhę drach.iiij. gummi drac. vi. confice cum uino auſtero antiquo, & utere tanquam efficaciſſimo,in principio quidem cum ouo diluens, poſtea uero cum aqua: illius ẽm actio pollicitationes excedet.Collyrium chiacum ex Demoſthene,ut inquit Apollonius,non ad pura tãtum,ſed depaſcentia quoq; ulcera,& ad eminentias oculorum, antiquosq; affectus,ad craſſitudinẽ genarum,ad ſycoſes,ectropia,clauos,ſtaphylomata,omnesq; ingentes dolores,& ad oculorum aſperitates.præterea antiquas cicatrices delet,& nouas craſſasq; attenuat,quandoq; corpulentius,quandoq; dilutius illinendum eſt,& interdum per interualla,interdum aſſidue.facit & ad carbunculationes & ſuppurationes pus excolando,deniq; ad omnes oculorum ęgritudines efficaciſſimum eſt,quod habet ſpodij drac.iij. gummi drac.i.æris drac.ij. croci drac.iiij.opij tantundem,piperis grana xij.cõfice cum uino chio aut alio antiquo auſtero. Aliud chiacum noſtrum,inquit Oribaſius,ad ſtaphylomata, hypopia,ulcera pura & ſordida, & ad antiquos affectus. roſarum uiridium excẽtis

unguibus drach.xij.cadmiæ mollis,opij ſing. drach.xxiiij. ceruſſæ drac.xvi.æris
drach.i.fructuũ ericæ drach.xii.ſtibij,ſquãmæ æris ſing.drac. viij. myrrhæ,ſpicæ
nardi,croci,acaciæ,nitri,lycij ſing.drac.iiij.aluminis ſciſſilis,chalcitidis uſtæ drac.
iij.caſtorij drach.x.omphacij drach.ii.gummi drac.xxxii.confice cum uino anti-
quo auſtero,atq; uſus tẽpore cũ ſucco fœnogręci,aut albumine oui diluito.Col-
lyrium aromaticũ ex Demoſthene ad inflãmationes præ humorum multitudine
cõtingẽtes attenuãdo,diffundẽdo,diuidẽdo,ac ꝑ halitũ digerẽdo,faciẽs ꝗq; ad ul
cera impura:pompholygis drac.i.æris uſti,croci ſing.drac.ii.myrrhæ,gummi ſin.
drach.iij.lapidis hæmatitæ, opij ſing.drach.iiij.piperis gra.xviij.cũ uino chio,aut
alio auſtero,cõfice. Collyriũ qđ ſcylaciũ inſcribiť,ex ſemine hyoſcyami,faciẽs ad
chemoſes & ad omnes diuturnos deſtillatorioſq; affectus,ac primo cum ouo dilu
tiſſimũ inſtillabis,poſtea cum eodem ouo tantũ ſubactũ illines.Cadmię ęris uſti,
lapidis hæmatitę,chalcitidis uſtæ ſing.unc.iij.miſyos uſtæ,opij ſing.unc.i.s.ſemi
nis hyoſcyami unc.i.aloes drach.vi.cũ uino auſtero confice & utere. Aliud col-
lyriũ faciens ad myocephala admirandũ, quod pterygia encanthidaſq; abſumit,
faciens ad cicatrices & aſperitates abſtergens. Cadmiæ,æris uſti,chalcitidis cru
dæ ſing.unc.i.æruginis raſilis drac.iiij.myrrhæ,croci ſing.drach.ii.ſalis ammonia
ci drac.i.gummi drac.iiij.confice cum uino auſtero. Collyriũ Philagrij de quo ita
ſcribit.tertiũ præter hæc collyriũ noſtrũ eſt,quod præſeruatoriũ inſcribiť, in prin
cipio morbi defluentes humores repellens, & obiter imbecillos oculos iniuriæq;
expoſitos firmans,ut non ſolũ inchoante lippitudine,ſed ſanis quoq; pręſeruatio
nis gratia illinẽdũ ſit,qđ ita habet.Cytinorũ.i.florũ mali punicę,qui floribus ane-
monæ aſſimilanť,drac.xxv.glaucij drac.xvi.aloes,gũmi ſing.drac.v. myrrhæ tro
glodyticæ,omphacij ſicci ſing.drac.iij.atramenti indici drac. vii.folij drac.i.opo-
balſami pro aſſumendo medicamento drac.v. cõfice cum uino auſtero antiquo.

Aliud Philagrij. Cap.CX

COllyriũ Philagrij ẽ bdellio & ſtyrace cõſectũ iamdudũ mihi exꝑtiſſimũ, qđ
nõ ſolũ maturat, ſed intẽperiẽ quoq; à frigore ſine inflãmatione factã emen
dat,habẽs bdelij drac. vi.thuris maſculi, myrrhæ ſin.drac.x.ſarcocollę,chalbanæ,
ſtyracis,croci ſin.drac.v.lycij,caſtorei,ammoniaci thymiamatis,gũmi ſin.drac.ij.
confice cum aqua.

Collyria abſterſoria ad aſperitates. Cap.CXI

COllyrium abſterſoriũ ad aſperitates confectũ,quod Phœnix uocatur ad mil
phos & antiquos affectus, ad genaſq; & angulos exacerbatos. Lapidis hæ-
matitæ,lapidis ſciſſilis ſingulorum uſtorum & lotorũ drach. xxii. æris uſti & loti
drach.xvi.æruginis,cadmiæ racemoſæ,chalcitidis torrefactæ ſing. drach.iiij.opij
drach.vi.gummi drach.xvi.confice cum aqua.collyriũ ad aſperitates ad Nonum
relatũ.Lapidis hæmatitæ,lapidis ſciſſilis ſin.unc.vi.æris uſti unc.iij.cadmiæ unc.
xii.ęruginis raſilis,gũmi ſin.unc.vi.chalcitidis aſſę unc.i.opij unc.ij.Collyriũ qđ
Theophiliũ inſcribiť ad aſperitates efficax. Cadmiæ unc.xii.æris unc.xxiiij.ęru
ginis unc.ij.opij unc.xij.gummi unc.xvi.confice cum aqua, & in principio cum
ouo diluito,in declinatione ex eodem ouo linimentũ parato.Collyriũ quód oxy-
ſter uocať,ad aſperitates probatũ,Pumicis,oſtreorũ, miſyos,ſingulorũ uſtorum,
gummi portiones æquas confice cum aqua. Aliud oxyſter ad albugines,quód
etiam cicatrices attenuat,pacatumq; reddit oculum. Ammoniaci,rubricæ ſino
picæ ſing.unc.iii.ceruſſæ gummi ſin.unc.ii.pumicis torrefacti unc.i.confice cum
aqua. Collyrium ad aſperitates ex Oribaſio,quod eutonum appellať.Aeris uſti,
cadmiæ ſing.drac.xxiiij.æruginis drac.xii.croci,opij,myrrhæ ſing.drac.iij.gũmi
drach.ix.confice cũ aqua : confert enim egregie ad exaſperatas calloſaſq; genas,
& ad ſcabioſos oculos, ectropia, antiquos defluxus qui ſine ulcere ſint, miſceťq;

cycnario

cycnario,aut cuipiã ex diacrocis ad uigentes morbos, ſumiturq; admiſcendi me-dicamẽti decima pars,neq; cũ illines genas inuertere,ſed abſolute inungere opor tet:id nõnulli armation,quidã opiſthobares,nos uero euronon appellamus. Collyrium eiuſdem. Optimũ, inquit, collyriũ abſterſoriũ ad aſperitates conueniens, quod Trialum inſcribitur,ex duobus lapidibus confectũ.Lapidis hæmatitæ,lapidis ſciſſilis ſing.drac. xviij. æris uſti,cadmiæ,æruginis,chalcitidis,gũmi ſin.drac. viij.opij drach.vi.confice cum aqua,& inſtilla donec patiens tolerauerit. gena uero fricanda non eſt, neq; ſpecillum ſubmittendũ, ſed tantũ oculus nucleo illinendus. Aliud eiuſdem ad antiquos affectus. Chalcitidis drach. xxvii.cadmiæ drach.xxi.æris uſti,lapidis hæmatitę, croci,miſyos ſing. drach.xvi.myrrhæ drac. xviij.opij drach xiij.gũmi drac.xxiiij. cum uino antiquo ſubigito. Collyrium ex althea ad antiquos affectus,contrahit enim aſperitates,et oculũ firmat:ſerici unc. vi.æris unc.iij.opij unc.iiij.gummi unc. xxv. foliorum tenerrimorũ oliuæ exemptis fibris drach.x.cum uino ſpathite ſubigunt oliuæ folia,ſeorſumq; in mortario duobus diebus exquiſitiſſime teruntur, uinum paulatim inſtillando. poſtea ubi contritiſſima fuerint, æs ſimili modo minutiſſimum adijcitur, atq; ita demũ cum uino conficies.ſi enim ſtatim à principio uinum affatim infunderes,folia fluitantia contundi nõ poſſent.ære autem ſubacto ſericum conijcito,deinde opium,poſtremo gummi:tum aſſumito & utitor,inter initia quidem inſtillando,in declinatione uero illinendo.Collyrion armation appellatum quo Ptolemæus rex utebatur,quod cicatrices exterit,uiſum exacuit, & ad aſperitates conuenit.æris uſti & loti,ammoniaci thymiamatis,corticis thuris,gummi ſing.drach.viij.confice cum aqua.quædã deſcriptiones habent & æruginis drach.ii. Aliud ex hæmatite ad uiſum acuendũ, cicatricesq; & callos exterendos: ammoniaci thymiamatis, æris uſti & loti,lapidis hæmatitæ,gummi ſing.drach.xxiiij.æruginis drac.viij.confice cum aqua. Aliud abſterſoriũ Oribaſij faciens ad chemoſes & principia morborum dilutum ex ouo infuſum. Cadmiæ drac.viij.æris,ęruginis ſing.drach.xii.lapidis hæmatitæ,lapidis ſciſſilis ſin.drac.xviij.chalcitidis torrefactæ,opij ſin.drac. vi.croci,myrrhę ſing.drac.iii.gũmi drac.ix.cõfice cum uino,& utere ex ouo.Collyriũ Philagrij ſeorſum illitũ,uel cũ diarhodo Philagrij ſuperius deſcripto. pumicis,teſtarũ ſepię ſin.dra.xvi.gũmi drac.xxxij.cõfice cũ aqua.huic ego adijcere ſoleo æris drac.xvi.ubi efficacius fore oportere intelligã. Collyriũ quod Nirion inſcribit,calloſos affectus cicatricesq; exterens,& ſuffuſionibus cõferens,Cadmię, ammoniaci thymiamatis ſing.drac.xlviij.opij,ęruginis,myrrhæ,aloes ſing. drac. xvi.lapidis hæmatitæ,ſalis ammoniaci ſing.drac.xxiiij.chalbanæ drach.xii.opopanacis,fellis tauri ſing.drac.viij.gummi drach.xl.confice cum aqua,& dilutiori utere.Collyrium ad aſperitates,faciens ad milphoſes, ulcera concaua,uulnera antiqua,ſtaphylomata & myocephala, Lapidis hæmatitæ, lapidis ſciſſilis, æris uſti ſing.drac.iiij.cadmiæ,æruginis ſing.unc.ii.chalcitidis uſtæ, opij ſing.unc.i.roſas uirentes ſi affuerint,ſi non affuerint, aridas in aqua die ac nocte madefacito,quibus deinde expreſſis & excolatis eo cremore medicamentum conficies.Collyrium abſtergens albugines unica illitione plurimum ſui uigoris oſtendens,faciens ad pterygia & encanthidas,quod etiam eroſione caret,Cõchylij purpurarum cremati drach.x.æris uſti drach. xi.ſquammæ æris drach.ii.æruginis drachmas ſex, atramẽti ſutorij,myrrhę, ſtomomatis ſingulorum drach. iij.aluminis ſciſſilis obo

nis,teſtarum ſepiæ uſtarum,ammoniaci thymiamatis,magnetis lithoſperma trahentis ſcrup.ii. ſeminis raphani ſcrup. xxx.ſeminis uiolæ albæ ſcrup. vi. gummi ſcrup.xii.conſice cum ſucco rutæ.. Collyriū pepieſmenon quod ait Apollonius optimum eſſe medicamentum ad cicatrices, & carnium excreſcentias, ad genarū aſperitates,ectropia,ſycoſes,lithiaſes,grādines,calloſos affectus,pterygia,encanthidas, ſcabiem oculorum , membranarum craſſitudinem, & ad multas craſſasq; deſtillationes:dilutum enim & infuſum fluxum compeſcit, tutoq; expurgat & attenuat,atq; exquiſitiſſime abſtergit,pacatumq; ſeruat oculum,eſtq; omnium iucundiſſimum & leniſſimū,quod ita habet. æris uſti & loti obolos quinque , croci drachmam unam, myrrhæ troglodyticæ triobolum, ſpicæ obolosduos,caſiæ triobolum,cinnamomi, opij ſingulorum.obolos duos, piperis grana quinque,gummi drachmam.i.uini chij aut alterius auſteri odorati quod ſufficit.& ſi deſcriptioni addideris ſpodij drac.iiii.fiet ad oculorum defluxus medicamentum efficaciſſimum. Collyriū ex lapide hæmatite ad acuendum uiſum,quod etiam cicatrices & callos exterit.ammoniaci thymiamatis drach.xxiiij.æris uſti & loti,lapidis hæmatitæ,gummi ſing.drach.xxiiij.æruginis drach.viij.conſice cum aqua. Aliud collyrium Iſidori memphitici quod rhinarium inſcribitur ad acuendum uiſum.

Ammoniaci thymiamatis drach. xvi.æruginis uermicularis drach. xij.molliū teſtarum ſepiæ drach.viii.ſagapeni tantundem, opopanacis,gummi ſing. drach. ii.ſucci cyrenenſis drac.i. ſingulis cum aqua ſubactis adijce ſucci fœniculi,mellis attici ſing.drach.xii.conſice & utere.quidā uero ex amicis ita cōſiciebat; ammoniaci thymiamatis unc.xv.æris raſilis unc.xvi.& drach.ii.teſtarum ſepiæ unc.i.s. ſagapeni unc.iij.& drach.vi. opopanacis,ſucci cyrenēſis ſin.drac.ii.reiecto gummi cum aqua conſiciebat. Aliud collyrium ad inchoantes ſuffuſiones,quod aureum appellāt,ſternutatiōes illitu prouocans ,ita ut ex auribus liquor aqueus exprimatur.ſagapeni perſici puri drac.viij.æruginis drac.vi.ammoniaci thymiamatis,gummi ſing.unc. ii. dilue cum aqua & liquido utere, ac citra quinq; dies eius efficacia indicabitur,& pupillam ſplendidam reddet . Collyrium Marciani quod in meipſo,inquit,expertus ſum,dum mihi ſuffuſionis periculum immineret.chelidoniam fumariam circa ſepes naſcentem,rutam,fœniculum,coriandrum ſumito , & ex ſingula quaque ſuccum exprimito & excolato, tribus que uncijs huius ſucci addito,opobalſami,mellis attici ſing.drach.iiij. & uſq; ad glutinis conſiſtentiam conterito,deinde infundito ſucci conyzæ minoris unc.i.cumq; omnia recte ſimul confecta ſint , inijce gummi puri triti & cribrati quantū medicus conijciet ad probā collyrij formam ſufficere.uteris hoc ad inchoantes quidē ſuffuſiones cū uino diluens. ad hebetudines uero oculorū cum aqua,illitumq; ſub ſole ſtatuito. Collyriū ad ſuffuſiones quod Proteus inſcribit̄,ad inchoantes ſuffuſiones,ad omneq; genus hebetudinis nemini cedens,cicatrices etiā & callos exterens,quod ita habet.Cadmiæ,chalcitidis crudæ,ceruſſæ ſingul.drac.xl.piperis albi drach. xxx. ſucci cyrenēſis, ammoniaci thymiamatis, gummi ſingulorum drachmas uiginti, opopanacis,opobalſami ſing.drach.xvi.opij drachmas decem, ſagapeni, lachrymæ oliuæ æthiopicæ quæ oleaſtrum appellatur,myrrhæ,ſingulorum drac.xii.auri pigmenti ſciſſilis drachmas octo . cōſice cum aqua pluuiali et uſus tempore cū aqua diluito. Aliud collyrium indicū Hermophili ſecuræ felicitatis ad omne hebetudinis genus,faciens etiā ad inchoantes ſuffuſiones,eſtq; iucundiſſimi odoris. Cadmiæ,atramenti indici ſin.drac.xvi.æruginis, ſucci medici,opobalſami ſin.drac.iiij.piperis albi drac.viij.gūmi drac.xii.cōſice cū aqua. Aliud collyriū qđ ad Baſſum refertur , faciēs ad inchoātes ſuffuſiones, uniuerſasq; hebetudines & cicatrices exterens. Cadmię uſtæ & lotę drach.xvi.atramenti indici,piperis,

albi

albi ſing.unc.vi.ceruſſæ unc. iiij. Item fel integrum unius hyenæ & decem ſcarorum piſcium,et quatuor perdicum,opij unc. i.opobalſami,opopanacis, ſagapeni ſing.unc.ii.gummi drach.i.cōſice cum ſucco fœniculi. Aliud collyrium ad hebetudines,albugines & ſuffuſiones quod Armation inſcribitur.fellis hyenę drac. iiij.aphronitri,æruginis,ſagapeni ſing.drach.iij.gūmi,chalbanæ, ammoniaci thymiamatis ſing.drach.ij. baccarum lauri exemptus corticibus, drach.lxx.ariſtolochiæ rotundæ drach.i.confice cum aqua. Aliud collyrium quod flauum inſcribitur efficaciſſimū,ad ſcabioſos eroſoſq; oculorum angulos,et ad genas ſycoſe affectas. Cadmiæ drach.viij.chalcitidis uſtæ,gummi ſing.drach.xl.quidam adijciunt croci drach.xix.myrrhæ drach.xij. Collyriū Ptolemæi felix ad ſcabioſos eroſoſq; angulos,ad diuturnos pruritus,milphoſes et hebetudines.pſorici drach. vij. ſandarachæ drach.xxx.chalcitidis uſtæ drach. xxviij. croci drach.xxiiij.myrrhæ, caſiæ ſing.drach.xii.opij drach.ix.piperis albi drac.ii.piperis nigri drac.xvii.omphacij drach.xvi. miſyos uſti drach.iij. folij drach. i. gummi drach.xxxij.confice cum aqua. Aliud collyrium quod aureum appellatur, ad eroſos angulos & ſcabioſos affectus,Sandarachæ drach. xxiiij.piperis albi gra.xii. myrrhæ drach.vi. gummi drach. ii. confice cum aqua & cum eadem uſus tempore diluito. Collyrium Dicenteton ex Demoſthene,Cadmiæ drach.iiij.æruginis,miſyos, ſucci papaueris,piperis albi ſing.drach.iii.gummi drach.ii.cōfice cum aqua: facit ad prædictos affectus & ad hebetudines & inchoantes ſuffuſiones cicatricesq; exterit, eſt enim calidæ tēperaturæ. Collyrium uero ſtratioticon ita habet,Cadmię drac. viii.ceruſſæ drach.xvi.piperis albi,æruginis, opij,omphacis ſing. drac.ii.gummi drac.iiij.facit & ad aſperas palpebras.Collyrium abſterſorium,Chalcitidis uſtæ, croci,ammoniaci thymiamatis ſing.ſcrup.ii. gummi ſcru.iiij. confice cum aqua. facit & ad hypopia,argema, nubeculas,caligines, & ad aſperitates cum melle dilutum.Collyrium quod phœnix niger appellatur,Gummi unc.i.nucleorum palmularum uſtorum unc.iii.mellis unc.ii.conſice cum aqua.hoc utebatur medicus Afer,maximeq; in ipſo confidebat.nigrum phœnicem uocamus,quoniā palmularum nucleos crematos habeat. Aliud collyrium abſterſorium. Chalcitidis lotæ,croci, ammoniaci thymiamatis ſing. unc.ii.gummi unc.i.cōſice cum aqua. facit,ad hypopia argema, nubeculas,caligines, & ad aſperitates cum melle dilutum. Aliud probatum priuatim ad oculorū cicatrices,& ad hebetudines,aſperitates & pterygia.teſtarum ſepiæ,pumicis, ſquammæ æris,ammoniaci thymiamatis,ęruginis,cornu cerui uſti ſing.unc.i.myrrhæ,thuris ſin.unc.ii.opij unc.iij.

Collyria quæ inſtillantur enſtacta appellata. Cap.C XII

COllyrium enſtactum panacianū,Cadmiæ,gummi ſing.drach.lxiiij.miſyos, ſtibij,atramenti ſutorij,piperis albi ſing.drach.xxxii,opij,æruginis,opobalſami ſing.drach.xvi.facit ad acuendum uiſum & callos exterit . Collyrium quod aromaticum inſcribitur.æris, opobalſami ſing.drac.xv. gummi drach.lxiiij.facit ad eadem. Aliud Aromaticum. æris drach.xvi.æruginis, myrrhæ,croci,piperis,opij ſing.drach.iiij.ſpicæ nardi, opobalſami ſing. drach.ii.gummi drac.iiij. confice cum aqua. Aliud enſtacton Oribaſij. Cadmiæ drach. xvi.ceruſſæ drach.viii.opij,opobalſami ſing.drach.iii.ęruginis,omphacij,piperis albi ſingul. drac.ii.gummi drac.v. Aliud collyriū enſtacton turbulentias ſedans, & uiſum exacuens. Cadmię uſtæ & cum urina pueri extinctæ drac.x.ſtibij drac.vi.atra

Collyria diaceratos. i. è cornu confecta Aſclepiadæ ad ulcera, phlyctænas, & ad exterendas cicatrices. Cap. CXIII

CORnu cerui uſti & loti, opij ſing. drach. i. thuris, gummi ſing. drach. iiij. conſice cum aqua. Aliud ad calidiores affectus acriori humore cum ulcere defluente. Cornu cerui uſti & loti, plumbi uſti & loti ſing. drah. xvi. cineris pompholygis loti, acacię, thuris, gummi ſing. drach. viij. ſquammæ æris, croci, opij ſin. drach. ii. myrrhæ, tragacanthæ ſing. drach. i. amyli drach. iiij. conſice cũ ſucco hyoſcyami Aliud Oribaſij, præcipuum ad ulcerum uigorem, ad clauos, ſtaphylomata, & huiuſmodi affectus, genis hiſpiditatem non inducendo. facit & ad ulcera cicatrici renitentia ad ipſasq́ cicatrices refractas, Acaciæ drac. xl. ſtibij drac. xxxij. plumbi, cornu cerui, ſingulorum uſtorum & lotorum, drac. xx. æris drach. xvi. opij drach. vi. myrrhæ, thuris ſing. drach. iiij. cõſice cum aqua. Aliud collyrium è cornu cõfectum ad oculorum cicatrices exterendas cum aqua illitũ, quod cum ouo etiam ad ulceratos oculos utiliter inſtillatur. Aeris uſti & loti unc. v. ſcrup. xv. plumbi uſti & loti unc. xi. ſcrup. vi. ſtibij loti unc. ii. teſtarum ſepiæ unc. iiij. & ſem. æruginis, ammoniaci thymiamatis, thuris, myrrhæ, opij ſing. unc. ij. s. acaciæ unc. iij. ſcrup. xv. gummi unc. xi. ſcrup. xvi. conſice cum aqua.

Collyria nardina & theodocia. Cap. CXIIII

COllyrium nardinum quod Zoſlus inſcribitur, ad antiquos affectus myocephala & ulcera antiqua & ſtaphylomata. Cadmiæ, ſtibij, æris uſti ſing. drac. viij. ceruſſæ, caſtorei ſing. drach. iiij. ſpicæ, aloes ſing. drach. i. s. folij, croci, chalcitidis torrefactæ, atramenti ſutorij, lycij indici, opij ſing. drach. i. myrrhæ drach. ij. acaciæ drach. viij. gummi drach. xx. conſice cum aqua. Aliud collyriũ nardinũ Candidi immordaciſſimũ, deſiccatoriũ, faciens ad eos qui collyriorũ eroſionẽ nõ tolerãt. Cadmię lotæ unc. xvi. ęris loti unc. xij. ceruſſę unc. viij. ſtibij loti unc. xl. croci, myrrhæ troglodyticæ ſing. unc. iiij. aloes, ſpicæ nardi, acaciæ ſin. unc. i. opij unc. ii. gũmi unc. viij. conſice cũ aqua. Collyriũ nardinũ Theodocij qđ ſæpiſſime experti ſumus ad myocephala & diuturna oculorum ulcera & conturbationes. eſt etiam abſterſorium & quod debiles oculos mirum in modum firmet.

Cadmiæ lotæ, ſtibij loti, acaciæ, gummi ſing. drach xxv. roſarum ſiccarum exectis unguibus drach. xij. æris uſti & loti drach. viij. myrrhæ troglodyticæ tantundem, caſtorei, lycij indici, croci, folij, ſpicæ nardi, chalcitidis torrefactę, ceruſſæ, fructus ericæ, opij, gallarum immaturarum ſing. drach. ij. conſice cum aqua, ad quæ in principio quidem cum ouo inſtillato, in declinationibus uero cum aqua ſubilli nito. Collyrium quod Gedium inſcribitur à nonnullis, Ammoniacum uocatum faciens ad inchoantes lippitudines, epicaumata, concauitates, & omne ulcerum genus, ad hypopia, conturbationes, antiqua myocephala, ſtaphylomata & ungulas. confert & ad inflammationes quæ ob hydatidas contingunt, repurgat enim replet, & ad cicatricem perducit. his uero qui ob aliquam cauſam ſiue dolor capitis, ſeu lippitudo fuerit, dormire nequeunt, egregie ſomnum conciliat, tanquam ſoporiferum medicamentum. diluitur cum ouo aut lacte, aut aqua, liquore temperato aut craſſiori, pro ratione acuminis ſenſuum eorum quibus illinitur, quod habet cadmiæ lotæ drachmas ſexdecim, ceruſſæ lotę, caſtorei ſing. drachmas ſex, nardi indicæ, caſię ſing. drachmas quatuor, ſtibij loti, gummi ſing. drach. xl. aloes, croci ſing. drach. vi. myrrhæ drach. ix. ſquammæ æris drach. v. chalcitidis uſtæ & lotæ drac. xvi. roſarũ, plumbi uſti & loti ſing. drach. xx. lycij indici, opij ſing. drac. iij. lapidis ſciſſilis loti drach. iiij. s. cõſice cum aqua, eſt eñ ualde probatũ. Collyriũ Nicariũ uocatũ faciẽs ad myocephala & foſſulas oculorũ cũ thure, & ad delẽdas cicatrices, Cadmiæ ter uſtæ, & cum lacte muliebri extinctæ, æris uſti & loti ſing. drach.

drach.xxxij.myrrhæ,opij ſingul.drach. xij.ſpicæ nardi drach.iij.aloes drach.viij. acaciæ,gummi ſing.drach.xxiiij.confice cum aqua.Collyrium indarium faciens ad hebetudines et exterens cicatrices:piperis,ſtibij ſing.drach.viij.cadmiæ,gallę, ſpicæ nardi,acaciæ,gummi ſing.drach.iiij.coſti drach.i.opobalſami drach.ii. Collyrium placanon Theodotij faciens ad maximas fluxiones & ingentes dolores: cadmiæ lotæ drach. xvi. croci,myrrhæ troglodyticæ ſing.drach.iij.caſtorei,aloes ſing.drach.iiij.æruginis drach.i.lycij indici,opij ſing.drach.ii.acaciæ,gummi ſin. drach.xxiiij.confice cum aqua,diluitur cum ouo ad craſſiorem cōſiſtentiam,confert & ad paruos genarum tumores.Collyrium Chryſi teſtamentum appellatum quod moriēs epheſiorum templo reliquit,ut deſperati à medicis potiſſime ad templum confugerent, tandemq́ ab Hadriano Cæſare inuentum eſt. facit ad epiphoras aſperitates, & ad omnes deſperatas ægritudines, phlyctænis medetur, concauitates explet, & cicatrices delet,oculum que pacatum conſeruat, ouo aut lacte commode dilutum & inſtillatum,eſtq́ omnino præſentaneum medicamentum quod ita habet.Cadmiæ lotę,gūmi ſing.drach.xx.ſtibij drach.xv.ſpicæ nardi,ęruginis uermicularis ſing.drach.iij.myrrhæ troglodyticæ,æris uſti, æruginis, piperis,lycij indici,opij,opobalſami,caſię ſing.drach.ii.croci,caſtorei ſing.drach. i.ſquammæ ferri,ſtomomatis,ceruſſę,lapidis ſciſſilis,atramenti ſutorij, ſucci fœniculi,fellis capræ ſing.drach,iiij.cōſice cum uino aminæo,aut phalerno, aut alio antiquo auſtero aromatico.Collyrium quod magnum Theodotiū uocatur, cadmiæ uſtæ & lotæ,æris ſing.unc.viij.ſtibij loti unc. xxv. roſarum ſiccarū,ceruſſæ, chalcitidis,gallarum,æruginis,croci,ſpicæ nardi,myrrhæ troglodyticę,ſcobis hebeni,caſtorei,lycij indici,thuris,opij,ſarcocollæ,pompholygis ſing.unc. i.acaciæ, gūmi ſing.unc.i.confice cum aqua.quidam addunt folij,amomi, cornu cerui uſti & loti ſing.unc.i.roſarum unc. iij. gummi uero & acaciæ ſing.drach. xxiiij.facit ad inchoātes lippitudines,ad ulcera uniuerſa, nouasq́ & antiquas deſtillationes, ad inflāmationes,carbones, hypopya,depaſcētias,pūctiones,oculorū prolapſus, myocephala,ſtaphylomata,genarū aſperitates,& ad omnes deſperatos affectus. cōfert & ad inuſtiones ſub ſole factas inter calcem & puluerē, aut aliqđ huiuſcemodi.aufert etiā inflāmata pterygia cum butyro illitū,diluit ad ulcera cū ouo uel cum lacte mulieris,ſi malefica fuerint. Aliud Theodotion Seueri. Aliud etiā collyriū apud nos inuenit,inquit Seuerus,à quodam antiquo deſcriptū,& ipſum quidē eandem compoſitā materiā continens,ſed actu plurimū differentē, omniū eñ collyriorū quæ ſuperius explicata ſunt: utiliſſimū eſſe cōpertū eſt,cuius confectionē neceſſariā eſſe duxi,q̄ dicet,cum nō omnibus nota ſit.habet aūt cadmiæ drach.xxiiij.æris uſti drac.xij.ſtibij,acaciæ,gūmi,ęruginis uermicularis ſin.drac. xl.ceruſſæ,aloes,myrrhæ ſing.drach.viij.chalcitidis torrefactæ, miſyos aſſi,nardi celticę,folij,ſpicæ nardi,croci,caſtorei,lycij indici,roſarū ſiccarū ſing.drac.iiij.ſcobis hebeni,gallarū immaturarū,opij ſing.drac.ij.cadmiā quidē ſub ignitis carbonibus occulentes & uentilantes adurimus, deinde ignitā aſinino lacte reſtinguimus.ſtibium uero in fictile cōiectū perforato operculo occludimus cremamusq́, & eodem modo lacte reſtinguimus . tum ſingula uſta ſeparatim trita & cribrata abluimus & exiccamus, quæ deinde ſeorſum ponderata in confectionem conijcimus.gummi uero non aridum ſed madefactum & dilutum apponimus: ita enim neq́ quidpiam lignoſi aut arenoſi relinquetur, quoniam poſt dilutionem excola tur atq; ita præparatū ad cōmodiſſimā collyrij compactionē non parū cōfert. quod

plicari poſſunt:cum enim toties deſperatos affectus ad naturalem habitum reuocauerit,ſi pro meritis commendabitur,omnem fidem excedet.ut uno tamen uerbo omnia ſimul complectar, quæcunq; à Theodotijs,à nardinis,& ab his quæ ex cornu conficiuntur fieri poſſe diximus,ab hoc longe præſtantius ſperari queunt: nam ad nouas ægritudines illitum,& deinde ſpongia oculo appoſita,protinus patientem ſanitati reſtituit. ad antiquos uero & deſperatos morbos ſiue inſtillemus ſiue illinamus,nunquam concepto fine fruſtrabimur.ad lippitudines tamen ſanatu faciles potius illinimus. ad cõcaua uero & ſordida ulcera dilutum inſtillamus, quod cum ouo aut cum ſucco fœnogræci,quandoq; etiam cum mulſa diluimus: ſed ad myocephala & ad genarũ aſperitates exterendas,& ad cicatrices attenuandas cum aqua ad craſſiorem conſiſtentiam conficimus, nam cicatrices ad tantam tenuitatem perducit,ut omnino uiſu percipi nequeant:utq; ſummatim dicam,arcanas quaſdã poſſidet uires.ad ſtaphylomata quoq; braſſicæ ſucco ad congruam cõſiſtentiam dilutum,& oculo ſuperligata ſpongia applicatum,tumorem diſſoluit & encanthidas ſanat. idem tritum & ad pulueris formam redactum pterygia attenuat:admirabile quidem et ad alia multa compertum eſt,ſed nos quoq; poſterioribus permittemus duce experientia obſeruare,quot in hoc præſidio ſint facultates:nam & quidam ad diuturna ſedis ulcera & fiſtulas feliciſſime adhibuerunt, propterea nõ erit abſurdũ ſi ad polypos narium & ad ozænas accõmodetur.cadmiæ drach.lxx.ſtibij drach.lij.myrrhæ drach.v.ſpicæ nardi,croci ſing.drach.x.caſtorei drach.xvij.ſquammæ ferri ſtomomatis drach.xiij.folij,ceruſſæ,lapidis ſciſſilis,atramẽti ſutorij,ſucci fœniculi, fellis capræ ſing.drach.xiiij.æris uſti,piperis, lycij,thuris,caſiæ,opobalſami,opij ſing.drach.vij. ęruginis uermicularis drac.xx. gummi drach.lxx conſice cum uino aminæo.

Collyriũ ex fœniculo,cadmiæ unc.ix.ſtibij,fœniculi ſing.unc.viij.miſyos crudi,æruginis ſing.unc.vi.piperis unc.v. at.amenti ſutorij,croci,omphacij ſing.unc.i.s. chalcitidis, folij ſing.unc.i. ſpicæ nardi unc.iiij.s.opij unc.v.s.opobalſami unc.iiij.gummi unc.xij.decoque fœniculum in aqua pluuiali, & cum eius decocto conſice collyria.

AETII AMIDENI LIBRI SEPTIMI FINIS, IOANNE BAPTISTA MONTANO MEDICO VERONENSE INTERPRETE.

CHARTARVM INDEX

AA a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Omnes terniones, præter Ff quaternionem.

BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA, PER HIERONYMVM FROBENIVM ET NICOLAVM EPISCOPIVM MENSE AVGVSTO ANNO M D XXXV

FRO BEN.